MERMANNUS T.

CONSULTATIONES

MEDICÆ

1675

Menochius
Conſiliat:
30

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark
MERMANNUS, T

[illegible]
G [illegible]
[illegible]

66233/D

XV5

THOMÆ MERMANNI

Von Schönberg/

QVONDAM

SERENISSIMORUM BAVARIÆ DUCUM &c

ARCHIATRI PRIMARIJ

ET

VIRI SUO TEMPORE INCOMPARABILIS

CONSULTATIONES

AC

RESPONSIONES MEDICÆ,

à Viris doctis hactenus diu multúmque deſideratiſſimæ;

nunc tandem

OPERA ET STUDIO

FRANCISCI IGNATIJ THIERMAIRIJ

ELECTORALIS MEDICI

AC CONSILIARII BAVARICI,

COMITIS PALATINI,

IN CELEBERRIMA UNIVERSITATE INGOLSTADIANA

antehac

PROFESSORIS

Ex varijs manu-ſcriptis hinc indè ſparſis, magnâ diligentiâ, conquiſitæ: partim ex Germanico & Italico idiomate in Latinum verſæ: partim in multis locis, annotationibus & remedijs ſuccedaneis, auctæ: omnes denique in eum, quem vides, ordinem, & libros octo diſtinctæ.

OPUS

Omnibus Praxin Medicam exercentibus longè utiliſsimum.

Acceſſerunt Indices copioſiſſimi.

Cum PRIVILEGIO Sacræ Cæſareæ Majeſtatis.

INGOLSTADII,

Typis & impenſis, JOANNIS PHILIPPI ZINCK, Typographi Academici,

ANNO M. DC LXXXV

REVERENDISSIMO
ET
CELSISSIMO
S.R.I. PRINCIPI
DOMINO DOMINO
MARQUARDO
EPISCOPO EYSTADIANO
SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS
AD IMPERIJ COMITIA RATISBONÆ
PLENIPOTENTIARIO
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO
SANITATEM FELICITATEM.

QUòd Thomæ Mermanni, Viri in arte Medica quondam celeberrimi, nunc à me in lucem protracta conſilia, Tibi Reverendiſſime & Celſiſſime Princeps, humillimè conſecrata velim, veniam ſpero dabis, ſi cauſas, quæ ad id me impulerunt, Celſitudo Tua narrantem nō fuerit dedignata. Fuêre autem cauſæ aliquot, pars Mermannum, pars me ipſum concernentes. Prima eſt, quòd famigeratiſſimus hic Medicus omnium primò Eyſtadij, Reverendio-

rendiſſimæ Celſitudinis Tuæ laudatiſſimis Anteceſſoribus ſtudia ſua & ſeſe addixerit, atque adeò non alibi in Germania, quàm apud Celſiſſimos & Reverendiſſimos Principes Epiſcopos Eyſtadij celebris ſuæ famæ Mermannus poſuerit rudimenta. Altera eſt, quòd Thiermairiorum familia Eyſtadij enata, Tuo Principatui ac ditioni ſemper vixerit ſubdita, & ut decuit devotiſſima. Inter hos jure connumero avum meum Hilbrandum Thiermairium Juris conſultum, Eyſtadij Conſiliarium ac viceCancellarium per annos viginti quinque: Eugeniam Thirmairiam, nominati Hilbrandi ſororem, ad S. Walburgam Eyſtadij abbatiſſam vigilantiſſimam: Thomam Thiermairium optimum parentem meum, Eyſtadij natum, poſtea aliquot Sereniſſimorum Principum & Electorum Bavariæ Medicum cubicularium: Georgium & Jodocum Thiermairios, patruos meos, SS. Theologiæ Doctores, & Eccleſiæ Collegiatæ S. Wilibaldi Eyſtadij Canonicos: taceo Hilbrandum Thiermairium Erkerzoviano-Eyſtadianum atavi mei, Georgii Viri honeſtiſſimi fratrem, cui innocenter ab hæreticis lingua, quoad prendi potuit, truncata eſt, & ita recrevit, ut Hilbrandus iſte non ſine miraculi opinione iterum loqueretur. His addere liceat me ipſum, utpote qui Eyſtadianis parentibus natus, octo ferè annos, Profeſſor Ingolſtadij publicus, ſub clementiſſimo Cancellariatûs Tui præſidio docuerim; ac eo ipſo tempore, cùm fortè Eyſtadium profectus eſſem, ita gratiosè à Reverendiſſima Celſitudine Tua habitus fuerim; ut planè non ſine culpa ingratitudinis eſſem, niſi ad Te Reverendiſſime & Celſiſſime Princeps, Tuúmque Eyſtadium rediret, Thiermairio ductore, Mermannus; eum ſcilicet in locum, ut, ubi olim prima praxeos ſuæ in arte Medica jecit ſemina, nunc daret ibidem celeberrimæ famæ ſuæ publicos fructus.

Et quid ni Reverendiſſimæ Celſitudini Tuæ conſecrentur hæc noſtra Medica? Cujus in inſignibus gentilitiis Cornu Cervi optimum efficaciſſimúmque oſtentatur medicamen?

Profectò

Profectò MAGNUM PONDUS INEST illius VIRTUTI: námque, Medicorum omnium conſenſu, PESTIFEROS CONTRA PUGNANT HÆC CORNUA MORBOS, fœdásque expellunt lues, contagia periculoſa inhibent, ac vires demum partium principum egregiè ſuſtentant; imò ſenescendo vires non deperdunt ſuas, potiùs UNA CUM RAMIS VIRTUS SUCCRESCIT IN ANNOS. Nempe, ſi parva magnis comparare licet, prudentiſſima & experientiſſima Celſitudinis Tuæ ſenectus magna illa virtus eſt, quam meritò Invictiſſimus Imperator, totúmque Germanum Imperium æſtimat, collaudat, veneratur, optimè gnarum, quàm veriſsimum ſit, A SENE JUDICIUM SUME, EXPERTÓQUE FIDES SIT, tali præcipuè Sene, ſub cujus veneranda canitie, ceu niveo & irriguo fonte, nunquam non vireſcunt gratioſiſsimi ſolidæ prudentiæ flores, per magnam Germaniam fragrantiſsimi; ita ut auſim dicere: ante hac, Eyſtadij SIMILIS NON FLORUIT HORTUS.

Itaque Reverendiſsime & Celſiſsime Princeps, qui modò Ratisbonæ magnis præs conſiliis, Tibi ſanitatíque Tuæ humillimè dico has Medicas Thomæ Mermanni conſultationes; ſimul devotiſsimè rogo, ut ea vultûs ſerenitate acceptes, quâ ego ſubmiſsione illas ad pedes Tuos depono, unicè ſemper vovens, ut Deus mea vota, ſub præſidio Tuo nuncupata, ſecundet, largiatúrque illam, quam TOTA SUB HOC CLYPEO SPERAT GERMANIA PACEM. Vale ac Tibi totíque Germaniæ vive diu & feliciter. Monachij.

REVERENDISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ

humillimus ſervus

Franciſcus Ignatius Thiermair
Medicinæ Doctor.



THOMAS MERMANNVS
SEREN.^{mi} DVCIS BAVARIAE
CONSILIARIVS ET MEDICVS &c.

M: Wening. ſculp:

CORPORIS EFFIGIEM DAT CÆLATURA VIDENDAM,
EFFIGIEM MENTIS PUBLICA SCRIPTA DABUNT.

AD LECTOREM.

De Vita & Morte Thomæ Mermanni, ac inſtituti noſtri ratione.

THomas Mermannus, cujus doctiſſima Conſilia tibi exhibentur, Lector benevole, Coloniæ Ubiorum honeſtis Parentibus natus, prima elementa ſtudiorum ad Rhenum, dein Oeniponti, ac tandem ad Lycum Auguſtæ Vindelicorum poſuit. Piſis Hetruſcorum Philoſophiæ ac Medicinæ operam dedit, ac ita profecit, ut Philoſophiam publicè nobilibus Adoleſcentibus non ſine magno honore eodem in loco prælegeret. Cujus fama ac laudes cùm ad Coſmi Magni Ducis Hetruriæ aures perveniſſent, hominem ad ſe accitum ob elegantiam ingenij amavit familiariter. Tandem, laureâ in Medica arte acceptâ, Mermannus in Germaniam rediJt, & Celſiſſimo S. R. J. Principi Eyſtadiano Antiſtiti, Martino à Schaumburg ſtudia ſua & ſeſe addixit. Mox cùm fama illius latiùs creſceret, à Sereniſſimo Bavariæ Duce Alberto vocatus fuit pro Medico cubiculari Monachium, ubi dein non ſolùm prænominato Sereniſſimo Duci Alberto, ſed Sereniſſimis quoque VVilhelmo Alberti, ac Maximiliano VVilhelmi filio Principibus in regimine ſibi ſuccedentibus gratiſſimus vixit; ita quidem, ut Sereniſſimi hi Principes tum in re Medica, tum etiam ſecretioribus magníque momenti rebus, hujus Viri operâ plurimùm uterentur. Vidi ego, qui hæc ſcribo, & partim legi volumen benè magnum, concinnatum ex meris copiis (ut vocant) litterarum, quas, Principum juſſu & nomine, Mermannus ad Pontifices Maximos, Cardinales, Principes varios mittendas,

das; diverſo tempore, compoſuerat: argumento ſanè, quantùm hic Vir eloquentiâ authoritatéque apud omnes cujuſcunque conditionis homines prævaluerit. Inter hæc Romam profectus cum Sereniſſimis Boijs, dum pro more venerabundus baſiaret pedem Clementis VIII. qui Vicariam Chriſti operam in Orbe Chriſtiano tunc temporis præſtabat, idem ſummus Pontifex donum, torquem aureum, Mermanni collo injecit, omnibus teſtem honoris atque Pontificij amoris in Mermannum inſpectantibus. Cæterùm præter inſignem prudentiam (ob quam ab amicis ſæpius illud Terentianum audire debebat, tu quantus quantus es, nihil aliud niſi ſapientia es) fuit inſuper Mermannus noſter Vir admodum pius, rerum divinarum amantiſſimus, religioſis cœtibus mirè devotus, amabilis, in omnes benevolus, dabat à quibus exſpectare poterat, & demum Principibus ſuis adeò addictus, ut, licèt ab Auguſto Imperatore Rudolpho magnis præmijs vocaretur pro Medico, conditionem tamen tam honorificam, pari animi conſtantia recuſaret, amabiliſsima ſuorum Principum indole captus ac retentus. Appetente ſenio, anno ſcilicet ætatis ſexageſimo tertio vel quarto (ni fallor) à Chriſti verò Nativitate anno 1612. circa Autumnum hemiplegiâ dextri lateris prehenſus, non diu pòſt, dum malo huic medetur, vigeſimo quinto Decembris apoplexia forti oppreſſus collabitur, & omnium ordinum luctu moritur, Medicus celeberrimus & Bavariæ Galenus non immeritò dictus. Ajunt nunquam Illum mali incertum malum curare aggreſſum eſſe, ſed explorâſſe ſemper originem morbi, ut ſemel inveniret finem: enimverò certum eſt, apparétque ex Conſilijs ab ipſo ſcriptis, in morbos cauto pede iviſſe & lenta potiùs prudentíque mora, quàm ſubito ancipitíque impetu, illos expugnâſſe. Nec defuit tantæ induſtriæ ſua felicitas, quæ adeò paſsim increbuit, ut multis pars ſanitatis fuerit, Mermannum Medicum obtinuiſſe. Hæc

omnia

omnia ego partim ex Parentalibus, Viro huic optimè merito poſt mortem, memorabili pompa, habitis, & typo editis, partim ex Parente meo Thoma Thiermairio p. m. qui ultimis annis Mermanno utpote amanuenſis adſtitit, oretenus cognovi. Sed quid? vivunt etiamnum hodie Mermannicæ virtutis hæredes optimi, & Nobiliſsima dictorum meorum teſtimonia: reliquit etenim Thomas Mermañus Filios Filiásque aliquot, omnes nobiliter educatos, collocatósque; ex quibus vivunt, inquam, etiamnum hodie Prænobilis Dominus Petrus Franciſcus Mermann à Schönberg, miles olim ſtrenuus & ſago clarus, nunc Sereniſsimi Electoris noſtri Conſiliarius, ac Præfectus in Hohen Schwangau/ *paternæ prudentiæ inſignis hæres, & Vir Sereniſsimo Electori inpaucis charus; item Prænobilis Matrona Mechtildis, Mermanni filia poſthuma, nunc vidua, uxor quondam Prænobilis & Ampliſsimi Domini Ioannis Friderici Inninger Electoralis Cameræ Conſiliarij ſenioris, de quo Clariſsimo Sene, illiúsque lectiſsima conjuge Mechtilde Mermanna, paucis ſed veriſsimè dixero: Vir ſapiens,* integer vitæ ſceleríſque purus, *cujus* uxor ſicut vitis abundans in lateribus domûs ejus, & *optimi* filij ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ ejus: *nempe* ſic benedicetur homo, qui timet Dominum.

Conſilia & Reſponſa quod attinet, noli in ijs, amice Lector, ſperare Neotericorum curioſa inventa aut glorioſa Chymicorum remedia: miraberis potiùs & rectè imitaberis prudentem Viri methodum, judicium in omnibus ſolidum, remedia longo uſu firmata: nihil præceps, nihil temerarium: omnia recto ordine inſtituta, & omnia demum, prout decet Virum probum, ſtudioſa religione propoſita. Collegi autem Conſilia iſta ex varijs manu-ſcriptis hinc indè vel caſu coëmptis, vel ab amicis mutuatis, vel aliunde mihi liberaliter tranſmiſsis. Contulêre hîc ſuam mihi operam multi Viri Clariſsimi, præci-

puè

pue verò Excellentiſsimus Dominus Franciſcus Dominicus Grembſius in Tyroli nunc Halæ nobilis & inſignis Medicus, Georgij Grembſij Archiatri quondam Electoris experientiſsimi nepos, ex Mermanna verò ſua avia, Georgij nempe uxore, Mermanni noſtri pronepos. Hic inquam Vir Clariſsimus ſcripta illa, olim à Clariſsimo Franciſco Oſvvaldo Grembſio Medico Salisburgenſi celebri & authore Arboris integræ ruinoſæ hominis *patruo ſuo collecta, mihi perluſtranda tradidit, & exſcribendo utiliter juvit. Adjutus præterea ſum ex Clariſsimi Ioannis Braunij Medici Auguſtæ, ibidémque mortui manuſcriptis à Franciſco Dâgen M. D. cognato meo p. m. mihi benevolè communicatis, item ex Clariſsimi Philippi Mauritij Schönlini Friſingenſis quondam Medici Libro quodam collectaneo, quem laudabili prorſus liberalitate mutuò mihi miſit D. Andreas Heigl Straubinganæ civitatis Phyſicus Excellentiſsimus. Interim dubium non eſt, longè plura imò ferè innumera Mermannum noſtrum apud Viros eruditos, Principes, iſtorúmque Archiatros notiſsimum, conſcripſiſse & dediſſe Medica reſponſa, forſan in diverſorum manibus adhuc latitantia: audio conqueſtum eſſe ſæpius, quòd moleſtiâ epiſtolarum, & ſcriptitandi negotio propemodum ſolo, integer perierit ſibi dies. Et has modò dictas epiſtolas, cùm magna ex parte Mermannus idiomate Germanico & ſtylo ſubitario (nunquam enim Viro huic optimo & ab omni gloria alieno talia ſcripta edendi & in publicum proferendi animus fuit) Amanuenſibus ſuis dictâſſet, debebant à me primùm in Latinum idioma verti: in ordinem & libros redigi: defectus, ſi qui temporum, & deſcribentium incuriâ irrepſerunt, ſuppleri; labore, fateor, mihi planè faſtidioſo, homini præſertim in alijs occupatiſsimo. Verùm ut ſcias Lector, quænam reſponſa Mermannus Germanicè vel etiam Italicè dictârit, atque adeò à me in Latinum idioma verſa ſint; notavi illa omnia ſtatim ſub Conſultationis titulo ſequenti aſteriſco. * Hæc te, benevole Lector, monere volui ac debui. Fruere his, & Mermanni piis manibus benè precare.*

APPRO-

APPROBATIO.

CONſilia Medici Nobiliſſimi & incomparabilis Viri THOMÆ MERMANNI (quæ Prænobilis & Ampliſſimus Collega noſter D. FRANCISCUS IGNATIUS THIERMAIR Sereniſſimi Electoris ac Ducis Bavariæ Archiater, Vir doctrinâ, & ſcriptis paſſim Viris litteratis & in arte peritis notus, magno labore congeſſit, in pulcherrimum ordinem reduxit, & defectus ubique rectè ſupplendo in hunc quem vides ſplendorem laudabili prorſus diligentia deduxit) clarè monſtrant, MERMANNUM ſua ætate primarium, & fortè in Europa nemini ſecundum, atque adeò meritò Germaniæ & Bavariæ Galenum ab omnibus compellatum fuiſſe. Cæterùm uti conſilia iſta omni commendatione ſunt digniſſima, ita nec orthodoxæ fidei, nec Principum legibus quidquam contrarium continent; & merentur omnino, ut longam poſteritatem videant, atque ab omnibus magni æſtimentur.

JOANNES JACOBUS DE MAPHÆIS Sereniſſ. Elect. Ducis Bavariæ &c. Conſiliarius & Proto-Medicus.

Ad Prænobilem, Strenuum, Magnificum & Ampliſſimum Virum

D. FRANCISCUM IGNATIUM THIERMAIRIUM,

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTOREM,

Sereniſſimi ac Potentiſſimi Utriuſque Bavariæ &c. Ducis & Electoris

CONSILIARIUM ET ARCHIATRUMM

COMITEM PALATINUM,

olim

IN ANTIQUISSIMA AC FLORENTISSIMA ELECTORALI UNIVERSITATE INGOLSTADIANA

PROFESSOREM ORDINARIUM CELEBERRIMUM,

ET

COLLEGAM MEUM AMICISSIMUM.

LAus magna, Magni quam pariunt Viri:
Sennerte, Teſtis Magnificè potens,
Qui te coronabat frequenter
Teutonici titulo Galeni,

Nunc

Nunc ipſe Bojam ac Teutoniam ſimul
Latè coruſcat laudibus æmulis:
Dic ergo, quâ nunc fas ſit ipſi
Laude pari celebrare nomen.
Rogas: quis ille eſt? fac celebrem putes
Virum, ac trophæis pluribus inclytum,
Notiſque adoratum Exteriſque,
Quémque ſuum Padua eſſe Numen
Plaudebat olim. Sin Patriæ placet
Audire laudes: jam doluit diu
Bojæ Lycæum, tam coruſcum
(Quo licuit radiare) Phœbum
Se perdidiſſe: (at fata quis arceat
Præſertim amœno candida ſidere?)
Sublimiora ut inter Aſtra
Imbibitos cumularet ignes.
SERENA nobis GRATIA PRINCIPUM
Thiermairianum hoc ſurripuit Jubar.
Hic ille Lauro dignus Alchi-
-miſta novas meditatus artes,
Solers latentes divitias diu
Mermannianas è tumulo eruit,
Aurúmque jam pridem ſepultum
Pulvere de medio reducit.
Num Chymicum ergo, num Medicum facis
SENNERTE, qui te Teutonicum priùs
Fecit Galenum? dic utrumque:
Non etenim celebranda ſola eſt
Moles librorum; qui benè ſcripſerit,
Selecta ſi ſunt, ſe Medicum probat
Dignum trophæis, CHYMICOQUE
HIPPOCRATEM ſimul ac GALENUM.

Ita debitæ obſervantiæ & officioſæ gratitudinis ergò accinit atque applaudit

JACOBUS STELZLIN Medicinæ Doctor & Profeſſ. Ordinarius, Sereniſſ. ac Potentiſſ. Electoris Bavariæ &c. Conſiliarius, pro nunc facultatis Decanus & Senior.

Ad

AD

GLORIOSISSIMVM MERMANNI RESVSCITATOREM.

PRÆNOBILEM, MAGNIFICVM, STRENVVM ET EXCELLENTISSIMVM VIRVM,

D. FRANCISCUM IGNATIUM THIERMAIRIUM,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTOREM,

Sereniſſimi ac Potentiſſimi Utriuſque Bavariæ &c. Ducis & Electoris

CONSILIARIUM ET ARCHIATRUM CELEBERRIMUM, COMITEM PALATINUM,

& antehàc

In Alma Electorali Univerſitate Ingolſtadiana Profeſſorem Ordinarium, Dominum Patronum ſuum Venerandiſſimum.

Eum non Morborum tantùm, ſed Mortis etiam potentem eſſe.

O D E.

HVc uſque Lex eſt artè Medentium
Statuta Morbis; indomitæ Neci
Statuta non eſt. Arctiorum
Excutiens juga ferre Legum
Superba ceruix, non patitur premi.
Congreſſa dudum Ars magna Machaonis,
Invicta ſemper, peſtilentis
Agminibus generoſa Morbi,
Strages cruentas Febribus intulit,
Graſſata latùm. Sæpius integras
Profligat Hoſtium catervas,
Vſa Phlebis tenuis perito
Scalpro ſecandæ. Sæpius Vncia
Boli vocati, ceu populans globus,
Rimata viſcerum Latebras
Exonerat Colicam latentem:
Aut Bilis atræ, quas minitans coquit,
Prævertit iras, dum retegit ſagax
Arcana lenti, ſed ferocis
Conſilia Hoſtis. In omne Morbi
Nc Magna vulgus, TE DUCE, dexterâ
Victrice ſævit Noſtra Scientia:
Impunè nullus ſumpſit arma
Seu Capitis, Stomachive languor.

Victoriarum

Victoriarum terminus hactenus
Trophæa fixit. nempe potentior
Neceſſitas fatalis Artem
Imperio graviore ſiſtit.
Subacta tandem eſt. Arbitrio Tuo
VICTORIS, arctum collo humili jugum
Subire diſcit; TEQUE ſolo
Sic potuiſſe premi fatetur:
MERMANNE dum te falcipotens Dea
Mirata vivum, quem tumulans diu
Invidit orbi, ſceptra ſenſit
E manibus ſibi rapta frangi
Virtute multa MAGNIFICI VIRI.
O magne morborum & Necis improbæ
Dictator, annos, quos perennes
Das alijs, TIBI vive plures.

Ita reverenti animo gratulabundè apprecatur
Obſequioſiſſimus olim Diſcipulus & Cultor perpetuus
JOANNES HENRICUS SCHEIFLER
Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, Sereniſſimi Electoris Bavariæ &c. Conſiliar. & in Electorali Univerſitate Ingolſtadiana Medicinæ Profeſſ. Ordinarius.

Prænobili, Strenuo, Magnifico & Excellentiſſimo Viro
D. FRANCISCO IGNATIO THIERMAIRIO
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI
Sereniſſimi Utriuſque Bavariæ Ducis & Electoris
Conſiliario & Archiatro &c.
Amico ac Fautori ſuo Amandiſſimo, Obſervandiſſimo.

Vivus ut Hippolytus mœſtis remearet ab umbris,
Nobile Phœbigenæ præſtitit artis opus.
MERMANNI ut ſurgant docti, vivántque labores,
THIERMAIRJ ingenium, miráque penna facit.
Ipſe Pater Phœbus, Medicorum Numen: Hic, inquit,
Eſt partus Lauri, dignus honore meæ.
E tenebris Illuſtrem hic cogit Hygeia Senatum,
Fata Machaonij ſunt mera facta chori.
Certa ſalutiferæ ſunt hæc Reſponſa medelæ,
Qualia fatidico reddit ab orbe tripus.

Poſthuma

Poſthuma fama volat MERMANNI: huic addidit alas
THIERMAIRUS calamo, gloria noſtra, ſuo.
Hic Vir, hic eſt, Boicis multùm celebratus in oris,
Exponit Medico plurima rara foro.
Ipſe Duces Patriæ Magnos, Patriámque tuetur;
Expertus rerum, conſiliisque potens.
Muſæum fit rheda Viro: fit & Aula Lycæum:
Quidquid agit, Curat, Curet ut ille benè.
Dixerat hæc Phœbus. memori mihi dicta notavi:
Vera à Veridici Laus venit ore Dei.

Grati animi & ſpecialis obſervantiæ ergò appoſuit
FRANCISCUS STOKHER Medicus
Provincialis Landishutanus.

Prænobili, Strenuo, Magnifico, & Excellentiſſimo Viro,
Domino, & Patrono Colendiſsimo ac ſummè obſervando.

BYſſina tergeminæ deducite FILA Sorores,
De meliore COLU candida PENSA fluant.
Pallida MERMANNUS meliùs jam fata colorat,
Veſtràque CONSILIIS ſtamina LONGA facit.
Poſthuma Fama virum celebrat, LAUROQUE decorum
Cingit APOLLINEA, non moritura, caput.
Grande fuit vivo nomen, ſed grandius inter
Umbras, Thiermairi, te tribuente, refert.
Non ſilet ille, licèt poſitus regione ſilentûm;
Auditur MUTUS. Cujus ab arte? tua.
Tu das poſſe loqui, dum chartas pulvere ſparſas
Colligis, & magni SENSA profunda viri.
Alter ab alterius clareſcit lumine; præfers
Illi tu faculam NOMINIS, Ille Tibi.
NOX venit in LUCEM, lux per te clariùs ardet;
Hoc Medicis ipſis eſt OPUS inſtar OPIS.

Accinuit honoris, gratulationis, & obſervantiæ causâ
FRANCISCUS SEDLMAIR ſtatuum
Provincialiũ Inferioris Bavariæ Straubingæ
Phyſicus.

Prænobili, Strenuo & Ampliſſimo Viro,

D. FRANCISCO IGNATIO
THIERMAIRIO &c.

Præceptori, Patrono & Patrino meo ſummo ſemper honore Venerandiſſimo.
Cùm Mermanni Viri Conſultiſſimi ſcripta typis vulgaret.
Authorem Apis ſolertiam imitari.

SIc nempe pingues hoſpes Hymettius
Prædatur hortos; ſic bibit impiger,
Nobíſque propinat dyotas
Nectareis Saturas fluentis:

Ut TU

Ut TU laboris prodigus, & TUI,
Non ore flores ſugere melleo
Quieſcis antè, quàm liquore
Pœonio viduâris agros.
Exhauſta tandem ſic folia ebria
MERMANNE gaudes, queîs tuus innatat
Dudum ſcientiarum opimus
Succus: APIS ſtudioſa longo
Hæc nî volatu Te biberet, tuo
Fruſtra locuples melle liqueſceres.
Scientiâ nunc cella dulcè
Turget, APIS redolens laborem. O
Hoc melle proles noſtra madeſceret!
Cui TE PATRINO gratia cœlitus
Stillavit olim; cui dediſti,
Ut MEDICUS Pater eſſe poſſim.

Debitæ obſervantiæ ergò

Accinuit
MICHAEL SCHMID M. D. antehac Phyſicus Chamben-
ſis, nunc Praxin publicam exercens Monachij.

PRÆNOBILI, MAGNIFICO, STRENVO, ET EXCELLENTISSIMO

VIRO

D. FRANCISCO IGNATIO THIERMAIR,

Suo olim in Doctoratu Medico Promotori Colendiſſimo.

QUid ambientes, Fama, Favonios
THIERMAIRIANA, ac Aonias Deas
Lentè moraris? fruſtrà honores
Et proprios ſimulas triumphos,
Canenda pridem, dùm Auſonios caput
Circumferebas inter Apollines:
Pedóque Rectorali, amatâ
Jura dabas Paduæ volenti
Subeſſe, plenòque imperio regi:
Jam tum coruſcum Teutoniæ Decus
Novus Machaon eminebas
Omnigenos rapiens amores.
At hinc reverſus quod Patriæ jubar,
Quàm fulgurantes intuleris faces,
Effatur ipſa, quæ bibebat
Larga ſui radios Nepotis:
Seu Microcoſmum clarus in Exedris
Enucleabas, ſeu Podalyrios
Lauro coronabas recenti:
Seu dubia nece jam natantes
Fatis negabas impiger hoſtias,
Vultúque amœno ac fortior Hercule
Ictu ſecundo geſtiebas
Non reduces reſecare febres:

Serena

Serena ſeu nunc te rapiat Salus
Et cura Magnûm ſplendida Principum;
Ut glorioſas ſæpe pergas
Ac vigiles radiare noctes:
Ubique Apollo es, qui radios jacit
Pares in Iros ac Proceres pares:
Suóque contentus nitore eſt,
Nec maculas trahit e cloaca.
Ad hæc quid addam? ne memorem tuos
Jam nuper almæ Palladis inclytos,
Partus olivâ, quos vetuſta,
Ac veniens celebret Senecta:
MERMANNIANOS nunc iterum novus
Titan Honores è tenebris vocas,
Novámque, non fracto labore,
Poſſe facis renovare vitam.
Hæc ergo tantis, Fama, decoribus,
Ornata, Muſas ac Zephyros ſuper,
Ferare læta, lividóque
Pande tuas ſine dente laudes.

Ita accinit & gratulatur.
Debiti honoris & obſervantiæ ergò
Diſcipulus olim indignus
PHILIPPUS JACOBUS SCHENFELDER
Philoſophiæ & Medicinæ Doctor & Phyſicus
Ingolſtadij ordinarius.

PRÆNOBILI, STRENVO, MAGNIFICO & AMPLISSIMO
DOMINO AUTORI FAUTORI AC PATRONO SUO MAXIMO,
OBSERVANDISSIMO.

Vix poſuêre truces indignatæque querelas
Parcæ, CONSILIIS Numina læſa TUIS;
Haud ita dum pridem victuro in ſecula LIBRO
Duræ eliſiſti ſpicula tenſa necis.
Nempe Machaonias Letho TUA dextera leges
Scripſerat, & metam nobile fixit OPUS.
Nunc iterum expertam luctæ meditaris arenam
Impiger, & mortem ad prælia tanta citas,
Scilicet opponis, dudum quem Fata tulêre,
Cujus, certa ſalus pluribus, arte ſtetit.
MERMANNUS, Medicæ quem ſuſpexêre Palæſtræ,
CONSILIIS properâ fert TIBI promptus opem:
Vir ſimul urbe, ſimul toto clariſſimus orbe,
Hincq; GALENUS erat, indè GALENUS erat.
Transtulit hæc Natura in TE rariſſima mentis
Munera, TU noſter jure GALENUS eris.
Dum, qui MERMANNUM merito ſplẽdore bearet,
Haud inter Medicos dignior alter erat.
Vive diu! quæ MERMANNUM jã traxit ad umbras,
CONSILIIS fugiat mors ſuperata TUIS.

Debitæ obſervantiæ & gratitudinis ergò
adpoſuit
JOANNES PETRUS WILHELMI
Med. Doct. & Electoral. Præſid. Ingolſt. Phyſicus.

PRÆNOBILI, STRENVO, MAGNIFICO & AMPLISSIMO
DOMINO AUTHORI
Patrono meo omnium Colendisſimo.

FLammeo calcat pede cùm LEONEM
Phœbus, immenſo radiat per orbem
Lumine, obſcuráſque fugat ſereno ab
Aethere nubes,
Æmulis Phœbo rutilas per orbem
BAVARUM ingreſſus radiis LEONEM,
NUPERO obſcuras hominum ſerenans
LUMINE mentes.
Quáſque materno gremio recondit
Terra, arenoſo pelagúſque gazas
Claudit amplexu, fovet æſtuoſo
Phœbus amore.
Jámque, quem multis tumulavit annis
Terra, MERMANNUM revocas ab umbris,
Vix redux unquam, patrio tuo nî
Fotus amore.
Jactat illuſtres geminos ſuperba
Sphæra ſic ſoles: micat unus orbi,
Cujus alternis revocat diebus
Heſperus ortus.
Cedat hic palmas: micat alter orbi,
Nulla quem mutæ teget umbra noctis,
Luce qui CONSTANS radiat perenni.
Vive perennis.

Debitæ gratitudinis & obſervantiæ ergò poſuit
JOANNES MENRADUS VORWALTNER
Medicinæ Doctor.

Ad Prænobilem, Strenuum & Ampliſſimum Virum
DN. FRANCISCUM IGNATIUM THIERMAIR
Patronum & Mecænatem ſuum maximum.
Authorem non ſuum tantùm, ſed & communem omnium Mecænatem eſſe.

NEmpe non ſolas humilis ſubintrat
Cynthius valles locuplete vultu,
Quando ſe totum radio per agros
Divite ſpargit,
Et coruſcantes ſuper alta currus
Montium voluit placidè renidens.
Nec jugis ſolùm propior ſerenis
Ridet Apollo,
Latiùs circùm ſua dona, plenæ
Prodigus Lucis, vehit; inquietus
Ambiens terras, Medico calore
Soſpitat orbem.
Quáſque nox cæcis premit in cavernis
Viſitat maſſas opulentus auri;
Nec tenebroſo ſinit in ſepulchro
Sidera condi.
Quanta MERMANNUM, meliore dignum
Luce, nox auſa eſt, tumulare dudum,
Sed TUO, SOLIS, radiatus igne
Redditus orbi eſt.

Debitæ obſervantiæ ergò accinuit
ANDREAS CÆSAR Med. Cand. Exam. & Approb.

INDEX LIBRORVM ET CAPITUM

CONSVLTATIONVM ET RESPONSIONVM

LIBER PRIMUS

DE

MORBIS CAPITIS, HUJUSQUE PARTIUM.

CONSVLTATIO.

I. Porrigo capitis, & faciei, antiqua. Pro Virgine Nobili * pag. 1.

II. Capitis dolor obtuſus. Pro Viro Illuſtri. 6.

III. Capitis dolor inveteratus, & defluxiones perpetuæ. In Virgine. Ad Virum Nobilem. * 11.

IV. Cephaléa ſæva, cum futuræ cranij quadam diſtractione. Pro Fœmina Illuſtri. Ad Medicum quendam doctiſſimum. 14.

V. Hemicrania dextri lateris pertinax, cum obſtructione viſcerum, ac veſtigijs icteri antiqui. Pro Reverendiſſimo quodam. 18.

VI. Cephaléa, Vertigo, & Inappetentia. Pro Cancellario quodam Viro Clariſſimo. 20.

VII. Vertigo ex cerebri intemperie humida, cum compreſſione pectoris, & lumborum dolore. Pro Viro Reverendiſſimo * 24.

VIII. Vertigo & Lipothymia ex ventriculo. Pro Nobiliſſimo Adoleſcente. 28.

IX. Deliquium non ſine ſuſpicione convulſionis, unà cum ſcabie pedum. Pro Viro Honeſto. * 31.

X. Epilepſiæ periculum, Vertigo, Anxietas & Ptyaliſmus, nec non obambulandi continua neceſſitas ipſius D. Mermanni. Ad Medicum quendam Amicum. 32.

XI. Epilepſia ſeu morbus caducus. Pro Juvene Nobili. * 34.

XII. Epilepſia ex Vtero. Pro Nobili Virgine. Ad Virum Clariſſimum. 45.

)(XIII. Con-

XIII. Convulſivi motus à ventriculi & uteri cacochymia. Pro Virgine Moniali. 46.
XIV. Melancholia cum varijs accidentibus. Pro quadam Fœmina conjugata. Ad Maritum Virum honeſtum. * 48.
XV. Melancholia ex præcordijs. In Juvene Religioſo. 51.
XVI. Delirium cum furore. In Juvene Nobili. Ad Medicum quendam. 52.
XVII. Inſania. In Puella. Ad Medicum quendam. 53.
XVIII. Hemiplegia. Pro Concionatore Bambergenſi Clariſſimo. 54.
XIX. Paralyſis ſeu potiùs Hemiplegia cum intemperie humida cerebri, viſcerúmque naturalium læſione. Pro Principe quodam Eccleſiaſtico. * 55.
XX. Nonnulla loquendi difficultas, ſeu linguæ Paralyſis, & convulſivi aliquot partium faciei motus, unà cum extremorum ſcabioſo pruritu. Pro Viro Nobiliſſimo. 60.
XXI. Motûs imbecillitas, ſeu Paralyſis in brachio & pede lateris ſiniſtri. Pro Viro Nobiliſſimo. 60.
XXII. Imbecillitas digitorum ſcriptioni inſervientium. Pro Patre quodam Reverendo. 66.
XXIII. Capitis intemperies humida, dolor & deſtillationes crebræ; cum dyſcraſia hepatis & renum calida. Pro Viro Juvene Sacerdote. 67,
XXIV. Catarrhus cum debilitate capitis. Pro Viro Illuſtri. 71.
XXV. Deſtillationes ex capite perpetuæ, crurum poſt ſtudia laſſitudo, & tremor &c. In Juvene. 73.
XXVI. Catarrhus frequens, & deſtillationes acres, cum capitis dolore. Pro viro quodam Magnifico. 76.
XXVII. Catarrhus ejuſdémque per lignum ſanctum curatio. Pro Viro Honeſto. * 78.
XXVIII. Oculorum affectus. Pro Sereniſſima Archi-Duciſſa. Ad Medicos ordinarios. 81.
XXIX. Defluxio ad oculos. In Viro Reverendiſſimo. Vbi de fonticulis diſcurritur. Ad Medicum quendam. 82.
XXX. Cæcitas ex obſtructione nervi optici. In Viro Eccleſiaſtico. 84.
XXXI. Obſtructio nervi optici, & exin omnimoda ferè cæcitas enata. In Viro Religioſo. 86.
XXXII. Hæmorrhagia narium. Pro Principe, dum variolis detinetur. 87.
XXXIII. Tinnitus aurium. Pro Viro Seno quodam Clariſſimo. Ad Amicum Medicum. 88.
XXXIV. Dolor dentium. Pro Viro Reverendo Præſtantiſſimo. 89.
XXXV. Dolor dentium, unà cum vacillatione eorundem. Pro Fœmina quadam Illuſtri. 91.

CONSULTATIONUM ET RESPONSIONUM LIBER SECUNDUS.

DE AFFECTIBUS FAUCIUM, COLLI, ET PECTORIS.

CONSVLTATIO.

I. Catarrhus acris laryngem & fauces lædens. In Muliere Sene. * 93.

II. Cachexia, menſium paucitas, ventris tumor, ſitis nunquam intermiſſa, gulæ ariditas, ſiccitáſque ingens, ptyaliſmus incredibilis, catarrhi periculoſi. Pro Principe quadam Virgine. 95.

III. Faucium ſiccitas magna, cum menſium imminutione, ſiti magna, corporis languore &c. Pro eadem Principe Virgine. Ad Medicum celebrem Gisbertum Vooſſium. 100.

IV. De eâdem Principe. Ad Gisbertum Vooſſium Medicum Græcenſem. 102.

V. Catarrhus ſalſus, cum raucedine, reſpirationis difficultate, & tuſſi, ſputóque copioſo. Pro Viro quodam. * 103.

VI. Raucedo ex deſtillatione à capite. In Viro Muſico. 107.

VII. Raucedo & vocis interceptio. In Viro Religioſo. 109.

VIII. Aſthma ex catarrho. Pro Viro Illuſtri. 111.

IX. Difficultas reſpirandi ex deſtillatione & hepatis obſtructione, cum crurum aliquali intumeſcentia, & tuſſi permoleſta, quâ ſputum craſſum & ſubflavum reijcitur. Pro Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Epiſcopo. 120.

X. Anhelatio difficilis ob flatuum in hypochondrijs copiam. Pro Viro Illuſtri & Reverendiſſimo. 124.

XI. Angina periculoſa. Pro Viro Religioſo. * 128.

XII. Vlcus circa laryngem & primas coſtas thoracis, ab eroſione enatum, cum tabeſcentia corporis, & cruris lateríſque unius convulſione. Pro Viro Illuſtri. Medicum Cæſareum Anſelmum Boëtium. 129.

XIII. Sanguinis per ſcreatum rejectio ex capite in os & guttur delabentis. Pro Viro Reverendiſſimo, & Illuſtriſſimo. 131.

XIV. Sanguinis ſputum, ſeu potiùs ulcus circa fauces & primas coſtas thoracis. Pro Viro litterato. 133.

XV. Phthiſeos periculum. In Matrona Nobili. * 134.

XVI. Phthiſis & ulcus pulmonum ſordidum. In quodam Viro Nobili. 136.

XVII. Purulenta exſpuitio, tuſſis, febris hectica, & totius corporis extenuatio. pro Fœmina Illuſtri. * 139.

XVIII. Pectoris ulcus cum puris exſpuitione, tuſſi diuturna, ſine febri & tabe. pro Fœmina Illuſtri. * 141.

XIX. Macies & extenuatio corporis, cum tuſſi, præcedente ſanguinis ſputo, ex vena in larynge; comitantibus frequentibus catarrhis. Pro Reverendo & Nobili quodam Domino. * 143.

XX. Animi deliquium ex cacochymia viſcerum primæ & ſecundæ coctionis. Pro Equite quodam Perilluſtri. 150.

XXI. Palpitatio cordis ob flatus. In Viro Organiſta Celeberrimo. * 157.

CONSULTATIONUM ET RESPONSIONUM LIBER TERTIUS.

DE VENTRICULI ET INTESTINORUM VITIIS.

CONSVLTATIO.

I. Saliva copioſa ex ventriculi mala coctione, & hepatis intemperie calida. In Viro Nobili. * 160.

II. Imbecillitas ventriculi, & caloris nativi penuria &c. Pro Sereniſſimo quodam Principe. 162.

III. Coctio imperfecta, corporis extenuatio, flatuum copia. Pro Principe quadam Sereniſſima gravida. * 165.

IV. Tarda ventriculi coctio, unà cum flatuum proventu. pro Viro Illuſtri. Ad Medicum Amicum. 167.

V. Ventriculi prava coctio, aliáque accidentia ex penuria caloris nativi. Pro Viro Illuſtri. * 171.

VI. Ventriculi intemperies frigida cum copioſa pituita. Pro Sereniſſima quadam Principe. 176.

VII. De eadem Principiſſa. Ad Medicum quendam Illuſtrem. 178.

VIII. Pituitæ & indè flatuum copia, in corpore melancholico. Pro Viro Illuſtri. 181.

IX. Dolor ventriculi, aliarúmque partium ex flatibus & pituitæ abundantia dependens. Pro aliqua Moniali. *. 184.

X. Vo-

X. Vomitus frequens pituitæ, ob ventriculi intemperiem frigidam, ejuſdémque debilitatem. pro Illuſtri Domina. 186.
XI. Inappetentia, & palpitatio cordis, ob bilem ventriculi orificio inhærentem. pro Nobili Fœmina. * 187.
XII. Anorexia, ſingultus, nauſea, febricula nocturna. Pro Sereniſſima Principe. Ad Collegam Medicum. 190.
XIII. Cruditas & ardor ſtomachi. Pro Principe quodam Sereniſſimo * 193.
XIV. Ardor ſtomachi vulgò der Sood. pro Sereniſſimo quodam Principe. 195.
XV. Cholera & ejus præſervatio. pro Viro Religioſo. 197.
XVI. Dolor colicus, cum metu Epilepſiæ. 201.
XVII. Colica paſſio. pro Viro Nobili. * 202.
XVIII. Colica affectio. pro Illuſtriſſima quadam Fœmina. Ad Medicum Amicum. 203.
XIX Colica & ex hac motus convulſivi & metus pareſis. pro Viro Illuſtri. Ad Excellentiſſimos quoſdam Medicos. 204.
XX. Incedendi difficultas ex Colica, ubi vera curatio Colicæ traditur. pro puella quinquenni. 206.
XXI Colica, diarrhœa bilioſa, ex dyſcraſia viſcerum; unà cum doloribus podagricis ſubinde infeſtantibus. Pro Illuſtri Domino. Ad Medicos quoſdam Doctiſſimos. 209.
XXII. Colica maligna. pro Illuſtriſſima Comitiſſa. Ad Medicum Ordinarium. 212.
XXIII. Diarrhœa diuturna. pro Nobili Juvene. * 214.
XXIV. Fluxus dyſentericus. pro Illuſtriſſimo quodam ViceDomino. Ad Medicum illius ordinarium. 215.
XXV. Conſtipatio alvi. pro Viro Juvene Nobili. * 217.
XXVI. Alvi Conſtipatio. pro Fœmina gravida. * 222.
XXVII. Hernia. pro Viro Illuſtri. * 223.
XXVIII. Hæmorrhoidum dolor. Pro Viro Nobili & Magnifico. 226.
XXIX. Dolor hæmorrhoidum cæcarum ingens, ſeu condylomatum ſuſpicio. pro Religioſa Fœmina. Ad Arnoldum Heniſchium Medicum. 228.
XXX. Ani fiſtula, & involuntaria alvi dejectio. pro Viro Nobili. 229.
XXXI. Condylomata & fiſſuræ ani, ex difficultate partûs. pro Nobili & honeſtiſſima quadam Fœmina. 233.
XXXII. Ani procidentia. pro Puero. 237.

CON-

CONSULTATIONUM ET RESPONSIONUM LIBER QUARTUS.

DE HEPATIS AC LIENIS PARTIUMQUE VICINARUM ACCIDENTIBUS, PRÆCIPVE DE AFFECTIONIBVS HYPOCHONDRIACIS.

CONSVLTATIO.

I. Impuritas hepatis. Pro Sereniſſimo Archiduce Ferdinando Juvene. Ad Philippum Menzelium Medicum Profeſſorem Ingolſtadienſem. 238.

II. Hepatis renum & ſtomachi intemperies. Pro Illuſtri quodam Equite. * 239.

III. Hepatis incendium, ſeu intemperies præcalida. In Juvene Nobili. 242.

IV. Intemperies calida & ſicca hepatis, cum periculo tabis. Pro Matrona Nobili Tubingenſi. * 243.

V. Intemperies calida & ſicca hepatis, ejuſdémque obſtructio; unde Cachexia bilioſa, & diſpoſitio ictericia. * 244.

VI. Obſtructio hepatis. pro quodam Conſiliario. 248.

VII. Scirrhus jecoris. pro Nobili Cive & Mercatore Auguſtano. * 250.

VIII. Ictericia. pro Nobili Matrona. * 254.

IX. Modus potandi aquas acidas Schwalbacenſes. pro admodum Reverendo Domino Abbate, ictericia incipiente &c. laborante. 256.

X. Ictericia magna & calculus cyſtis felleæ per alvum excretus, prægreſſis ingentibus doloribus. 259.

XI. Lienis obſtructio. pro Viro perilluſtri. * 263.

XII. Lienis obſtructio, & tumor. pro quodam Viro Magnifico. 265.

XIII. Hydrops & lienis tumor ſcirrhoſus. In Nobiliſſima Matrona. Vbi de aquis Spadenſibus in hydrope agitur. 268.

XIV. Obſtructiones hepatis & ſplenis confirmatæ, cum periculo hydropis. pro Viro honeſto. 272.

XV. Obſtructio hepatis & ſplenis, cachexia, ac tandem ſubſequens Hydrops. pro Viro Religioſo. 273.

XVI. Cachexia imminens. pro Viro Illuſtriſſimo. Ad Clariſſimum Medicum Ordinarium. 275.

XVII. Ca-

XVII. Cachexia & principium hydropis. pro principe quodam. Ad Virum Medicum Amicum. 277.
XVIII. Tumor artuum & ventris, ex intemperie frigida humida hepatis. pro quadam Matrona Nobili. * 280.
XIX. Cachexia, & imminens hydrops anaſarca. pro Viro Ampliſſimo. 281.
XX. Tumor ventris ac pedum. pro Viro Clariſſimo. 285.
XXI. Nimius hæmorrhoidum fluxus, & exin imminens hydrops. pro Reverendo quodam Religioſo. 286.
XXII. Hydrops in Virgine delicata. * 288.
XXIII. Hydropis principium, & hepatis obſtructiones. pro Viro quodam Honeſto. 290.
XXIV. Hydrops imminens ex intemperie frigida hepatis & lienis. pro Fœmina Honeſta. * 290.
XXV. Hydrops. pro Reverendo aliquo Religioſo. 291.
XXVI. Evaporationes, præcipuè incipiente ventriculi coctione, veluti Hypochondriacæ affectionis præludia. pro Viro perilluſtri. Ad Medicum quendam Clariſſimnm. 293.
XXVII. Melancholia hypochondriaca, pro Viro Nobiliſſimo. 295.
XXVIII. Hypochondriaca aliáque graviora, quæ ipſus Mermannus perpeſſus eſt, ſymptomata. Ad Henricum Boterum Medicum. 300.
XXIX. Melancholia hypochondriaca, cum capitis dolore, aliqua vertigine, faucium ariditate, ventris conſtipatione. pro Viro perilluſtri. 301.
XXX. Melancholia hypochondriacâ, cum tuſſi & palpitatione &c. pro Fœmina Illuſtri. * 304.
XXXI. Melancholia hypochondriaca, cum dolore pungitivo lateris & alvi profluvio. pro Viro Nobili. * 310.
XXXII. Affectus hypochondriacus cum pituita copioſa. pro Viro Reverendo. 312.
XXXIII. Affectio hypochondriaca & dolor ſiniſtri lateris à flatibus. pro Reverendo quodam Domino. 317.
XXXIV. Melancholia hypochondriaca, cum calore ſpinam dorſi perreptante, dolore capitis, mœrore inſigni, nec non flatuum copia. Pro Viro quodam Generoſo. Ad Medicum ordinarium. 321.
XXXV. Melancholia hypochondriaca, affectus uterinus ab aliis perperam creditus. In Fœmina Nobili * 327.
XXXVI. Hypochondriacæ affectionis methodus curandi generalis. Pro Viro Nobili. * 329.
XXXVII. Melancholiæ hypochondriacæ præſervatio. Pro Viro Religioſo. 330.
XXXVIII. Pro quodam ex melancholia hypochondriaca convaleſcente. 333.
XXXIX. An in hypochondriacis uſus Tetrucianæ & chalybis ſalutaris? Ad Medicum quendam. 334.

XL. Ratio utendi acidulis Schvvalbacenſibus. Pro Perilluſtri Domino N. Hypochondriaco. 336.
XLI. Modus potandi aquas acidas Schvvalbacenſes. Pro Viro Reverendo hypochondriaco. 338.
XLII. Modus utendi acidulis Bruzzenſibus. Pro Viro Reverendo hypochondriaco Nephritico. 339.
XLIII. Deſcriptio qualitatis ac virtutis, acidi fontis in Ladis, in Tyroli prope Brutz, in ſuperiore Zellenſi valle ſiti. Eandémque modus ſeu methodus adhibendi convenientiſſima. * 341.

CONSULTATIONUM ET RESPONSIONUM LIBER QUINTUS.

DE RENUM, VESICÆ, AC GENITALIVM INCOMMODIS.

CONSVLTATIO.

I. Dolor Nephriticus. Pro Fœmina Nobili. * 345.
II. Dolor nephriticus, ſeu calculus renum. In Viro Reverendo. 346.
III. Calculus renum. Pro Viro admodum Illuſtri & Reverendiſſimo. 348.
Appendix. Ad Medicum Collegam. Pro eodem. 349.
IV. Calculus renum. Pro Muliere Nobili. * 349.
V. Calculus renum. Pro Reverendo quodam Religioſo. 352.
VI. Calculus renum. pro Viro quodam Illuſtriſſimo. * 354.
VII. Renum calculus & Catarrhus. pro Viro quodam Nobili. * 355.
VIII. Renum calculi, lumborum dolor, alia ſymptomata. ubi de generatione calculi diſcurritur, & ratio potandi aquam Tettucij edocetur. pro Viro perilluſtri. 356.
Ratio potandi aquam Tettucij. pro Eodem. 362.
IX. Calculi Renum præſervatio. pro Barone quodam Perilluſtri.* 363.
X. Calculi cura præſervatoria. pro Fœmina quadam Illuſtri. * 365.
XI. Calculi præſervatio in cōſtitutione pituitoſa. pro Viro perilluſtri. 368
XII. Præſervatio & curatio calculi. pro Reverendo Viro Canonico. Additur modus præparandi corpus ad aquas Tettucias bibēdas. 371
Appendix. Ad priores Conſultationes de præſervatione & curatione Calculi, & uſu aquæ Tettucij. 373.
XIII. Renum exulcerationis periculum, ejúſque præſervatio. pro Viro Generoſo. 375.
XIV. Calculus renum, corúmque exulceratio ſuperficiaria, Unà cum hypochondriorum obſtructione. * 378.

XV. Cruenta mictio. pro Cive quodam. * 301.
XVI. Mictus ſanguinis. pro Generoſo Barone. 384.
XVII. Incontinentia urinæ, motus ſpasmatici, & diſpoſitio hydropica, unà cum impotentia ad Venerem &c. * 387.
XVIII. Ardor urinæ, & ſuſpicio calculi in veſica. pro Nobili Matrona.* 388
XIX. Calculus veſicæ, cum mictu ſanguineo. pro Viro illuſtri. * 392
XX. Urinæ ſuppreſſio. Ad Medicum Clariſſimum. 395.
XXI. In ſuſpicione calculi veſicæ. pro Puero Nobili. 396.
XXII. Calculus veſicæ, vel certè ejus ſuſpicio. pro Viro Mercatore opulentiſſimo. * 397.
XXIII. Calculus veſicæ. pro Viro quodam Reverendiſſimo. * 401.
XXIV. Præſervatio à calculo. pro Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo quodam Principe. 404.
XXV. Calculus in virga hærens. pro Illuſtri & Reverendiſſimo Viro. 412.
XXVI. Gonorrhœæ ſpecies. pro Viro quodam Perilluſtri. 412.
XXVII. Gonorrhœa. pro Viro multùm Illuſtri. * 415.
XXVIII. Impotentia ad coitum. pro Viro Illuſtri. * 417.
XXIX. Veneris imbecillitas. pro Viro quodam Nobili. * 419.
XXX. Impotentia ad Venerem. pro Viro quodam ignoto. * 422.

CONSULTATIONUM ET RESPONSIONUM LIBER SEXTUS

DE MULIERUM MORBIS.

CONSULTATIO.

I. Menſes immodici. pro Nobiliſſima Domina Mediolanenſi. 424.
II. Menſium retentio. pro Virgine quadam honeſta, gibboſa & delicatula. * 427.
III. Menſium retardatio, aliáque accidentia. Ad Virum Amicum. Pro Filia ejuſdem. 429.
IV. Menſium retentio. In Muliere empyematica, aliisque gravioribus accidentibus detenta. Ad Ferdinandum Matthiolum Medicum Patientis Maritum. 432.
V. Ex menſium ſuppreſſione, plurima gravia accidentia. In Virgine Honeſta. Ad Medicos clariſſimos ordinarios. 433.
VI. Menſium paucitas, muliebre profluvium, ſterilitas. pro Fœmina Nobiliſſima. 435.
VII. Morbus Virgineus, ſeu febris alba. pro Virgine Nobili Veneta. 438.

VIII. Fluxus muliebris albus. In Fœmina Illuſtri. Ad Medicum Amicum. 441.
IX. Uteri fluor albus fœtidus. pro Matrona ignota. * 442.
X. Sterilitas. In Fœmina Illuſtri. Ad Gisbertum Vooſſium Medicum Clariſſimum. 447.
XI. Sterilitas, & remedia ad illam tollendam. pro Fœmina Illuſtri.* 451.
XII. Abortûs præcautio. pro Fœmina Nobili. * 453.
XIII. Abortûs præſervatio. pro Illuſtri Fœmina. 455.
XIV. Fœtus in utero emortuus, ac lentè putredine tabidus, unà cum ſecundinis lentè quoque putreſcentibus & ſubſiſtentibus, excluſus. In Nobili Puerpera. * 460.
XV. Mammarum dolor, ab impuro melancholico ſanguine. pro Illuſtriſſima quadam Fœmina. * 461.
XVI. Cancer mammillæ. In Fœmina Nobili. * 462.
XVII. Inſtructio ad thermas Grumbacenſes. pro Virgine Nobili. * 464.
XVIII. Alia inſtructio ad thermas Grumbacenſes paulò fuſior. pro Fœmina quadam Nobili. * 465.

CONSULTATIONUM ET RESPONSIONUM LIBER SEPTIMUS

DE

Malis externis & cutaneis, nec non articulorum doloribus.

CONSVLTATIO.

I. Sudor copioſus poſt ſomnum. Pro Cancellario quodam Ampliſſimo. 468.
II. Pruritus cutis moleſtus. In Perilluſtri Matrona. * 469.
III. Pruritus antiquus cum ſcabie ſiccà permoleſta. pro admodum Reverendo Domino Abbate. 472.
IV. Pruritus ingens femoris, talorum ac plantarum pedum, volarúmque manuum, ſalſo humore inſtar ſudoris poſt frictionem effluente. 474.
V. Scabies & pruritus. In Viro Nobiliſſimo. Ad Medicum Collegã. 476.
VI. Scabies ſicca & pruritus. Pro Reverendo quodã PatreReligioſo. 477.
VII. Scabies & pruritus. Pro Fœmina quadam Honeſta. * 479.
VIII. Scabies. Pro Illuſtriſſimo Domino Comite. Ad Amicum Medicum. 480
IX. Menti ſcabies aſpera, cruſtoſa, prurigi̇noſa, faciem quoque occupans. pro Puero Nobili. * 482.
X. Modus potandi & lavandi in thermis Gôppingenſibus. pro Viro Principe 485.

XI. Ery-

XI. Eryſipelas frequens, cum tuſſi, febre, vomitu & hæmorrhagia narium. pro Illuſtri Barone. * 486.

XII. Eryſipelas. Et an per cauterium cruri imprimendum præcaveri poſſit? Pro Viro Nobiliſſimo. 491.

XIII. An impreſſum in crure cauterium, eryſipelati ſubſequenti anſam dederit? Pro Viro Principe Eccleſiaſtico. Ad quendam Medicum Doctiſſimum. 493. XIV.

XIV. Vlcera pedum. pro Principe quoam Illuſtriſſimo. * 495.

XV. Crurum ulcera. Pro Illuſtriſſimo duodam Principe. 498.

XVI. Vlcera crurum in corpore obeſo. qo Viro quodam Honeſto. * 499.

XVII. Vlcus ſinuoſum cruris, cum dolorecoxendicis &c. Pro Reverendo Capuccino. 500.

XVIII. Vlcus gallicum. Pro Illuſtri Barone. 501.

XIX. Tumor durus mammæ ſiniſtræ dolorificus, & cancrum minitans. pro Viro admodum Reverendo. 501.

XX. Pro eodem Viro admodum Reverendo. Ad Clariſſimum Philippum Menzelium. 503.

XXI. Dolor circa ſpinalem medullam, inter utramque ſcapulam, à flatu tenui ex pituita, & melancholico ſucco ortus. Pro Viro Illuſtriſſimo: Ad Medicum quendam. 505

XXII. Tumor pituitoſus lateris, & dolor coxendicus. Pro Reverendo quodam Religioſo. 507.

XXIII. Coxendicum dolor, pervagans crus dextrum. Pro quodam Viro Honeſto. 508.

XXIV. Femoris dolor pertinax. Pro Viro Nobiliſſimo. 509

XXV. Arthritis. Pro Illuſtriſſimo & Celſiſſimo Viro. 512.

XXVI. Arthritis. pro Reverendo quodam Patre Capuccino. 516.

XXVII. Arthritis, tumor pedum, inflatio hypochondriorum. pro Viro Nobili. * 519.

XXVIII. Arthritis inveterata. pro quodam Viro Illuſtri. Ad Adolphum Occonem Medicum Auguſtanum. 526.

XXIX. Podagra. pro Ampliſſimo quodam Cancellario. 527.

XXX. Podagra. pro Reverendo quodam Patre Religioſo Capuccino 530

XXXI. Podagra. pro eodem Reverendo Patre Capuccino. 534.

XXXII. Contractura. Atque modus balneandi in thermis Ferinis propo thermas Cellenſes ſitis. pro Reverendo quodam Parocho. * 539.

XXXIII. Inſtructio ad thermas Hailbrunnenſes, tam intus quàm extrà adhibendas. pro Illuſtriſſimo Barone. * 542.

CON-

CONSVLTATIONVM ET RESPONSIONUM.

LIBER OCTAVUS.

DE FEBRIBVS.

CONSVLTATIO.

I. Febris tertiana intermittens ſpuria. pro Viro Nobiliſſimo Domino N. Ad Medicum ordinarium. 547.

II. Febris quartana. pro Muliere honeſta. * 548.

III. Hiſtoria de febri vaga erronea lenta cum corporis extenuatione, alijsque accidentibus permoleſtis & periculoſis. pro Fœmina Nobiliſſima Principe. 549.

IV. Febris acuta. pro Sereniſſimo Archiduce. Ad ejuſdem Archiatros. 554.

V. Febris continua maligna cum Paraphrenitide & ardore linguæ &c. pro Nobili quodam. Ad Clariſſimum Exlinum Medicum. 555.

VI. De Peſte, & remedio quodam euporiſto. 556.

VII. Cura præſervatoria in peſte. 556.

Benevole Lector.

Antequam ulteriùs pergas, amicè rogaris; ut pauculos ſequentes doſium errores ſuis in locis corrigas, ne dein, quod facilè fieri poteſt, in lectura inſcius turberis.

Pag.58. *lin.19. Cinnamomi an* ʒß. *lege* ℈ß. *Pag.70. lin.* 15. *Mannæ* ℥ij. ijʒ. *lege* ℥ij. ʒij. *Pag.253. lin.* 24. *Diatrion Santal. an.* ʒßj. *lege* ʒß. *Pag.255. lin.* 16. *Agarici præparati* ʒvjß. *lege* ʒjß. *Pag.* 303. *lin.* 32. *Oxymellis ſimp.* ʒß. *lege* ℥ß. *Pag.* 350. *lin.* 38. *Salis* ℥ß. ʒj. *lege Salis* ʒß. *vel* ʒj. *Pag.* 393. *lin.* 29. *Malvæ an.* ℥ß. *lege* ℥jß. *Pag.* 410. *lin.* 2. *inciſarum an.* ʒß. *lege* ℥ß. *Pag.* 416. *lin.* 30. *Mannæ* ℥ß. *lege* ℥ijß. *Pag.* 448. *lin.* 36. *Liquiritiæ.* ʒß. *lege an* ℥ß. *Pag.* 533. *lin.* 7. *conquaſſatæ* ʒij. *lege* ℥ij.

CONSULTATIONUM ET RESPONSIONUM
LIBER PRIMUS
DE
MORBIS CAPITIS HUJUSQUE PARTIUM.
CONSULTATIO I.
PORRIGO CAPITIS, ET FACIEI, ANTIQUA.
PRO VIRGINE NOBILI.

QUandoquidem ante annos complures, mentem meam de hoc affectu aperui longo ſcripto, paucis modò ad illorum confirmationem, illa conſignabo, quæ ad eradicationem mali pertinere videbuntur, ſuo tempore inſtituenda.

Primò, quandoquidem morbus ab impuris & corruptis humoribus oritur, neceſſarium eſt, ut per optimam diligentémque victûs rationem, proventus taliũ ſuccorum præcaveatur, ac paulatim purus, bonus, & ſubdulcis ſanguis generetur: nam niſi hoc fiat, de ſanatione nihil, aut certè nulla firmitudo ſperanda eſt. Quòd ſi verò Nobilis Virgo, regulis ex arte inſtitutis patienter ſe ſummiſerit, favente Numine, non tantùm paulatim evaneſcet affectus tam moleſtus, ſed tota morboſa complexio in meliorem mutabitur, & laudabilis ſubſequetur ſanitas. *Sanguinis impuritas ſcabiei cauſa.*

Cibi quinam vitandi ſint, Nobilis Virgo ſufficienter jam eſt informata; præſertim verò noxia ſunt omnia ſalita, multo aromate condita, acetoſa, craſſa, lenta, mucoſa alimenta: utpote caro ſuilla, bubula dura, fumo indurata, cervina, porcina, ſylveſtris, leporina, anſerina, anatina; item capita, pedes, inteſtina, hepar cor & ven- *Cibi noxij.*

triculus animalium plerorúmque. Inter piſces noxij ſunt carpio, tinca, cyprinus latus, barbus, aſellus marinus, paſſeres, halex, gambari, omnéſque alij, exceptis fundulis, lucijs parvulis, trutá, percâ, thymalo, rencâ, quibus raró tamen veſcetur. Nocent præterea olus acidum, rapæ omnis generis, lacticinia, caſeoſa, cicera, lentes, faſeoli, fructus horarij crudi, farinacea, in ſartagine frixa; admittuntur ſed raró uva pauca benè matura, ceraſa acida, pomum perſicum, ſed uti dictum, raró.

Diæta. Ordo, & modus ſumendi cibos obſervandus quoque eſt: Nam cibi molles, ut herbacea, pruna, & poma cocta, atque ex his paratæ pulticulæ, item ceraſa acida cocta, uvæ, præcedere debent alijs ferculis ſolidioribus ex carne &c: paratis. Ita & diverſitas ciborum quàm maximè nocua eſt in eadem menſa inſtituta; unde piſces & carnacea ſimul non apponantur; ventriculus copiâ cibi non oneretur; inter prandium & cœnam mora intercedat ſufficiens, & ad concoctionem neceſſaria; extra menſas nec de cibis nec de potu incongruo cogitet. Vitabit etiam hypocauſta calidiora, fumum, pulverem, ventos frigidos, rigore acres, Solis radios fervorémque, & nocturnum aërem. Animi affectus ac præſertim ira obeſt: nam hæc ſanguinem calefacit, & acuit; mœrores verò & triſtitia ſpiritus inquinant. atque hæc ſatis de diæta.

Cùm hepar, totáque maſſa ſanguinea, cutis etiam capitis affecta ſit, varia medicamenta ſunt neceſſaria, quorum ſequentia mihi laudarentur, & primò quidē elect. è Prunis tali modo paratum.

Elect. Diaprunis Mermanni.

℞. *Foliorum Senæ ſelectæ* ℥ij.
Zingiberis ʒj.
Cinnamomi,
Caryophyllorum ana ʒß.
Affundantur *aquæ fontanæ* ℥xx.
Vini Reinfalini ℥viij.

Coquantur ad conſumptionem medietatis, poſtea bene cooperta, ſtent per noctem in loco calido, manè colentur per linteum cum expreſſione forti. Dein accipiantur *Pruna optima* rejectis acinis ℥iiij, madefiant in dicta decoctione per horas tres vel quatuor. Contundantur & per ſetaceum traijciantur, ita ut pelliculæ remaneant, eo ferè modo, quo Caſſiam extrahimus. Pulpæ affundatur brodium ſeu decoctum remanens (nam pars decocti unà cum pulpa traijci poteſt.) addantúrque Sacchari ℥ij vel ℥iiß, coquantur in pulticulam, & ſervetur pro uſu. ſignetur Electuarium Diaprunis magiſtrale.

De hoc

De hoc electuario ſumantur ℥ij, in ſcutella parva calefiant parùm, inſpergatur momentum Sacchari & Cinnamomi, ac mox, antequam Nobilis Virgo ad prandium ſe diſponit, devorentur, ſuperbibendo juſculum carnis. Si exin alvus ſufficienter, circiter ter vel quater, laxatur, bene eſt; ſin minùs, altero die repeti poteſt electuarium, minori tamen quantitate. Poſt hæc, potiuncula præparans ad dies quinque repetenda; cui Nobilis Virgo, iterum ſemper ſuperdormire poterit.

Præparans Potio.

R. *Syrupi Fumariæ,*
Lupuli,
Cichorij,
Boraginis ana ℥ß.
Aquæ Fumariæ,
Boraginis,
Betonicæ,
Cichorij ana ℥j.
Miſce, & ſumat manè calidè.

His ita peractis, purgatio inſtituatur juxta præſentis Medici judicium. Talem ego propono.

R. *Mannæ electæ,*
Syrupi Roſati ſolutivi ana ℥j ʒij.
Diſſolvantur in ℥iij *aquæ Boraginis* addendo
Confectionis Hamech ʒiijß.
Miſce fiat potio.

Potio purgans.

Sed cùm neſciam, an facilè ſit mobilis Patiens? idcirco remitto me judicio præſentis Medici; judico tamen, neceſſarium eſſe, ut Patiens fortiori aliquo medicamento expurgetur. Quòd ſi pilulæ magis arrideant, tales parari ſuadeo, & quidem recenter, cùm vetuſtiores adhiberi nolim.

R. *Maſſæ pilularum Fumariæ* ʒß.
Aurearum ℈j.
Aggregativarum,
Cochiarum ana ℈ß.
Cum aqua Betonicæ
Miſce fiant pilulæ N°. viiij.

Pilulæ purgantes.

Accipiantur manè horâ quartâ, dein Patiens iterum dormiat ad ſextam uſque, ſuperbibendò horâ 9. brodium gallinæ. quòd ſi potio purgans lubeat; accipi debet horâ quintâ, manè, & ſomno denuo per horam unam indulgeatur. Interim poſt ſumptum electuarium Diaprunis,& antequã ſyrupis præparantibus utitur, ſanguis mittatur ex Mediana brachij dextri ad ℥viij vel ix; dumodo id vires perferant.

Sanguinis miſſio.

Corpore ſic purgato, ſuaſor ſum, ut acris & ſeroſa humiditas exſiccetur, atque expurgetur ſuavi aliquo decocto ſudorifero, in hunc modum concinnato.

Decoct. ſudoriferum.

R *Radicum Chinæ ſelectæ incisæ* ℥j.
Salſæ pariglia vino purgatæ à pulvere, & contuſæ ℥jß.
Saſſafras limati ʒjß.
Infundantur in menſuris quatuor, ſeu libris duodecim *aquæ fontis*, ſtent clauſo optimè vaſe horis 24. coquantur poſtmodum carbonum lento igne, ad conſumptionem medietatis. remotum ab igne & refrigeratum reponatur in locum tepidum, priùs tamen bene percolatum.

De hoc decocto, Nobilis Virgo manè bibet ℥ix circiter benè calidas, & poſtea ſudori indulgebit horis duabus. in menſa eodem decocto utetur. continuabítque hanc curam per dies viginti quinque vel triginta, in conclavi tepido, & ab omni aëris injuria ſemoto.

Cibus valde frugalis ſit: in prandio quarta parte caponis, aviculâ unâ, in cœna ovo recenti ſorbili, & aliquot prunis, aquâ & ſaccharo coctis contenta erit, additis paucis Amygdalis depilatis, & Uvis paſſis majoribus, nec non moderata quantitate panis albi, vel panis biſcocti. Menſam claudet miva Cydoniorum. Si vires ferant, ad veſperas ſumpto hauſtu ſudorifero denuo per horam ſudabit. ubi notandum, hanc aquam ſingulis diebus recenter eſſe coquendam; nam facilè aceſcit; quapropter aliquot vaſa parentur intus vitreata, & colli anguſtioris, capacia quinque menſurarum & paulò ampliùs, ne ebulliente decocto, aqua calore rarefacta facilè effluat.

Mediâ curâ peractâ, intermiſso uno die ſudore potiuncula purgans paretur.

Potio purgans.

R. *Mannæ electæ* ℥ijß.
Diſſolvatur in decocto ſequenti.
R. *Paſſularum minorum* ℥j.
Liquiritiæ,
Polypodij ana ʒjß.
Aniſi ʒj.
Foliorum Senæ ſelectæ ʒiij.
Zingiberis ℈ß.
Florum Boraginis,

Florum,

Florum Bugloſſæ,
Violarum,
Roſarum ana p j.

Coquantur in ℥x *aquæ* ad conſumptio-nem ferè medietatis; ſtent per noctem, manè colentur, & addatur *Manna*, uti dictum.

Hæc potiuncula exhibeatur manè calidè, repetatúrque, poſt-quam cura ſudorifera peracta eſt; mutari, vel moderari poterit, pro præſentis Medici judicio. Quòd ſi durante curâ ſudoriferâ alvus pigrior eſſet & conſtipata, nec clyſmate (ita ſuſpicor) uti vellet, electuario ſupraſcripto Diaprunis juxta Medici ordinarij conſilium utatur.

Hiſce corpus ſufficienter fore exſiccatum ſpero, atque à pra-vis & acribus humiditatibus liberatum. attamen ſi etiamnum reli-quiæ præſertim in capite, pertimeſcantur; veſicatoria propono ad ſcapulas verſus nuccham bina, item in ambobus brachijs ſupra cu-bitum, (ubi aliàs ſcarificationes fiunt.) apponenda ad noctem, & ne decidant, faſcijs deliganda; manè veſiculæ forfice aperiantur, & butyro, uti fieri ſolet, recenti dulci perſanentur. Veſicatoria.

Thermas quod attinet, non video, quomodo rebus ſic ſtan-tibus prodeſſe poſſint: ſanguis etenim impurus facilè accenditur, ex quo febris, cachexia, icteritia, aliáque incommoda ſuſcitantur. Verùm peractis purgationibus, curáque ſudoriferâ, thermæ Wem-bdingenſes non diſplicerent, utpote quæ cutem extergunt, ſiccant. Thermæ. interim thermæ adhibendæ non ſunt, niſi debitâ victûs ratione in illis obſervatâ, & priùs Nobilis Virgo, per tres ſaltem ſeptimanas, poſt curam ſudoriferam, quieſcens vires reſumpſerit; tunc repetitâ adhuc ſemel potiunculâ purgante, illis uti poterit; ſedulò cavendo, ne alvus balneando fiat maneátque adſtrictior.

Quòd ſi verò ad ſudoriferam curam (in quâ equidem magnam ſpem repono.) Virgo perſuaderi non poſſet, ſed thermis tantum-modo uti vellet, neceſſarium erit, ut poſt electuarium Diaprunis ſumptum, ſyrupos præparantes quinquies repetat (ac venâ ſectâ, uti ſuperiùs diximus) vel pilulis vel potione expurgetur; dein iterum ſyrupos quinquies vel ſexies repetat, ac denuo purget, ita, ut corpus ſufficienter perpurgatum, ſecurè thermis immergi poſſit.

Inter topica, quæ varia hinc inde afferuntur, placerent mihi ſequentia. lixivium nempe & unguentum. lixivium ita parabi-tur.

Lixivium.

R. *Foliorum Betæ,*
Radicum Althææ,
Lupinorum ana q.ſ.
Coquantur *in lixivio communi*, addendo parùm *Vini albi & Mellis.*

Hoc lixivio ſingulis diebus lavetur caput (peracta ſcilicet corporis expurgatione) vel, dum in thermis verſatur, aquâ thermali. ac poſt lavationem ſequenti unguento illiniat.

Unguentum.

R. *Amygdalarum amararum parùm torrefactarum in ſartagine* ℥v.
Nucleorum Nucis juglandis ſiccorum, ſed oleaginoſorum N°. XXV.
Sulphuris ℥ß.
Vitrioli ℈ij.
Contundantur omnia in pulverem, addendo
Oxymellis ſquillitici ℥ij.
Olei Nucis ℥iij.
Miſce; fiat unguentum.

Monachij 1587. 4. April.

NB. *Eodem anno, menſe Maij, reſcriptum à Medico Ordinario, hanc curam eſſe peractam, & non tantùm purgationem, ſed & curam ſudoriferam exactè inſtitutam, lixivium, unguentum adhibitum cum optimo effectu. ita ut facies & caput ſine omni labe appareant. quæſitum proinde, an & thermæ ſint adhibendæ? Reſponſum eſt à Mermanno, quandoquidem Virgo ita bene ſe habeat, abſtinendum & exſpectandum tempus Autumni. quo, ſi malum repullulârit, thermas adhiberi poſſe.*

CONSULTATIO II.

CAPITIS DOLOR OBTVSVS

PRO

VIRO ILLUSTRI.

ILluſtris ac Generoſus Dominus Baro à Bolvvril, Ingolſtadij præfectus, ab annis plùs minùs ſex, ſed à biennio maximè, affectu quodam, in dextra parte capitis laborat; quem inquit, propriè dolorem vocari non poſſe; ſed potiùs moleſtiam quandam, cum anxietate ſeu timore, & neſcio qua evaporatione, vertiginis inſtar, licet neque illa vera ſit vertigo, atque

atque hoc ſymptoma patitur potiſſimùm, cùm vel animi moleſtiâ afficitur, vel in profundis cogitationibus verſatur, rerúmque arduarum tractatione eſt occupatus. Intermittit interdum affectus octiduum, circa novilunium graviùs ferè affligens. Abſtinet à vino Illuſtris Dominus circiter 14. annos, non quòd abſtemius ſit, ſed propter caliditatem, quam, cùm vinum biberet, in toto corpore percipiebat, maculis rubris ac latis undique erumpentibus. Remedia petit Illuſtris Dominatio Sua ad hujus mali propulſionem, timens ſibi ab apoplexia, quâ etiam parens ejus, & patruus, ambo ſenes, ſunt extincti. Hiſtoria.

Priusquam ad affectus hujus curationem accedamus, quæ mea ſit de ejus eſſentia & cauſis ſententia, paucis exponam. Primùm arbitror ego, moleſtiam hanc, quæ verbis exprimi commodè nequit, ſub nomine doloris hebetis & obtuſi comprehendi; cúmque ſymptoma, hoc eſt, morbi alicujus effectus ſit, ad levem continui ſolutionem ab humore pituitoſo, ac fortè etiam melancholico factam referri tanquam ad cauſam ſuam, veriſſimè poſſe. Porrò materiam hanc neque calidam neque admodum frigidam eſſe, cùm hæ qualitates ob inſignem in agendo efficaciam inſignes quoque dolores inferant, ſed lentore duntaxat & craſſitie peccare, impactam ſcilicet dolentis loci venis obſcuro ſenſu præditis, rationi conſentaneum eſt. Affectum autem intra cranium conſiſtere, ex eo liquet, quòd neque tactu deprehendatur, neque preſſu exacerbetur. Vtrum verò ex idiopathia caput infeſtetur, an potiùs ſympathiâ, ſeu ſubjectarum partium noxâ, definire non æquè eſt facile. Ipſe quidem Generoſus Baro de nullo alio præter naturam affectu conqueritur, ſibíque de cætero ſanitate planè integra frui videtur; cùm & cibum appetat, & concoquat, ac ſomnum capiat placidum, nulliúſque coctionis læſionem effatu dignam perſentiat. Ego verò, etſi chronici hujus mali cauſam in capite eſſe non diffitear, exiſtimo tamen, id à cacochymia corporis, crudioréque ſanguine à natura ad caput, ceu partem humidiore ſucco nutriri ſolitam, per venas tranſmiſſo foveri. Hoc facilè concedet, qui diligenter, quod Hippocrates faciendum monebat, conſiderare velit: num corpus hoc ſibi ſimile adhuc, an potiùs temporis ſucceſſu aliqua in parte diſſimile redditum ſit. Cauſa. Locus affectus.

Vixit Illuſtris Vir diu ſub cœlo frigido, à vino multos annos abſtinet, aquam crudam bibit, cibum ſumit copioſum, à nullo abhorrens, quo populus utatur: exercitia corporis ſæpe ſæpius negligit, curis & ſerijs negotijs obrutus: cùm ex adverſo in regione natus ſit, & educatus temperatiore, vitam olim hilarem egerit, vinum biberit; quis dubitat per tantam vitæ mutationem corpus à priſtino ſtatu receſſiſſe, Signa doloris per conſenſum.

receſſiſſe, ac calorem nativum non nihil hebetari, minuíque cœpiſſe ? unde chylum & ſanguinem pituitoſum ac craſſum gigni neceſſum fuerit ? A partibus igitur naturalibus & præſertim venoſo genere, alimentum cerebro crudum ac ſubfrigidum ſuppeditari, idque à cerebri calore non ſatis exactè confici, jure ſuſpicor. Huc accedit, quòd vel ob meatuum anguſtiam vel excrementorum craſſitiem, parùm valde è naribus emungi poſſit.

Alvi conſtipatio & tarditas, capitis morbis quàm maximè officit.

Alvi deinde in deponendis fæcibus ignavia ac tarditas, quam Dominus Baro aſſiduè ferè experitur, quantopere omnibus capitis morbis incommōdare queat, illi non ignorant, quibus compertum eſt, nullam pœnè totius corporis partem, recipiendis vaporibus aliisque injurijs, ita ut caput, eſſe opportunum. Mirum igitur videri non debet, ſi exſpirante ex ſubjectis partibus ad caput vapore aliquo, vel per cogitationes graves & moleſtas, revocatis ad interna ſpiritibus & humoribus, vel jisdem

Animi pathemata humores commovent, uti à ventis agitantur aquæ.

per animi pathemata (uti aquæ à ventis agitantur) commotis in ea parte capitis, cui humorem craſſum inhæreſcere diximus, dolor aliquis concitatur, & vertigini ſimilis aliquis affectus progignitur. Cæterùm, quòd ſymptoma hoc in novilunio potiſſimùm exacuitur, id quoque pituitoſo atteſtatur humori, ſi verum eſt, quod Aſtro-

Cur ſilente Luna moveantur humores & cumulētur?

logi docent, ſilente nimirum Luna, ob Solis abſentiam, aërem frigidiorem & humidiorem reddi, in noſtríſque corporibus ſimiliter affectis, tales humores multiplicari & moveri. Quòd ſi quis obijciat in plenilunio omnia ſuccis turgere, ob idque tunc pituitam in nobis redundare ? huic cum Viris doctiſſimis reſpondemus, à Luna plena nativam quidem humiditatem adaugeri, ut in fructibus, cancris, alijsque cruſtaceis apparet; at in novilunio, cùm Luna, qua parte nos reſpicit, nihil luminis habet ac vigoris, aërque naturâ ſuâ frigidus à Sole non immutatur, excrementitios potiùs humores procreari. His igitur ita conſtitutis, omiſsáque ſupervacanea plurium ſignorum enumeratione, tempeſtivum eſt, ut ad ipſam curandi rationem, quam in hac florenti ætate non admodum difficilem fore ſperandum eſt, accedamus.

Indicationes.

Opera igitur in curatione hac præſtanda, ſeu curativæ (ut vocant) intentiones hæ ferè ſunt. vacuare ſcilicet humorem in capite præter naturam collectum, cúmque is à totius corporis cacochymia ceu fonte quodam dependeat, totum corpus à vitioſis ſuccis ante omnia repurgare, deinde calorem nativum, ne nova materia coacervetur, roborare. Ut verò ad ſingularia deſcendamus, primùm accurata victûs ratio erit inſtituenda. Aër frigidus, ventíſque expoſitus, fugiendus. In cibis vitanda omnia, quæ & difficulter concoquuntur, & craſſum frigidum excrementitiúmque ſuccum præſtant: inprimis verò piſcium crebrior uſus, omnia

paſtilia,

paſtilia, lacticinia, caſeus, legumina, acetaria cruda; in potu, ſi ad vinum redire nolit, aqua cruda cocta cum Cinnamomo & pauca Galanga ſubſtituenda. Somnus diurnus, ut qui caput valde repleat, colloquijs alijsque modis pellendus. Exercitio corporis haud parùm adijciendum, animi detrahendum; hilaritati, fugatis curis, quantùm id fieri poteſt, ſtudendum. Alvus emollientibus ac modicè detergentibus cibis, alijsque pòſt dicendis auxilijs, laxanda. Victus ratio.

Ad Chirurgiam quod attinet, probatur mihi ſanguinis miſſio ex dextri brachij vena baſilica, vel media: verùm cùm eam tantopere averſetur Generoſus Dominus, ipſius loco ſcarificari dorſum, ſcapulæ & humeri, ſex affixis cucurbitulis, poterunt: idque evacuationis genus, ſed parciùs, aliquoties in anno repetere, non erit inutile. Iisdem quoque in locis cum fructu haud pœnitendo veſicæ per cantharides fermento ſubactas, excitabuntur, bis in anno, tempore nimirum Verno, atque Autumnali, corpore priùs ritè evacuato. atque hæc de Chirurgia. Chirurgia.

De medicamentorum uſu ita ſentio, Iluſtri Domino univerſalem (quam vocant) eamque exquiſitam corporis evacuationem, hoc ipſo anni tempore, hunc ferè in modum præſcribendam. Primò ad ventriculi inteſtinorúmque exterſionem talis porrigatur bolus. Pharmacia.

℞. *Pulveris Senæ Montagnanæ* ʒj.
Specierum Hieræ ſimplicis ʒij.
Miſce. *cum aqua Cinnamomi* f. bolus.

Qui nebulis involutus, duabus horis ante prandium devoretur. ſequenti triduo vel quatriduo

℞. *Oxymellis ſquillitici* ℥jß. Syrupus præparans.
Mellis Roſati colati ℥ß.
Miſce.

Juſculo pulli diluantur, & in aurora bibantur. Inde hæc catapotia ſummo manè deglutienda.

℞. *Maſſæ Pilularum Cochiarum* ℈iiij. Pilulæ.
F. Pilulæ N°. XV. deaurentur.

Si inde evacuatio, quæ præſenti Medico ſatis videbitur, ſequatur, in craſtinum ʒj Theriacæ veteris, ſex horis ante prandium, offeratur.

His peractis, ſi thermales aquæ, quas Florentini Tettucio appellant, ad manum eſſent, mirificè ad partes naturali facultati dicatas, detergendas, ſiccandas, ac roborandas conferrent, ſex vel octo diebus potatæ. has ſubſequi poſſet ſudorifera curatio per decoctum ligni Quajaci & Saſſafras, cum victu frugali, & cuſtodia, accedente Clariſſimi D. Menzelij vel alîus Medici conſilio, inſtituta. Dum hac uteretur Dominus Baro, deterſo manè ſudore, tribus vel quauor Aqua de Tettucio.

 diebus,

diebus, Maſtiches grana aliquot circiter horæ ſpatium, ad pituitam è capite detrahendam, in ore continebit, mandens ea aſſiduè. Dolentem locum ad materiæ digeſtionem, partisque corroborationem, fovebit ſtupâ intinctâ oleo, cui Serpyllum, Origanum, Mentha, Roſmarinus, Majorana, Stœchas, Ruta, baccæ Lauri, & id genus alia ſint incocta, addito, ſi opus ſit, Euphorbio. Probarem, ut morſulos in uſu familiari haberet ſic paratos.

Morſelli caput corroborantes ſiccantes.

℞. *Cinnamomi electi,*
Zingiberis albi ana ℥j.
Caryophyllorum ʒij.
Galangæ,
Piperis longi ana ʒijß.
Cardamomi ʒj.
Nucis moſchatæ ʒiij.
Macis ʒj.
Radicum Ireos Florentinæ ʒij.

Omnia craſsè incidantur, deinde

℞. *Harum ſpecierum* ℥jß.
Sacchari albiſſimi ℔j.

Fiant morſelli ſ. artem. pondere ʒvj. vel ℥j.

Ventriculum calefacient, & eundem unà cum capite roborabunt; id quod & ſequens electuarium poterit præſtare.

Conſerva corroborans caput.

℞. *Conſervæ florum Roriſmarini,*
Salviæ,
Betonicæ,
Florum Paralyſeos.
Boraginis,
Roſarum ana ℥j.
Corticum Citri Saccharo conditi & inciſi ʒx.
Zingiberis conditi inciſi ℥ß.
Nucis Moſchatæ Indicæ interioris inciſæ ʒij.
Caryophyllorum inciſorum,
Raſuræ Eboris ana ʒj.
Specierum aromaticarum Roſatarum ʒij.

Cum *jure Citri conditi* fiat mixtura inſtar opiatæ, de qua ſemiuncia, jejuno ventre, aſſumatur.

Ad alvi conſtipationem pituitoſorúmque humorum ſaburram præcavendam, præter emollientes cibos ex uſu interdum eſſe poterit clyſter aliquis domeſticus, ex jure carnis, Saccharo & butyro. Interdum aliquid pulveris Senæ Montagnanæ in juſculo carnis ante prandium aſſumptum, vel pilulæ Aloëticæ, ut ſunt Maſtichinæ, Aloëphanginæ, de Hiera ſimplici Galeni, vel hoc, quod ſequitur, palato haud ingratum remedium.

R. *Fol.*

R. *Foliorum Senæ ſ.ſt.* ℥ij, *vel* ℥iij.
Cinnamomi,
Caryophyllorum ana ʒi.
Zingiberis ʒii.

Affunde *aquæ fontis* ℔ij,coque ad ℔j conſumptionē. ſtent in loco tepido, per noctē, manè colentur, in colaturæ ℥x infunde per horam, *Prunorum dulcium* exoſſatorum ℥iiiiß, contundantur *Pruna*, & cum dicta colatura pulpa extrahatur, cui adde
Sacchari ℥iiß.

Coquantur ad formam loch, vel electuarii, addendo in fine *pulveris Cinnamomi acuti* ʒi. doſis eſto ab ℥i ad ℥ii cùm iam ad menſam accedit.

Hæc ſunt, quæ ad valetudinem huis Illuſtris Viri reparandam, à majoríque malo præſervandam, in mentem venêre. Monachij 30. April. 1590.

CONSULTATIO III.

CAPITIS DOLOR INVETERATUS, ET DEFLUXIONES PERPETUÆ.

In Virgine.

AD VIRUM NOBILEM.

*

AFfectum, quo Dominationis tuæ filia jam diu detinetur, examinavi diligenter; dependet ille ex impuritate totius corporis, & humiditate pluſcula ipſius capitis. Sperarem, ſi Patiens in ædibus meis Monachii aliquamdiu commoraretur, fore ut ex toto, aſpirante Numine, curari poſſet. Indiget curâ ſudoriferâ leviuſculâ; corpore tamen, uti decet, priùs bene repurgato; in hunc finem ſuadeo omnium primò, ut duo cochlearia ex electuario tranſmiſſo, alvum emolliente, aſſumat, ſuperbibito iuſculo carnis aliquantum.

R. *Electuarij Diaprunis ſolutivi* meæ deſcriptionis ℥vj.
Detur ad vas fictile.

Quòd ſi alvus exin non ſolvatur, repeti eâdem quantitate poterit poſtridie, vel, ejus loco, clyſma domeſticum inijci; uti

iam notum. Pro deterſione & præparatione materiæ pituitoſæ viſcidæ, ſequens ſyrupus per quatriduum aſſumendus.

R. *Mellis Roſati ſimplicis*,
Oxymellis ſimplicis ana ℥iij.
Miſce.

Dividatur in quatuor partes æquales, quarum quælibet, ſingulis diebus, in ſufficienti quantitate brodij carnis diſſoluta, manè aſſumatur calidè; &, ſi fieri poſſit, patiens ſuperdormiat pro lubitu; ita tamen, ut horæ ad minimum quatuor, poſt aſſumptionem ſyrupi, ad prandium uſque conſuetum intercedant. quo facto, talis potio purgans præparetur.

Potio purgans.

R. *Foliorum Senæ* ʒiij.
Agarici ʒij.
Zinziberis ʒj.
Seminis Aniſi ℈iß.
Florum cordialium ana Pj.
Miſce.

Bulliant in brodio gallinæ aliquantulum, ad conſumptionem circiter tertiæ partis; ita ut remaneant ℥iiij, vel v. permittantur inde omnia in infuſione per noctem, manè factâ colaturâ addatur
Mannæ electæ ℥jß.
Fiat denuo colatura, ac tandem diſſolvatur
Mellis Roſati ſolutivi ℥j.
Et fiat Potio, manè aſſumenda calidè; ſuperbibatur, poſt horas duas, juſculum pulli.

Hiſce, uti ſpero, ſufficienter expurgato corpore, cura ſudorifera inſtituatur, modo ſequenti.

R. *Chinæ ſelectæ in taleol. inciſæ* ℥ij.
Medullæ Ligni Sancti raſpati ℥j.
Ligni Saſſafras ℥ß.
Miſce ad ſcatulam.

Sudorifera cura leviuſcula.

De his accipiantur ʒiß, indantur vaſi terreo & vitreato colli anguſti, poſtea affundatur Menſura dimidia Monacenſis, ſeu, quod idem eſt, libra una & ſemis medicinalis aquæ communis ferventis. ſtent omnia per noctem in cinere calido, obducto & bene clauſo vaſis foramine: manè coquantur igne puro ad conſumptionem medietatis; & fiat decoctum ſudoriferum. de quo patiens horâ ſextâ matutinâ ℥vij aſſumat, & ſudet in lecto, horâ unâ, vel, ſi vires ferant, etiam cum dimidia. Sudore peracto, linteíſque calidis bene deterſo, recenti lecto ſeſe committat, ac quieſcat. Pro

Pro potu ordinario ſequentia inſerviunt.

℞. *Medullæ Ligni Sancti raſpati* ℥vj.
Radicum Liquiritiæ inciſæ ℥j.
Miſce ad ſcatulam.

De hac mixtura infundantur ℥iij. per noctem in *lib.* VI. *aq. comm.* manè fiat coctura lenta, in olla terrea vitreata cooperta, ad conſumptionem tertiæ partis, ſub finem addendo

Seminis Aniſi ℈ij.
Cinnamomi ℈j.

Cibus ſit pullus aſſus, vel ſubinde elixus, avicula aſſa, contuſum ex carne, panatella ex juſculo pulli & pane parata, ſpinachia, pruna cum ſaccharo & aqua cocta: lacticinia verò & paſtilia, aliáque ejus generis, omnino prohibentur. Alvus ſingulis diebus correſpondeat, ſecus ſi fiat, clyſmate aliquo domeſtico, vel electuario ſuperiùs aſſignato, cochleari uno alteróve mox ante prandium aſſumpto, ſollicitanda. imò ſuaſor ſum, etiamſi alvus debitò ſit aperta, ut pro meliori corporis expurgatione ſingulis ſeptimanis ad minimum ſemel, bis, prædicti electuarij aſſignatam devoret quantitatem.

Atque hæc tam in purgatione, quàm ſudore per viginti circiter & ampliùs dies obſervata methodus non dubito, quin optimè Dominationis tuæ filiæ ſit profutura; expellendo ſcilicet pravas & ſuperfluas è corpore humiditates, deſtillationéſque capitis perpetuas abſumendo; attamen diligenter obſervandum erit, ut, ſi fortè Patiens incaleſceret, aut fieret ſiticuloſa, ab hac cura ſudorifera mox abſtineat; ac proinde ſedulò caveat, ne ultra vires ad ſudores ſeſe cogat.

A cura ſudorifera, ſi ſitis vel incaleſcentia accedat, abſtinendum.

Quòd ſi porrò contingeret, ut cura hæc ſudorifera optatum finem non aſſequeretur; ſuadeo, ut veſicantia prope nuccham denuo apponantur, duo ex utraque ſcilicet parte, magnitudine mediocri. Interim herbas & flores pro duobus ſacculis ſubmitto, calidè ſubinde capiti dolenti imponendis.

℞. *Florum Sambuci*,
Meliloti,
Herbæ Origani,
Betonicæ ana Mij.
Miſce.

Impleantur duo ſacculi lati, ita ut capiti dolenti quadrent. horum unus calefiat in vini albi, & *aquæ florum Sambuci* ana q. ſ. leviter inde expreſſus capiti admoveatur calens: ubi frigeſcere incipit alter eodem modo paratus ſubſtituatur. Hæc ſunt, quæ

raptim pro ſalute chariſſimæ filiæ Dominationis tuæ conſignavi; plura exhibiturus libenter, ſi ſucceſſum horum medicamentorum, ſuo tempore, reſcivero. Monachij 22. Julij 1587.

NB. *In hoc Conſilio defuêre medicamenta, ſeu, uti vocant, Recipe. nempe Electúarium laxans: Syrupus præparans: Species pro infuſione potionis purgantis: Ligna ſeu ingredientia pro cura ſudorifera, uti etiam pro potu ordinario: ac tandem Species pro ſacculo capiti imponendo. Interim tamen ſpero, ea ferè me ſubſtituiſſe, quæ Mermannus aliàs in ſimilibus præſcribere ſolitus eſt.*

CONSULTATIO IV.

CEPHALÆA SÆVA, CUM SUTURÆ CRANIJ QUADAM DISTRACTIONE.

PRO FOEMINA ILLVSTRI.

Ad Medicum quendam doctiſsimum.

NEſcio plúsne jucunditatis an doloris tuæ mihi litteræ doctè & amanter nuper ad me ſcriptæ attulerint; delectârunt quidem illæ me non mediocriter, ob memoriam mei, quam apud te ſupereſſe declarant; quòd verò fidâ tuâ vitæ ſociâ amiſsâ, viduum factum, ſimúlque valetudine non ſatis firma uti ſignificant, permoleſtum mihi fuit intelligere, tibíque ex animo condoleo, Viro eximiæ eruditionis ac probitatis fortunáque meliore longè digniſſimo. Ego quoque valetudine ſum pertenui, & curis ac laboribus, quos ſuſtineo, ferè impar. Verùm ut hæc finem aliquando habebunt, ita ad cœleſtia ac perpetua bona, quæ bonos omnes manent, aſpirare nos docent. atque hæc hactenus. Venio ad caſum in ſecunda epiſtolæ tuæ parte propoſitum, qui & rarus admodum eſt, & difficultate non caret. ego, etſi quæ ad ejus exactam notitiam requiruntur, perſpecta non habeo, ac proinde certi aliquid definire de illo non poſſum, paucis tamen, quando hoc tempore, ad vos excurrere non licet, meas de tota re cogitationes tibi, ut Illuſtris Domini præſidis voluntati morem geram, declarabo.

Affligitur

Affligitur Illuſtris Domina ingenti Cephalæâ, à vertice ad occiput magis, quàm anteriores capitis partes vergente; quæ uſque adeò ſæva fuit, ut cranij futuram aliqua in parte diſtraxerit. Dolor hic cùm ſymptoma ſit, ad certúmque morbi genus pertineat; mihi referendus videtur ad capitis intemperiem humidam cum materia pituitoſa multa, vapores ac flatus aſſiduos ſuſcitantem; qui multa ac diuturna tenſione continuitatis ſolutionem facilè progignant. Intemperiem verò hanc in primis qualitatibus potiſſimùm non conſiſtere, atque præterea ſecundarium capitis morbum eſſe, origine ſua ac rudimentis magna ex parte ab utero acceptis, minimè dubito, ſequentibus adductus conjecturis: Primùm quòd manifeſti vel caliditatis vel frigiditatis exceſsûs notæ à te nullæ præſcribuntur; quamvis dolorum quidem diuturnitas materiæ frigiditatem ac lentorem, vehementia verò atque acerbitas ejuſdem acritudinem aliquo modo arguat. Vapores autem ac flatus copioſos produnt, tum ingens diſtenſio illa calvariæ futuram divellens, tum tumor aliquis partis ſubitò apparens, atque mox iterum evaneſcens. Utero verò antecedentem cauſam adſcribere me cogit, tum quòd dolor ad occiput deſinit, quo in loco magnum cum cerebro conſenſum uterus habet propter ſpinalem medullam, cui validis ligamentis eſt annexus, tum verò quòd menſibus, dum prægnans eſſet, penitus (uti fas eſt) ſuppreſſis, poſt partum verò parciùs quàm par erat fluentibus, graviùs fuerit conflictata; in puerperio repurgato utero, ac poſtmodum, ſi quando menſes rectiùs fluxiſſent, meliùs habuerit. poſſet quidem ex vomitionibus illis moleſtis, quas, dum utero geſtaret, patiebatur, ventriculi intemperati atque imbecillioris ſuſpicio haud immeritò oriri, cujus conſenſu cum capite per ſextam nervorum conjugationem malum & procreatum eſſet, & majore ex parte foveretur; verùm licet id nullo pacto planè negaverim, potiſſimam tamen vomitionum illarum cauſam, in menſtrui ſanguinis retentionem reijciendam eſſe cenſeo. Cur verò ità ſentiam, movet me, quòd Domina Comitiſſa, antequam conciperet, ejuſmodi vomitionibus divexari non conſueverit, ut eas ab utero provenire facilè ſit videre. Qua verò ratione id fiat? oſtendere non eſt difficile; cùm fœtus in utero primis menſibus perpuſillus, ac paucâ egens alimoniâ, ſanguinem aliàs ſingulis menſibus vacuari ſolitum, atque in hoc ætatis flore ſatis fortè abundantem abſumere non potuerit, neceſſium fuit, ſanguinis maſſam in toto venoſo genere, atque circa hepar, in ipſiſque Meſaraicis redundare, chyloſique ſucci attractionem ſegniorem reddi, ipſúmque ventriculum ſuperfluitatibus impleri: unde mirum non eſt, Naturam ſatis validam onus hoc vomitu deponere quotidie tentâſſe. Scribis præterea, ex inconvenienti

Cranij diſtentionis cauſa videtur flatus

Capitis dolor in occipite, ab utero ſubinde dependet.

Vomitûs in prægnantibus? cur contingat;

venienti victûs ratione Dominam in menſium ſuppreſſionem inci-diſſe; hinc ſanguinem crudis ac pituitoſis ſuccis refertum eſſe col-ligo, cujus portio ad uterum delata venas ejus obſtruxit; qui verò nutriendo cerebro deputatus per venas jugulares demandatur, cùm crudior exiſtat, quàm ut à calore imbecilliore poſſit evinci, capite excrementis repleto, defluxionibus aſſiduis materiam ſuppeditat.

Caput ob cruditates excrementis repletum, defluxionibus obnoxium eſt.

In mentem etiam hoc loco mihi venit, quod Hippocrates tradit, *caput* ſcilicet *à natura ventri, inſtar magnæ cucurbitæ eſſe ſuperpoſitum*, ac propterea humores aquoſos & pituitoſos à ventriculo & ab omnibus partibus infernis attrahere: fieri itaque poteſt, quòd venæ capitis in Illuſtri hac Domina multo aquoſo, quo corpus totum ſcatet, humore impletæ & oppreſſæ, eum, cum lubricus ſit, effu-derint; (*venarum vomitum* Hippocrates vocat) quemadmodum in Hydrocephalo morbo infantibus infeſto ſolet accidere. Hinc hu-mor vel copiâ ſuâ, vel in flatus craſſiores magna ex parte reſolutus, primùm inſignem dolorem in cerebri membranis excitâſſe, ac tan-dem futuram cranij valida ac longa diſtenſione nonnihil dilatâſſe cenſendus eſt; præſertim accedentibus alijs quoque vaporibus ex utero impuriore ad caput continuò ſublatis. Atque hæc ſunt, quæ mihi de affectûs propoſiti eſſentia, & cauſis, in præſenti in medium afferenda occurrunt, quibus ut veritati conſentaneis ſuppoſitis (licet abſens id planè affirmare non auſim) quæ mea de curatione longè profectò difficillima, ſit ſententia, omiſſis ſcholaſticis, aliſque parergis, breviſſimè ſubijciam.

Caput inſtar cucurbitæ ab omnib9 infernis partibus attrahit.

Defluxiones ab Hippocrate vocantur, venarum vomitus.

Primùm inſtituta exacta vivendi ratione, vino imprimis in-terdicto, cùm in omni ſævo capitis dolore noxium ſit, niſi ventri-culus debilior moderatum ejus uſum concedere cogat, corpus univerſum idoneis medicamentis; habita ſemper virium ratione, exquiſitè vacuandum, atque inde ad medicamentum aliquod con-fugiendum cenſeo, quod & ſecundarium capitis morbum, & pri-marium tanquam hujus ſcaturiginem, tollere uno tempore fortè poſſet. Primarius morbus eſt venarum uteri obſtructio, crudo-rúmque humorum in ſanguine redundantia. Secundarius repletio capitis ab ejuſdem humoribus cum flatibus multis craſſis atque ægrè reſolubilibus. His malis profligandis auxilij non parùm, meo ju-dicio, adferre poterit ſudorifica cura, ex decocto ligni Saſſafras dicti: id enim & humores attenuabit, attenuatóſque per cutis ſpi-racula vacuabit, obſtructiones tollet, menſes expediet, uterum, ventriculum, atque adeò ipſum caput morbi diuturnitate debili-tatum roborabit. Hoc remedio, obſervatis obſervandis, ritè uſur-pato, vertiginem, graviſſimúmque capitis dolorem in Nobiliſſima Matrona perſanatum memini, quemadmodum & Salſæ Parillæ uſu in-

Capitis dolor ſævus, vinum non admittit, niſi ventriculo debiliori, ubi moderatus cõceditur uſus.

Saſſafras decocti eximiæ vires in vertigine & capitis dolore.

uſu inveteratos capitis dolores, ac ſurditatem, non ſemel felici ſucceſſu finivi; hæc igitur radix, vel ejus loco China, ligno Saſſafras, ſi id vi ſua calefaciente ac ſiccante ſuſpectum eſſet, ſubſtitui, vel ex omnibus tribus miſcella temperamento huic conveniens componi poſſet. Hæc dum peraguntur, interea venter niſi ſponte fluat, clyſteribus domeſticis, tum leni aliquo medicamento per os aſſumpto, cujuſmodi Aloëtica ſunt, vel ſi ab eorum ſiccitate metus eſſet, alio aliquo ex clementioribus parato (quale Diaprunis electuarium magiſtrale noſtrum, ab una ad duas uncias, aſperſo Sacchato vel momento Cinnamomi, in prima menſa exhibitum foret) laxandus, repurgandus ex intervallis brevioribus foret. Errhina quoque & apophlegmatiſmi ad ipſius capitis evacuationem non prætermittendi; ac tandem ad topica deveniendum, quæ & dolorem ſedandi, & humores unà cum vaporibus abſumendi ac diſſipandi poteſtate ſint prædita. placerent autem ad doloris mitigationem, vacuato corpore, & ante inceptam ſudationem, oleum Chamomelinum & Anethinum commixtum, quibus modicè calefactis, cum fructu dolens capitis pars largiter perfunderetur, madefactis nimirum in his linteolis mollibus, & loco patienti crebrò impoſitis; tandem verò his calidiora, ut Laurinum eſt, & cui Ruta & Serpyllum incocta ſint, addi poſſunt, cum aceti modico, penetrationis gratiâ, adjecto. Quadrabunt abundè etiam ſacculi, Milio vel folijs Salviæ, Betonicæ, Hyſſopi, Majoranæ, Meliſſæ, Pulegij, Origani, & Abſinthij, nec non ſeminibus Aniſi, Carvi, Dauci, Cymini, Rutæ, ac ſimilibus impleti & calentes applicati; ſic cucupha dicta ex ijsdem ferè parata, additis duntaxat Calamo aromatico, Galangâ, corticibus Citri, Cypero, Nuce moſchata, & Caryophyllis. Ad ſectionem vel cauterium, remedia periculi plena, non temerè properandum, ſeu potiùs nulla ratione deveniendum exiſtimo, niſi tumor ingens exteriùs appareat, viáque alia priùs attentata nihil proficere conſpiciatur. quòd ſi dolor ad anteriorem capitis partem magis extenderetur, vehementer probarem ſetonem, hoc eſt funiculum per cutem cervicis ad nuccham traiectum. Phlebotomiam prætereo, quòd eam in utroque crure jam factam eſſe intelligam; ex uſu tamen & Cephalicæ dictæ, & ejus quæ in fronte eſt, ſectio eſſe poterit, ſi & plethora aliqua ſubſit, & vires eam perferre facilè queant. Plura Doctiſſime Vir de caſu hoc ſcribam aliàs, ſi plura de eo exſpectabit Illuſtris Dominus Comes, túque de ſingularibus diffuſiùs me commonefacies &c.

Monachij 3. Maij. 1581.

Fomentum diſcutiens in capitis dolore ex flatibus.

Sacculi & cucupha ad idem.

CONSVLTATIO V.

HEMICRANIA DEXTRI LATERIS PERTINAX, CUM OBSTRUCTIONE VISCERUM, AC VESTIGIIS ICTERI ANTIQUI.

PRO

REVERENDISSIMO QVODAM.

AD pertinacem capitis dolorem, quo Reverendiſſima Dominatio Veſtra affligitur, à ſubjectarum partium obortum impuritate, malum ſanè non contemnendum, remedia quæ accommodata inprimis fore confido, in charta ſeorſim deſcripta, in hunc, qui ſequitur, modum, uſurpari poterunt.

Bolus præſcriptus duabus ante prandium horis nebulis obvolutus & affuſo ſyrupo aſſumendus. ſequenti die quieſcet. Tertio è vena mediana vel cephalica lateris dolentis ſanguinis ſex vel ſeptem uncias mittet. Quarto tertiam partem apozematis purgantis calidam manè horâ quintâ ebibat; ſin largiter inde alvus fluxerit, quinto die quieſcat: ac ſexto, niſi fortè venter abunde adhuc fluat, rurſus tertiam partem aſſumat, ac deinde poſt biduum reliquum, ſi vires, ut ſpero, id bene ferant. His peractis, topicum ſeu locale aliquod medicamentum attentetur: hujuſmodi ſunt ſacculi dolenti loco, ut in ſcheda docetur, applicandi, id fiat manè jejuno ventre, & veſperi horâ unâ ante cœnam. Si parùm levaminis inde ſequeretur, emplaſtrum ex nucleis Perſicorum admoveatur totâque nocte retineatur. His non proficientibus, pilulis, quæ in eadem ſcheda notatæ ſunt, utendum cenſeo ſummo manè, ijs aſſumptis ſomnus rurſum ineundus. Inde, niſi recedat dolor, monitus alia proponam auxilia, interim peractis evacuationibus de electuario corroborante inſtar caſtaneæ manè aſſumendum ſingulis diebus, ſuperbibito pauco juſculo carnis.

R. *Spe-*

R. *Specierum Hieræ ſimplicis* ʒj.
Pulveris Senæ præparatæ ʒß.
Miſce & cum *aqua Cinnamomi* f. bolus, offerendus horis duabus, ante prandium, nebulis obvolutus.
item
R. *Juris Zingiberis conditi,*
Syrupi è corticibus Citri ana ʒv.
Miſce detur cum bolo.

Apozema pituitam præparans.

R. *Radicum Polypodij querni,*
Cichorij recentis,
Fœniculi recentis ana ℥ß.
Herbarum Boraginis,
Endiviæ ana Mjß.
Betonicæ,
Capillorum Veneris ana Mß.
Foliorum Senæ Alexandrinæ ſelectæ ℥j.
Agarici præparati ℥ß.
Coquantur omnia in ſ.q. *aquæ* ad ℔jß. in his infunde.
Rhabarbari electi pulverisati vino albo irrorati ʒiij.
Schœnanthi,
Cinnamomi acuti ana ℈ß.
Stent per noctem, manè fiat colatura cum expreſſione, de qua
R. ℥xv. adde
Oxymellis,
Mellis Roſati colati ana ℥jß.
Miſce fiat Apozema, in tres doſes dividendum.
R. *Maſſæ Pilularum Cochiarum,*
Sine quibus ana ℈j.
Aurearum,
Maſtichinarum ana ℈ß.
Miſce & cum *aqua Salviæ* formentur pilulæ N°. XV. deaurentur.
Porrigantur horâ quartâ matutinâ, & ſomnus rurſus ineatur. Item
R. *Syrupi è corticibus Citri,*
Juris Zingiberis conditi ana ʒv.
Miſce detur cum pilulis.

Sacculi in dolore capitis.

R. *Florum Meliloti,*
Sambuci,
Roſarum,
Chamomillæ,
Herbæ Origani,
Betonicæ ana Mij.

Ablatis ſtipitibus, impleantur duo ſacculi, forma & magnitudine, quam locus affectus oſtendet. efferveſcant in *vini albi* & *aquæ florum Sambuci* q.ſ. leviter expreſſi admoveãtur calentes loco dolenti, ubi unus calere deſinit, adhibeatur alter.

Paſta ex nucleis Perſicis, in dolore capitis.

R. *Nucleorum Perſicorum* ℔ß, *vel. q. ſ.*

Contundantur, aſpersâ modicâ *aquâ Verbenæ*, fiat paſta, quæ extendatur in Linteolo vel aluta, & adhibeatur calida parti malè affectæ.

Electuarium caput corroborans, & ſiccans.

R. *Conſervæ florum Roris marini,*
Roſarum veteris ana ℥ij ß.
Salviæ ℥j.
Nucis moſchatæ raſæ,
Caryophyllorum inciſorum,
Specierum Diambræ ana ℈ij.
Syrupi è corticibus Citri q. ſ.

Miſce fiat electuarium inſtar opiatæ.

CONSULTATIO VI.

CEPHALAEA, VERTIGO, ET INAPPETENTIA.

PRO

CANCELLARIO QVODAM

Viro Clariſſimo.

SEntentiam meam, quam de ſua valetudine Dominatio Veſtra nuper requiſivit, non licet hoc tempore, per occupationes confertim me obruentes, fuſiùs explicare; idcirco tumultuariè quidem & ſuccinctè à me proponetur, ita tamen,

tamen, ut, quod neceſſe ſit, nihil prætermittatur. Conqueritur Dominatio Veſtra de cephalæa ſive diuturno ac contumaci capitis dolore, vertigine, & inappetentia. Capitis dolor, cùm in ſuperficie hæreat, ut ex tactu deprehenditur, neque ad oculorum radices procedat, in membrana calvariam ſuccingente conſiſtit; cauſam exiſtimo humorem ibi collectum, acrem, quem eroſio, quâ dolor moleſtus eſt, teſtatur. Vertiginem ex ventriculi conſenſu fieri ſuſpicor, vaporoſa exhalatione in cerebrum elata, ſpiritum animalem inordinatè movente, & circumagente: indicia ſunt, quòd nec aſſiduè infeſtat, ventriculíque nauſeam ſequatur. Inappetentiam ventriculi cruditatibus adſcribo, victûſque rationi negligentiori, quâ ſe uſum fatetur in multis ſuis peregrinationibus; hinc mirum non eſt, ſi craſſi & pituitoſi humores ventriculi os oblinientes id obtundant, ac quaſi conſopiant. Vertigo per conſenſum.

Ad horum affectuum curationem, quam non admodum difficilem fore ſperamus, ante omnia conveniens erit inſtituenda victûs ratio: vitandæ repletiones, vina generoſa, exercitium, & balnea ſtatim à cibo, ſomnus meridianus: cavendum ab illis, quæ evaporare ſolent, ut ſinapi, cæpæ, raphani, ante omnia verò fugiendum lac, & cibi ex hoc parati. Lac in capitis dolorib⁹ noxiũ. Alvus lubrica eſto vel clyſteribus domeſticis ſæpius irritata, vel paſſulis ad ciendam alvum peraccom̃odis; doſis ſit cochleare magnum ante cibum immediatè, aliquibus duo ſunt neceſſarij, alijs interim dimidium ſatis eſt. A cibo ſumat, quæ ventriculi os claudant ac roborent, ut cotoneatum, pyrum coctum; cochleare unum hujus tragematis conveniens erit Tragæa.

R. *Seminis Aniſi* ℥j.
Coriandri præparati,
Fœniculi ana ℥ß.
Specierum aromaticarum roſatarum ʒjß.
Galangæ ℈j.
Cinnamomi electi,
Corallorum rubrorum ana ʒß.
Roſarum rubrarum ℈ß.
Rotularum manûs Chriſti ℥j.
Sacchari ℥ij.

Omnia pulveriſentur pro tragæa.

Hæc de diæta. Quantum ad pharmaca ſpectat operæ pretiũ erit lenitivo aliquo medicamento ventriculum, primáſque vias extergere; ex omnibus autem nihil accom̃odatius Hierâ videtur: hæc in bolis excepta & exhibita pituitam alióſque crudos ac corruptos humores in ventriculi cavitate tum membranis imbibitos egregiè

ſine moleſtia exterget. aſſumatur autem duas horas ante prandium, & repetatur poſt quatuor vel ſex dies. altero die, poſt aſſumptam Hieram, conſultiſſimum fuerit, clyſtere abſterſivo, levi tamen ac domeſtico, medicamenti vim adjuvare; quò & facilior fiat evacuatio, & major à capite revulſio. Poſt Hieram bis acceptam, duóſque injectos *clyſteres*, pilulis uti incipiat octavo quoque die, quinque ex illis immediatè ante prandium deglutiens. Ad capitis imbecillitatem & vertiginem appropriatus eſt pulvis, quem mitto, quâ vertiginem & in ſene aliquando perſanavi: hujus manè inſtar avellanæ comedat, ídque quotidie toto octiduo, deinde alternis diebus, poſtea bis in ſeptimana, tandem ſemel tantùm.

Fomentum & ſtupa fumigata. Inter topica dolenti loco adhibenda, commendo herbæ Verbenæ, Betonicæ, florum Chamomillæ, Meliloti, Carvi, & Roſarum ana partes æquales: minutè inciſa indantur ſacculis lineis interpaſſatis; quæ in vino incocta & expreſſa calida admoveantur. poſt fotum imponatur ſtupa fumigata pulvere ex Maſtiche, Thure, & Succino albo. eodem quoque pulvere ſuffiantur capitis tegumenta. hæc aliquoties repeti poſſunt ante cibum. Spero tamen topicis hiſce uti, neceſſarium minimè futurum. lavari poterit caput lixivio ſequenti.

Lixivium.

℞. *Foliorum Betonicæ,*
Florum Chamomillæ,
Foliorum Senæ ana Mj.
Roſarum Pj.
Agarici ʒj.

Incoquantur Lixivio pro lotione capitis.

Poſt lotionem capitis exſiccetur leviter caput, linteis ſuffitu ſuprà dicto calefactis; aërem autem eo die devitet. Hæc ſpero ſatis futura ad capitis dolorem mitigandum, aliáque incommoda præcavenda; quæ Dominationi Veſtræ ſalutaria ſint, DEVM oro; cujus ſit æterna laus.

NB. *In hoc conſilio deſunt deſcriptiones medicamentorum quorundam, utpote Paſſulæ ad ciendam alvum: deſcriptio & doſis Hieræ pro bolo: item clyſter abſterſivus poſt Hieram injiciendus: pilulæ ordinariæ per vices ſumendæ, ac tandem pulvis ad vertiginem. interim ſubſtitui ſequentia.*

Paſſulæ Laxativæ.

Paſſulæ Laxativæ.

℞. *Foliorum Senæ Alexandrinæ* ℥ij.
Zingiberis ʒij.
Cinnamomi,
Macis,
Galangæ ana ℈ij.

Deco-

Decoquantur in *aquæ fontis* ℔ij ad conſumptionem medietatis. relinquantur in loco calido per noctem, manè fiat colatura cum valida expreſſione, cui adde.

Sacchari albi ℥viij.

Rurſus coquantur ad conſiſtentiam julapij, cui inijciantur

Paſſularum vino albo lotarum ℥vj.

Et reponantur in vaſe fictili.

Bolus ex Hiera.

Bolus laxans.

R. *Hieræ ſimplicis Galeni* ʒj.
Specierum Eleſcophi gr. xv.
Cum *aqua Cinnanomi* fiat Bolus.

Aſſumendus una cum *brodio* ſeu *jure conditura Zinziberis ad* ℥j.

Clyſter domeſticus abſterſivus.

Clyſter domeſticus.

R. *Brodij carnis* ℥jx.
Mellis roſati ſolutivi,
Sacchari rubri ana ℥jß.
Electuarij Hieræ ſimplicis ʒiij.
Olei communis ℥j.
Miſce pro clyſmate.

Pilulæ Uſuales.

Pilulæ.

R. *Aloës Soccotrinæ optimæ* ʒij.
Maſtiches,
Galangæ,
Cubebarum ana ℈j.
Extracti Rhabarbari ʒj.
Cum *aqua Betonicæ* fiant pilulæ, pondere duorum granorum.

Pulvis ad Vertiginem.

Pulvis ad vertiginem.

Forſan eſt Leonelli, qui ſic ſe habet.

R. *Granorum Pœoniæ,*
Coriandri præparati,
Nucis Moſchatæ,
Viſci quercini ana ʒß.
Cubebarum,
Galangæ,
Piperis longi,
Tormentillæ,
Zinziberis ana ʒj.
Florum Anthos vel foliorum ejus ʒj.
Sacchari albiſſimi ℥iij.
Miſce fiat pulvis.

CON-

CONSVLTATIO VII.

VERTIGO EX CEREBRI INTEMPERIE HUMIDA, CUM COMPRESSIONE PECTORIS, ET LUMBORUM DOLORE.

PRO

VIRO REVERENDISSIMO.

*

Vertigo, præcordiorum compreſſio, & lumborum dolor, quibus Reverendiſſima Dominatio tua affligitur, effectus ſunt & accidentia morborum. Morbus primarius intemperies eſt humida cerebri cum multa ſeroſa pituitoſa materia, quæ in cerebro copiosè provenit, ac quotidie ob imminutam alimenti concoctionem inibi cumulatur. hæc humiditas partim ad muſculos pectoris deſtillans compreſſiones efficit præcordiorum, partim verò in vaporoſum aërem converſa ad meatus & ventriculos cerebri penetrat, ubi ſpiritus animales variè agitando vertiginem inducit; quò tamen etiam plurimum faciunt vapores denſíque flatus, à viſceribus coctionum & ambobus hypochondrijs elati; qui dum ad diaphragma impelluntur, compreſſiones adjuvant; dum verò ad cerebrum uſque deferuntur, vertiginem augent, ac continuam magis efficiunt. Lumborum tandem dolor ab arenulis & pituita, quibus renes obſtruuntur, dependet.

Pro avertendis hiſce malis neceſſarium eſt, ſuperfluam humiditatem cerebri evacuare, abſumere; hoc fieri non poteſt, niſi totum corpus multa illa pinguedine ac plurima humiditate, quâ ſcatet, aliquantùm liberetur & exſiccetur. Hoc ut aſſequamur, corpus magis exercendum & minùs alendum erit: inquit enim Hippocrates, & confirmat experientia, quòd *morbi fiunt, cùm cibus laborem* (id eſt exercitium) *ſuperat*: & atteſtatur Galenus, illum qui cibo & potu ſe onerat, laborem autem aut corporis exercitium ſubeat nullum, ſanum permanere non poſſe, ac proinde neceſſariò evacuationibus indigere.

Morbi fiunt, cùm cibus laborem ſuperat.

Evacuationes fiunt partim ſubtractione alimenti, partim medicamentis purgantibus: ſubtractio omnino neceſſaria eſt: cùm ſine hac (hoc eſt abſtinentiâ à cibo & potu) medicamenta non ſuffi-

ciant

ciant ad conſervationem ſanitatis. Pariter exercitium corporis requiritur; niſi alimentum aſſumptum adeò paucum foret, ut laboribus corpus minimè indigeret: nam ſicuti ſanitas cum multo cibo & potu abſque debito exercitio conſiſtere non poteſt, ita etiam labor multus cum pauco alimento diu non ſubſiſtit. Ex quibus Reverendiſſima Dominatio tua facilè intelligit, quâ quantitate in cibo & potu indigeat, & cùm corpus habeat præter naturam multâ pinguedine oneratum, non difficulter porrò colligit, quòd parcitatem in aſſumendo alimento, atque conveniens & ſufficiens corporis exercitium, tanquam remedium ſummopere ſibi neceſſarium, obſervare debeat.

Cibi non ſint admodum humidæ qualitatis, quales ſunt herbacea, fructus horarij, piſces ferè omnes, præſertim Anguilla & Tinca. vinum quod generoſum & fumoſum eſt, nocet; ejus loco oligophorum convenit, & aquâ, in qua fruſtum panis ſiliginei maduerit, mixtum: generoſus etenim potus cerebrum vaporibus replet, qui poſtmodum ob frigiditatem loci condenſati, & in aquoſam humiditatem converſi, in ſubjectas partes copiosè decidunt, deſtillationum ad varias partes præter naturam materia. extra conſuetas prandij & cœnæ horas ab omni potu & cibo abſtinendum eſt. Victus ratio. Generoſus potus cerebrũ vaporibus replet.

Corporis exercitium manè jejuno ventre, & poſt prandium abſoluta ſtomachi coctione inſtituatur: ſiquidem pleno ventre exercitium non tantùm non prodeſt, ſed quàm maximè nocet: quod ipſum quoque obſervandum eſt in uſu balnei, quod nunquam repleto ſtomacho ſine magnæ noxæ periculo adhibetur. Exercitium vẽtre pleno nocet; quod & de balneo obſervandum.

Medicamenta quod attinet, quorum pars per alvum, pars per ſudorem & urinam evacuat, pars naturam & viſcera confortat, pars humiditates ſuperfluas abſumit, ſuaderem equidem ut præſente hoc tempore Autumni evacuationem aliquam univerſalem, ac ſimul venæ ſectionem Reverendiſſima Dominatio tua inſtitueret, in quem finem medicamenta quædam conſignavi tali methodo aſſumenda.

Primò electuarium purgans in plures particulas (ſi placet) diviſum, ac nebulis priùs brodio aliquo madefactis involutum, pro vice, aſſumi totum debet, horis duabus, ante prandium; quòd ſi prædictum electuarium duriuſculum interea evaſiſſet, iterum aliquibus guttis vini madefiat, & cultro bene mixtum ad pulmenti conſiſtentiam redigatur. hoc electuarium ſequenti die repeti poteſt, ſi pridie alvum parcè nimis, vel nullatenus moviſſet.

R. *Hieræ ſimplicis Galeni* ℥j.
Aloës Soccotrinæ ℈j.
Specierum Eleſcophi ʒ xij.

Miſce cum pauxillo *mellis Roſati* fiat bolus.
Signetur electuarium purgans.

Subſequentibus tribus diebus, cùm Reverendiſſima Dominatio tua dulcia omnia abhorreat, conſulo pro inciſione & attenuatione humorum, Oxymel ſimplex ita paratum aſſumat.

R. *Oxymellis ſimplicis* ℥vj.
Dividatur in tres partes, quarum una ſingulis tribus diebus accipiatur, & commiſceatur ℥iij, aut iiij. brodij gallinæ, aut carnis alterius, non ſaliti, eritque potio non ingrata.

Hanc ebibat, ſummo manè, calidè, & ſomnus per horam denuo ineatur.

Hiſce peractis, purgatio ſubſequitur pilulis ſequentib⁹ inſtituẽda.

Pilulæ cephalicæ.

R. *Maſſæ Pilularum Sine quibus,*
Cochiarum,
Aurearum,
Maſtichinarum ana ℈j.
Miſce & cum *aqua Betonicæ* formentur pilulæ N°. xviij. deaurentur.

Sumantur manè, & ſomnus iterum ineatur unâ alteráve horâ. horâ nonâ circiter juſculum carnis ſorbeatur. diebus poſtmodum duobus aut tribus quieſcat. quarto verò vinum medicatum ſequenti modo paratum bibere incipiat.

Vinum medicatum.

R. *Foliorum Senæ ſelectæ* ℥ij.
Agarici albiſſimi inciſi, & conquaſſati ℥ß.
Turpeti optimi pulveriſati ʒij.
Zinziberis inciſi ʒjß.
Nucis Moſchatæ raſæ ʒj.
Herbæ Betonicæ,
Cardui benedicti,
Agrimoniæ,
Ceterach,
Cymarum Abſinthij,
Florum Anthos,
Boraginis ana Pj.
Miſce, & incide. excipiantur ſindone, & fiat ſacculus in vaſe terreo vitreato auguſti colli, libris tribus vini albi & uncijs novem *aquæ Boraginis* immergendus; ſtent omnia in loco calido per horam, poſtea reponantur in cellam vinariam.

De

De hoc vino medicato Reverendiſſima Dominatio tua manè hauſtum faciat tepidum, ſingulis vel alternis diebus, aſſumpto tamen priùs juſculo cicerum, pulli, vel alterius carnis. Vino ad medietatem ebibito, repleatur vas denuo, ac tandem omnino, eo quo dictum modo, vinum ebibatur omne.

Venæ ſectionem quod attinet, fiat illa poſt devoratum electuarium purgans, & dies duos poſt aſſumptum Oxymel, in vena mediana brachij ſiniſtri, ad ℥jx vel x.

Evacuationibus peractis, ad confortantia capitis præcipuè tranſeundum, utpote

Electuarium confortans caput.

℞. *Conſervæ Roſarum Damaſcenarum,*
Florum Roriſmarini,
Primulæ veris ſeu Paralyſeos,
Salviæ ana ℥jß.
Corticum Citri Saccharo conditorum & inciſorum ʒx.
Calami aromatici conditi & inciſi ʒvj.
Caryophyllorum inciſorum,
Specierum aromaticarum Roſatarum ana ʒiij.
Syrupi è corticibus Citri q. ſ.
Fiat electuarium.
Signetur: Electuarium confortans.

De hoc manè jejuno ventre, inſtar caſtaneæ, quotidie aſſumat, cochlearibus ſeptem vel octo brodij carnis vel cicerum inſuper ebibitis. Atque hiſce remedijs ſpero corpus ſufficienter pro hac vice expurgatum, membráque principalia aliquatenus corroboratum iri.

Interim tamen cùm, obſervatâ etiam optimâ victûs ratione, in corpore tam humido, varia excrementa continuò coacerventur; ſuadeo, ut Reverendiſſima Dominatio tua leve aliquod medicamentum ad manus habeat, quo ventriculus totúmque corpus per intervalla repurgetur, exſiccetur, & corroboretur. Hoc præſtabunt pilulæ ſequentes.

Pilulæ in Vertigine laxantes.

℞. *Aloës Soccotrinæ* ʒiij.
Agarici recenter trochiſcati,
Rhabarbari electi ana ʒß.
Cubebarum,
Radicum Galangæ,
Caryophyllorum ana ℈ß.
Cum *aqua Betonicæ* fiat maſſa pro pilulis.
Doſis ℈j, bis in hebdomade, duabus horis, ante prandium.

Denique, ſi præter has pilulas tota hac hyeme uſurpandas, ulterioris præſervationis causâ, & ad majora mala avertenda, Reverendiſſima Dominatio tua in utroque brachio fonticulum unum, peractis nempe evacuationibus inuri ſibi pateretur, maximum exin ſperandum foret emolumentum; donec inſequente Vere alia monitus (volente DEO) ſum propoſiturus.

Fõticuli à Vertigine præſervant.

Monachij 10. Octobris 1610.

CONSULTATIO VIII.

VERTIGO ET LIPOTHYMIA EX VENTRICULO.

PRO

NOBILISSIMO ADOLESCENTE.

VErtigo & virium lapſus aliquis, ſeu levis quædam Lipopſychia, quib⁹ Nobiliſſimus Adoleſcens N. nuper in urbe correptus fuiſſe ſcribitur, etſi brevia pathemata fuêre, móxque ſponte ſua diſparuêre, tamen Perilluſtrem D. Parentem ejus ita ſolicitum tenent, ut remedia à Medicis proponi, adhiberíque velit, quibus ſymptomata iſta, priuſquam in majus aliquod malum excreſcant, impoſterum præcaveri queant. Equidem ſperans id (DEO propitio) nequaquam fore difficile, meam de re tota paucis explicabo ſententiam, qui & medicamenta Nobili Adoleſcenti ad alia valetudinis incommoda aliquando porrexi, & corporis iſtius conſtitutionem ſatis habeo perſpectam.

Vertiginem illam brevem à vaporibus è ventriculo in cerebrum elatis, non autem in eo per primarium affectum excitatis omnino ſtatuo: arguit id nauſea, & hanc vomitus interdum ſubſecutus, dum in primaria idem aliquando ſymptoma experiretur. quòd ſi enim ad caput ipſum pertineret affectus, acceſſio ejus certè & crebrior eſſet, &, præter viſum, ſenſus reliqui labem aliquam præ ſe ferrent; ut taceam, & actiones principes incolumes eſſe, ſumméque præſtantes. In cerebro igitur circumaguntur, in gyrúmque rotantur animales ſpiritus à vaporibus è ſubjectis partibus corporis,

Vertigo à ventriculo, unde dignoſcatur?

maximè

maximè dum è ventriculo in caput feruntur. Ad eandem ventriculi impuritatem lipothymiam quoque, ſeu levem illam ac perbrevem virium imbecillitatem referendam eſſe nemo dubitaverit, qui ſummum cum corde ventriculi conſenſum non ignorat.

Ex his, quæ ita ſe habere, demonſtratione multiſque verbis non indigent, nullo negotio elucefcit, quid Medico Juvenem hunc à dictis moleſtijs, omnique periculo præſervare volenti incumbat: nempe is, victûs ratione accuratiore imperatâ, ventriculum à vitioſis ſuccis repurgabit, roborabitque auxilijs ad eum uſum accommodatis. In victu monebit, ut ſatietatem vitet, otiúmque fugiat. morbi enim fiunt, teſte Hippocrate, *cùm alimenta laborem ſuperant:* corpus exerceat concoctione in ventriculo peractâ, à cibo probè concocto. labor enim cibum præcedat. venter, ut officium faciat, curabit.

In medicamentis, quæ mihi hoc loco probantur, præcipuè hæc ſunt. Omnium primò bolus iſte horis duabus ante prandium devoretur.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis Galeni* ℈ij.
Aloës Soccotrinæ ℈jß.
Miſce & cum *aqua Cinnamomi* fiat bolus mollis, qui involvatur nebulis juſculo pulli madefactis, offerendus ex cochleari, additâ *Mellis Roſati* ℥j.

In ſequens triduum vel quatriduum, ad materiæ inciſionem deterſionémque, placet iſtud præparans. Purgatio & præparatio humorum.

R. *Mellis Roſati,*
Oxymellis ſimplicis ana ℥j.

Præparatos humores tali purgante educendos cenſeo.

R. *Foliorum Senæ* ʒiij.
Agarici recenter trochiſcati ʒjß.
Zinziberis ℈j.
Seminis Aniſi ʒß.
Paſſularum ℥ß.
Florum Anthos,
Boraginis ana Pj.
Decoquantur in *aquæ Boraginis* ℥vij ad tertiæ partis conſumptionem: ſtent in loco tepido per noctem, manè fiat colatura ad ℥iiij, in quibus diluantur *Mellis Roſati laxativi, Mannæ ana* ℥ij, *pulveris Rhabarbari, aquâ Cinnamomi irrorati* ʒj.
Miſce fiat potio.

 Vacua-

Vacuato his & ſimilibus præſidijs corpore, ad robur ventriculo adijciendum, ex uſu fore non dubitaverim, quæ nunc ſubijciam.

Rotulæ cephalicæ corroborantes.

℞. *Specierum Aromaticarum Roſatarum* ℥ß.
Sacchari albi aqua Roſarum diſſoluti ℔ß.

Fiant rotulæ pondere ʒij. capiat unam jejuno ventre, vel ejus loco ℥ß de electuario, quod ſic ſe habet:

Opiata ad idē.

℞. *Specierum Aromaticarum Roſatarum,*
Caryophyllorum craſsè inciſorum ana ʒij.
Conſervæ Roſarum ℥iiij.
Anthos ℥iij.
Corticum Citri conditorum & inciſorum ʒx.
Zinziberis conditi ʒvj.

Cum *Syrupo de corticibus Citri* q. ſ. fiat electuarium inſtar opiatæ.

Horum vicem ſupplere ſubinde poterit fruſtulum Zinziberis conditi vel Calami aromatici conditi. In æſtivo calore convenientiora fuerint Saccharum Roſatum, vel confectio quam Manus Chriſti appellant. Cæterùm ne excrementis ſenſim ſuccreſcentibus ventriculus conſpurcetur, aloëticum remedium probè correctum propono, cujus eſt hæc deſcriptio.

Extractū Aloës cum aqua Roſarum factum Mermaño conſuetum.

℞. *Aloës Soccotrinæ* ℥iiij. in pulverem redigantur; ponantur in cucurbitam, hoc eſt phialam vitream; affunde *aquæ Roſarum* tantum, ut 4. digitos ſupereminent; bulliant in vaſe duplici, ſeu Balneo Mariæ dicto, ſpatio horæ dimidiæ; deinde loco calido reſideant horâ unâ vel alterâ; tunc aqua per inclinationem vaſis lentè ſeparetur, & tranſfundatur in aliud vas vitreum; *Aloë* verò, quæ in fundo prioris phialæ reſedit, rurſus tantundem *aquæ Roſaceæ* affundatur, & coquatur ut ſuprà, & priori admiſceatur; ídque toties repetatur, quouſque *aqua Roſarum* vix ampliùs tingatur; tunc *aquas* illas *Aloë* tinctas, vel impoſito alembico deſtillando ſepara, vel in cacabo ſuper prunis tamdiu coque, donec omnis ferè humor abſumatur, & in fundo remaneat inſtar pultis, ſeu mellis ſpiſſioris, aſſervetúrque uſui. Signetur Balſamus Aloëticus, ſeu Extractio Aloës. de quo ℈ß vel ℈j addito pauxillo

Maſtiches

Maſtiches in pilulas efformetur, ex brevi temporis intervallo, ſcilicet bis, ter, vel quater, menſe uno, utiliter ſumetur, ſi Caniculam, æſtivóſque calores excipias.

Quod reliquum eſt, cum ſcriptum ſit, Nobilem Juvenem corpulentum, & ſolito habiliorem eſſe, ſilentio præterire non poſſum, id mihi in iſta ætate adverſæ valetudinis futuræ ſuſpicionem parere: rectè enim, auctore Hippocrate, Celſus hæc verba ſcripſit: ſi plenior aliquis, & ſpecioſior & coloratior factus eſt, ſuſpecta ſua bona habere debet; ſanguis igitur ineunte Vere inciſâ dextri brachij venâ baſilicâ audacter & convenientiſſimè mittetur, ſicut Autumni quoq; tempore; niſi tunc aliud quippiam præſenti Medico id diſsuadeat. Anno 1610. 16. Februarij.

Si plenior aliquis ſpecioſior & coloratior factus eſt, ſuſpecta ſua bona habere debet.

CONSULTATIO IX.

DELIQUIUM NON SINE SUSPICIONE CONVULSIONIS, UNA CUM SCABIE PEDUM.

PRO

VIRO HONESTO.

*

Litteris, quas ad me dediſti, breviter reſpondeo, quòd ſcilicet deliquia illa, de quibus ſcribis, minimè ſint contemnenda; timeo equidem, ne aliquid de motu convulſivo ſubfuerit. Sanè ſi vinum bibiſſes, res non ſine periculo ceſſiſſet. Maxima poſt DEUM cura in eo conſiſtit, ut ventrem ab impuritatibus præſerves: dubito enim vehementer, ne comederis aliquid, prædictum ſymptoma de novo ſibi adducens; in hunc finem pilulæ & clyſmata maximè conducunt, illas aſſumes ſingulis tribus aut quatuor ſeptimanis, clyſmata verò ſæpius, quater aut ad minimum bis in menſe. Balnea hoc tempore prohibentur: cucurbitulæ ſcarificatæ duæ infra locum, ubi veſicatoria habuiſti, admittuntur, neutiquam tamen illas ante forna-

cem

cem calidiorem appones; ſed in lecto, & non niſi aſſumptis priùs pilulis.

Scabies pedum non facilè ſananda.

Scabies pedum non illico perſananda, ſalutaris enim eſt, Naturâ pravas humiditates illac expellendo. nequaquam igitur Unguento albo ſive de Ceruſſa dicto utêris, quia nimis citò ſiccat & ſanat; interim pedes aquâ calidâ, in qua Chamomilla efferbuerit, lavabis: Lacticinia omnia ſummopere nocent, uti etiam illa, quæ caput feriunt, qualia ſunt Allium, Raphanus, Sinapis &c. cibi ſimplices bonæ ſubſtantiæ facilis concoctionis eligantur &c.

Monachij 16. Decembris 1599.

CONSVLTATIO X.

EPILEPSIÆ PERICULUM, VERTIGO, ANXIETAS ET PTYALISMUS, NEC NON OBAMBULANDI CONTINUA NECESSITAS, IPSIUS D. MERMANNI.

Ad Medicum quendam Amicum.

Aquæ Spadenſes.

VAletudine utor jam pridem valde afflicta; animus eſt, hoc ineunte Vere Spadenſes aquas potare, ſi tibi id, qui uſum harum, ſi quis alius, maximum tenes, probari cognovero; ut verò ſententiam mihi tuam hac de re aperire poſſis, priùs quæ experiar incommoda, paucis (obſecro) accipe. Cùm ſub finem Autumni proximè elapſi, ex ditione Ulmenſi, ubi acidulis aquis tam balneo, quàm potu uſi fuêre aliquot Sereniſſimi Principes noſtri, domum reverterer, repentè in graviſſimum capitis dolorem, ſed brevem illum, pòſt verò in Vertiginoſam quandam, & propè inexplicabilem debilitatem, cum incredibili quadam anxietate, & quaſi mortis jam imminentis formidine conjunctam incidi. Suſpicor ego aliud nihil fuiſſe, quàm ingruentem Epilepſiæ paroxyſmum, ſed quòd cauſa inſufficiens, naturáque robuſta eſſet, irritum. recurrebat ſymptoma illud crebrò diebus ſingulis nulla præcedente nauſea, & cibi appetentia vigente; levabat, ac paulò pòſt finiebat acceſſionem unà inambulando, ac motus cor-

Epilepſiæ ingruentis cauſa, à robore naturæ ſuperata.

tus corporis concitatior, uſque ad ſudorem ferè, vel madorem ſaltem, diſſipato (ni fallor) ac digeſto vapore caput offendente. Verùm legendi, ſcribendíque reſtabat impotentia, ac non longè poſt noctu quoque infeſta eſſe, ac ſomnum interrumpere, turbulentúmque reddere cœpit.

Mira obambulandi neceſſitas.

Remedia adhibita quàm plurima, malum poſt aliquot hebdomadas planè viſa fuerunt extirpâſſe; ita, ut itineri me denuò committere auſus fuerim, & legere rurſus, ac commentari aliquid potuerim. Verùm tum Bruma ſæviente, tum recrudeſcente in ſiniſtro hypochondrio melancholico ſucco, quem ego primam hujus affectûs cauſam ſtatuo, capitis illa imbecillitas mox recurrit, eique juncta eſt deſtillatio ad aſperam arteriam, ſpirandíque difficultas diu noctúque non tamen continuò moleſta. Deinde & Ptyaliſmus, ſeu ſalivæ ſputatio mihi alioquin familiaris uſque adeò aucta eſt, ut vix, donec ſex vel octo verba proferantur, intermittat. mihíque tantùm non vitæ tædium afferat; noctu enim & ſomnum prohibet, & obrepente illo ad trachéam defluit, ſubitæ ſtrangulationis periculum, ac metum adducens. Inde pectoris anguſtia, reſpiratio difficilis, ac denſa, quæ raſcatione valida ac longa, paucæque pituitæ crudæ vitreæ tenuiſſimæ rejectione, miteſcit; perdurante interim ſalivæ, ſeu aquei humoris ſpuitione nunquam intermiſsâ, ac ſupra modum moleſtâ, ac intolerabili. Flatus quoque hypochondriaci, ac rugitus, quibus à viginti & ampliùs annis divexari ſoleo, hoc tempore nullis cedunt remedijs, ſive evacuantibus, ſive concoquentibus, ſive diſcutientibus; neque victûs rationi, quantumvis exactæ, ac caſtigatæ. Miſerè itaque affligor, cùm præſertim ad hæc mala nephritici dolores, ac calculorum excretiones, quorum antehac nullum vel rudimentum in me obſervavi, acceſſerint. Interim cibum appeto, & concoquo; urinæ niſi à calculo turbentur, laudabiles ſunt, aduſtionibus tamen non carentes. Febris abeſt, arteriarum pulſus moderati; negotium, præter prædicta, faceſſunt ſitis, quam medicamentis, & potûs parcitati adſcribo, & ventris conſtipatio, qui vix niſi medicamento, vel clyſtere invitatus munere ſuo fungitur.

Succus melancholicus in hypochondrijs ſiniſtri lateris multorũ & gravium accidentium cauſa.

Ptyaliſmus vehementiſſimus.

Cognoſcere igitur ex te, Vir doctiſſime cupio, cenſeáſne Spadenſem fontem veſtrum tantopere decantatum adverſus hæc mala, antiquum nempe affectum hypochondriacum, ac veterem capitis deſtillationem, ad novam quoque renum Lithiaſin opem mihi ferre aliquam, ac tutò probari poſſe. Ego ſanè, niſi falſa ſint, quæ de aquis iſtis prædicantur, ſcribuntúrque, non parùm ſpei in earum facultatibus evacuante ſcilicet, extenuante, aperiente, roborantéque collocaverim: cùm præſertim viribus ſim præditus mediocribus,

Fons Spadenſis hypochondriacis utilis cenſetur.

 & quin-

& quinquageſimum ætatis annum nondum attigerim, licèt illi proximus. Tu, quid ſentias majorem in modum rogo, ne graveris abs mora ad me perſcribere &c.

Calendis Maij Anno 1598. hoc tempore ſymptomata ſunt graviora, & moleſtiora omnia, ac imprimis difficultas, non reſpirandi modò, ſed & deglutiendi & loquendi. vix enim tria vel quatuor verba continua effari, præ aſſidua ſputatione, & pituitæ ſcreatu poſſum; edo, ac bibo ſummo cum ſtrangulationis metu, ac periculo, cùm ad ſingulos bolos ſputare cogor, cibúſque & potus, ipsáque pituita ad laryngem immodicè hiantem fertur, ac quaſi aberrat: pituitæ tenaciſſimæ copia maxima è naribus emungitur, ejúſque pars aliqua laryngi, & trachéæ inhæreſcens aſſiduæ titillationis, & aqueæ ſalivæ cauſa eſt aſſiduè affluentis, & è ventriculo regurgitantis: neq; enim tam copioſam à cerebro delabi veroſimile ſit, quam tota calvaria vix caperet. Tuſſis omnis abeſt, ſolo ſcreatu, ſed valido ac coacto, pituitæ viſcidæ aliquid educitur, præſertim manè & veſperi ante cœnam. Dormire cogor ferè pronus, caput attollere, & oculos in cœlum elevare non audeo, ne aucto laryngis hiatu, ac irrepente ſaliva in ſtrangulationis periculum incidam. Appetentia ſatis viget; ſitis à prandio, & cœna valde ſunt moleſta. Alvus perpetuò adſtricta eſt: cùm vel unam lineam lego, vel aliquid attentè aſpicio, ſtrangulari illico videor, nec caret res faſcinationis, ſeu incantamenti ſuſpicione.

Ptyaliſmus cum ſtrangulationis uſque periculo.

CONSULTATIO XI.

EPILEPSIA SEU MORBUS CADUCUS.

PRO

JUVENE NOBILI.

*

AFfectus iſte Epilepſia à Græcis, à Latinis Morbus Comitialis vel Caducus vocatur. malum grave: nam actiones hominis principes ſenſúmque omnem adimit, totum corpus varijs præter naturam & hominis voluntatem

luntatem motibus quaſſat, convellit. Oritur (ut eſt tam Veterum quàm Neotericorum Medicorum ſententia) à morbo quodam ſeu occulta prava, & venenata qualitate totius cerebri, præcipuè cavitatum & ventriculorum ejuſdem. quæ prava qualitas cùm occulta & venenata ſua vi cerebro ex toto contrariatur, atque intolerabilis eſt, fit, ut facultas animalis contra hunc infenſum ſibi hoſtem fortiter ſe commoveat, totiſque conetur viribus alienum & venenatum vaporem (nam alio in corpore ſupradicta prava qualitas non latitat) debellare & expellere. Hinc etiam & ſpiritus, utpote tam motus quàm ſenſuum omnium inſtrumenta, diverſimodè agitantur, corpus univerſum involuntariè concutitur, ſenſus partium omnium externarum abolentur, ipſomet nempe ſenſu communi interno, tanquam externorum ſenſuum rectore, malè affecto.

Epilepſiæ cauſa conjuncta.

Morbus iſte & prava cerebri qualitas cauſas habet antecedentes multiplices, ſedes mali diverſas, variáſque partes mandantes. aliquando enim pravus humor, qualis eſt bilioſus, pituitoſus, melancholicus, vel ſanguis putridus, cumulatur in capite intra vel extra cranium: aliquando & ſæpiſſimè malignum virus ex partibus capiti ſubjacentibus, tum internis utpote ventriculo, inteſtinis, liene, hepate, utero; tum externis veluti brachijs, manibus, femoribus, pedibus aſcendit, ita ut malo hoc affecti auram antea quaſi aſcendentem, atque adeò imminentem acceſſionem præſentiant, cadant demum, convellantúrque. undè verò in nobili Juvene maligna hæc qualitas cerebro communicetur? (quamvis ſubinde hiſce in caſibus conjectura ſit difficilis) breviter tamen opinionem meam argumentis probabilibus ſuffultam, ſigníſque manifeſtis confirmatam proponam.

Epilepſiæ cauſæ antecedentes.

Maligna aliquando aura ab inferioribus aſcendens Epilepſiam inducit.

Exiſtimo materiam causámque antecedentem mali, non in cerebro præcipuè, nec artubus exterioribus, ſed in alijs internis viſceribus principalibus & tota maſſa ſanguinea ſtabulari. Quippe ventriculum imminutè & malè coquere, craſſam tenuem & pravam humiditatem cumulando, certò perſuadent nauſea crebra, & inanis ad vomitum cupiditas, craſſa nempe & tenaci materia tunicis plicíſque ventriculi firmiter inhærente. Hepar calidius eſſe, unde plurima bilis flava & nigra in venis continetur; indicant urinæ, corporis totius habitus ſiccus, fuſcus & ſubflavus cutis color, præcipuè verò ſitis, finita concoctione ſuperveniens. Venas meſaraicas & hepar pati obſtructiones partim ex intempeſtiva tractione alimenti à caliditate hepatis proveniente, partim ex aquæ potu crudo & crebro, aliiſque erroribus factas, qui in victûs ratione fortaſſis committuntur: certa ſunt argumenta color & ſubſtantia urinæ, febres crebrò præcedentes, ictericia demum, quâ ſæpè nobilis Juvenis defœdatur,

Cauſæ antecedentis locus ubi generatur.

Intempeſtiva tractio alimenti, in Meſaraicis obſtructionum inibi cauſa eſt.

fœdatur, à qua ne adhuc quidem penitùs liber eſt. Hæc videntur eſſe cauſæ materiales & antecedentes, ex quibus dein virus præſentis morbi tanquam è radice enaſcitur.

Cæterùm licet magnus lateat in viſceribus inferioribus mali fo-mes, cerebrum tamen per ſe quoque non parùm afficitur, tum quòd malum hoc jam diu, anno nimirum integro cum dimidio, nobilem Juvenem torquet, in principio per modum vertiginis aliquamdiu invadens; tum quòd tota maſſa ſanguinea impura, melancholica, bilioſa, præter naturam exiſtit; à qua cerebrum æquè ac aliæ partes omnes ſibi ſumit alimentum.

Indicationes. Ex quibus ſecundùm veram medendi methodum oriuntur & apparent intentiones ad malum hoc præſervandum & profligan-dum neceſſariæ: nimirum malignam & pravam qualitatem, cere-bro communicatam & inſedentem, corrigendam: materiam & ori-ginem, in qua venenum enaſcitur, & cerebro communicatur, qua-les ſunt varij pravi humores, è corpore deturbandam: viſcera prin-cipalia, ne conſimiles impuritates iterum progenerent, præſervanda: ac proinde calorem nativum ventriculi corroborandum: obſtructio-nem meſenterij, hepatis & lienis expediendam, eorúmque calorem præter naturam alterando emendandum: coctiones omnes tam pu-blicas quàm privatas adjuvandas eſſe.

Epilepſia nòn eſt omnis incurabilis. Verùm non deſunt ex Medicis aliqui, qui morbum iſtum inter incurabiles abſolutè connumerant; ſed his experientia contrarium monſtrans reclamat ſæpiſſimè. nam licet comitiales morbi illos omnes, quibus quintum & vigeſimum annum agentibus contin-gunt, ad mortem ferè uſque comitari ſoleant, ut vult Hippocrates *Aphor. 7. Lib. 5.* attamen medicaminum virtute vel plurimùm miteſcunt, vel omnino etiam, in junioribus præcipuè percurantur: & ſubinde quidem ætatis ſolummodo vel regionum, vel victuum mutatione, teſte eodem Hippocrate *Lib. 2. Aphor. 45.* Anceps de-nique & difficilis cura eſt in illis, ubi cauſa & radix mali nullis ſeſe manifeſtat ſignis, ſed in abſcondito potiſſimùm latet. Interim præ-ſentem affectum quod attinet exiſtimo, illum aſpirante Numine eſſe curabilem, dummodo in omnibus ad curam neceſſariis nobilis Pa-tiens obedientem ſeſe & promptum exhibeat.

Curatio duplex eſt, una imperfecta, ipſum mali paroxyſmum, alia perfecta, ipſum morbum concernens. prior accidentia tan-tummodo & acceſſiones, quas remoratur, vel breviores reddit, re-ſpicit: altera remedia proponit, quibus favente DEO mali radix eruitur, morbus profligatur, & ne redeat, prohibetur penitùs.

Epilepſiæ cura in paroxyſmo. In priori cura communiter adhibentur varia, ex quibus quæ-dam prodeſſe aliquando poſſunt, quædam tanquam ſuperſtitioſa re-pudianda

pudianda ſunt. Equidem ſuadeo, ſi nobilis Juvenis paroxyſmo (quem Deus diu prohibeat) corripiatur, ut quamprimùm fiant ligaturæ in femore ſupra genu; & in brachio ſuprà cubitum fortes & dolorificæ, brevi tamen iterum ſolvendæ, ac denuo repetendæ, prout ſcilicet magnitudo & vehementia acceſſionis requiret: quippe tam gravis & diuturna acceſſio quoſdam ſubinde exagitat, ut candente ferro vel auro illos inurere, atque adeò à ſæviente paroxyſmo liberare ſit neceſſe; ſed in nobili Juvene ligaturas ſufficere omninò ſperaverim. Secundò ſtatim ac paroxyſmo corripitur, cochlear unum aut duo aquæ Epilepticæ Langij ori infundantur: quæ non ſolùm in præſenti acceſſione, ſed etiam ad præſervationem & curationem morbi utilis exiſtit. Tertiò neceſſarium erit præter ligaturas & aquæ ſupradictæ exhibitionem ut fauces, nares, tempora illâ ipsâ aquâ Langij per ſe, aut additis guttulis aliquibus olei Succini illiniantur, vel, ſi hæc parùm profint, Caſtoreum pulveriſatum & cum aceto in maſſam pulmenti inſtar redactum naribus affricetur, quæ maſſa ad omnem eventum eo, quo dictum, modo parata in vaſculo terreo aſſervari poterit. Quòd ſi verò talia ad manum non ſint, ſubſtitui poſſunt Rutæ, Hyſſopi, vel Pulegij folia confricata, & ad nares admota, vel ſalis parùm cum aceto mixtum naribus illitum. Varia inſuper ſunt olea deſtillata calida, quæ in aures induntur, temporibus inunguntur, vel vertici affricantur: efficaciſſimum eſt oleum Rutæ ſylveſtris deſtillatum, cum tertia parte aquæ Langij mixtum; hoc ſi haberi non poterit, oleum Rutæ vulgaris, Cinnamomi, Macis, aut Nucis moſchatæ prædictæ aquæ confuſum eodem modo adhibere conſultum fuerit. & hæc ſunt remedia ferè omnium optima, quibus malignus vapor vel pravus humor partim reſolvitur, partim è cerebro expellitur. Verùm enim verò cùm hiſce medijs affectus non ex toto eradicetur, quin redire per intervalla ut plurimùm ſoleat, ad alterum & perfectum curationis modum me converto: quò nimirum materia malignos hos vapores, pravámque qualitatem producens expellatur, vitia viſcerum principalium emendentur, ipſa denique viſcera unà cum calore nativo & humido ſuo radicali confortentur &c.

Ligaturæ.

Aqua antiepileptica Langij.

Illinitio ad nares, fauces.

Oleum Rutæ ſylveſtris efficaciſſimum.

Curatio igitur perfecta tribus abſolvitur inſtrumentis, Diætâ, Pharmaciâ, & Chirurgiâ. Diætam ſine cujus exactiſſima obſervatione morbus neutiquam ſuperabitur, rebus ſex abſolvitur, quæ à Medicis nonnaturales vocantur, & ſunt: aër ambiens, cibus & potus, motus & quies, ſomnus & vigilia, excreta & retenta, animi affectus.

Curatio.

Aër temperatus ſit & mediocris: turbidus, ventoſus, nocturnus, calidus nimis & frigidus, odor item gravis & moleſtus evitandus.

Victus ratio.

Cibi ſint facilis concoctionis & bonæ ſubſtantiæ: quos à natura averſatur omittat, præſertim verò edulia, quæ caput feriunt, uti ſunt cæpæ, allium, raphanus uterque, ſinapi, cicera, & lentes, niſi quòd horum brodia ſubinde conceduntur. lac omne, quæque ex illo parantur, fructus horarij crudi prohibentur, ceraſa acida, uvæ maturæ, rariùs tamen, admittuntur. paſtilia pleraque niſi ſint tenuiſſima, carnes duriores, ſuilla, anſeres, anates, olera, ova dura è menſa proſcribantur. piſces omnes nocent, exceptis lucio minori, fundulis, trutâ, thymalo, qui ſubinde, ſed rariùs conceduntur. verbo, quo ad victûs rationem, tractari debet nobilis Patiens, uti ſolent ij, qui ſanguinem eo die misêre. Hinc omnis in menſa ſatietas abſit, intra prandium & cœnam ab omni edulio abſtineat, ac inter utrumque ad minimum ſeptem horæ intercedant.

Potus ordinarius ſeu aqua cocta peculiaris in Epilepſia multiplici experientiâ comprobata.

Potus vinum non ſit, nec cereviſia, nec aqua cruda, ſed aqua cocta, ac tali modo parata.

R. *Paſſularum minorum* ℔j.
Cinnamomi acuti,
Radicum Pæoniæ,
Seminum ejuſdem ana ℥ß.
Zinziberis,
Galangæ,
Macis ana ℥ij.

Incidantur radices, contundanturque unà cum ſeminibus, indantur poſtmodum vaſi ligneo, ita tamen, ut fiat cum ſegmentis è *radicibus Coryli* ſtratum ſuper ſtratum, tandem affundantur *aquæ* menſuræ duodecim, hoc eſt ℔xxxvj medicinales, in quibus ℥iiij *Sacchari albi* priùs fuerint incoctæ. hæc aqua in ſimili affectu eſt utiliſſima, ac multiplici experientiâ comprobata; idcirco diligenter paratam nobilis Juvenis pro potu ordinario ſolam adhibebit.

Quòd ſi generoſa nimis & odorifera videatur, repleri denuo vaſculum poterit aqua ſimplici, ſi prior nempe ad medietatem uſque fuerit ebibita. interim licèt prædicta aqua utilis ſit & ſuavis, moderatè tamen, & in menſa, media tantummodo menſura haurienda, niſi quòd æſtate ſi vehementer ſitiat, hauſtus unus poſt prandium peracta concoctione, duabus circiter horis ante cœnam, concedatur.

Exercitium.

Corporis exercitium, quod ambulando, equitando aut etiam curru vehendo peragitur, utile & neceſſarium eſt; ſi tempore debito inſtituatur, factâ ventriculi concoctione, horis duabus ante pran-

dium

dium & cœnam; ſed caveat; ne nimiùm calefiat, aut poſt paulò vehementiorem motum menſæ ſtatim aſſideat; vel potum aſſumat intempeſtivè. pari ratione exercitia ſub ſole calente,aut aëre pulvere obſito, aut ventis impetuosè ſpirantibus prohibentur.

Balneis, ſuadeo, ad tempus abſtineat; caput verò lavare poterit lixivio; in quo per noctem maduerit Betonica, flores Chamomillæ, Roſarum rubrarum, foliorum Senæ ana Mj. radicum Aſari, Agarici ana ℥ij. ligentur omnia in ſacculo. poſt capitis lavationem caput pedetentim pannis calidis exiccetur. ſed aëri poſtmodum nullo modo ſe committat. Balnea.

Somnus, qui de die fit, ex toto prohibetur, cùm caput vaporibus replens inſtar veneni officiat. igitur de nocte inſtituatur, illum tamen ultra ſeptem octóve horas non extendendo. Somnus & Vigiliæ.

Excretiones quod attinet, dicetur de ijs poſtmodum, cùm de inſtrumento pharmaceutico ſermo erit.

Melancholiam ſeu triſtes animi affectus, ac præcipuè iram, uti peſtem fugiat; hilaritati econtrà & honeſtis tum corporis tum animi recreationibus ſtudeat. Animi affectus.

Alterum inſtrumentum ſeu Pharmaciam quod ſpectat, ſciendum eſt, curam tam gravis & pertinacis morbi eſſe impoſſibilem ſine longo continuatóque quorundam ſummè neceſſariorum medicamentorum uſu: quæ partim obſtructiones meſaraicarum hepatis & lienis reſerent, pravas humiditates abſtergant, præparent, eaſdem per alvum urinas vel alias convenientes vias evacuent: partim verò diſcraſiam viſcerum emendent, illáque & unà calorem naturalem confortent, ac denique pravam & malignam qualitatem peſſundent. Et hoc fit aliquando facilè ac brevi temporis ſpatio, nec remedijs adeò multis, aliquando verò tardè admodum ac difficulter. Proinde patientia & conſtantia neceſſaria erit: vereor ſiquidem, cùm cauſa in nobili Juvene ſit humor præcipuè melancholicus, contumax & difficulter mobilis, inſuper viſcera principalia vehementer diſtemperata ſint, ne cura hæc aliquo modo diutiùs ſeſe protrahat, quamvis id pro certo non affirmaverim. Pharmaceutica. In morbis pertinacib⁹ patientiâ & conſtantiâ opus eſt.

Itáque ſuadeo, ut quamprimum ſequens curationis methodus inſtituatur. primò nobilis Juvenis pro deterſione & expurgatione ſtomachi electuarium in bolos diviſum ac nebulis involutum, horis duabus ante prandium, deglutiat; quod ut eò commodiùs ſuccedat, aliquid de Melle Roſato ſimplici prædictis bolis in cochleari affundatur, & ſic deglutiantur.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis Galeni recens diſpenſat.* ℥ij. Bolus.
Mellis Roſati q. ſ.
Fiat bolus *Saccharo* involutus.

Altero

Altero & tertio die quotidie potiunculam purgantem calidè aſſumat manè, atque ſomno inſuper per horulam inito, poſt quatuor horas ad prandium ſe conferat.

Potio purgans.

R. *Paſſularum* ℥j.
Seminum Aniſi,
Radicum Cichorij,
Buglоſſi,
Polypodij querni,
Enulæ campanæ ana ʒjß.
Florum Bugloſſi Pj.
Betonicæ,
Anthos ana Pß.
Galangæ ʒß.
Zinziberis ℈j.
Agarici recenter trochiſcati ʒij.
Fiat decoctio ſ. a. ad tertias, in colaturæ ℥xij.
infunde *Foliorum Senæ electæ* ʒvj.
maneant in loco calido per noctem.
manè colentur cum levi expreſſione, in colatura dilue
Mellis Roſati laxativi ℥j.
Syrupi de corticibus Citri ℥ß.
Miſce fiat potio purgans pro duabus vicibus.

Inteſtinis & primis vijs purgatis atque reſeratis, quarto die, tria aut quatuor cochlearia deglutiat ſyrupi ſequentis.

Syrupus præparans.

R. *Syrupi de Cichorio cum Rhabarbaro* ℥iiij.
Betonica ℥ij.
Oxymellis ſimplicis ℥jß.
Miſce fiat ſyrupus, manè aſſumendus, ac paulò pòſt brodium gallinæ, in quo ſequentia incocta ſunt, ſorbeatur, quantitate ℥vj circiter.
R. *Betonicæ,*
Uvarum paſſularum minorum,
Radicum Ireos,
Cichorij ana ℥ß.
Miſce.

Prædictum ſyrupum unà cum hoc brodio per quinque dies repetat continuos, & ſexto die pilulas ſequentes.

Pilulæ.

R. *Pilularum Cochiarum* ʒß. gr vj.
De Fumo terræ,
Agarici trochiſcati ana ℈ß.
Formentur pilulæ N°. viij. deaurentur.

Suman-

Sumantur ſummo manè, horâ tertiâ vel quartâ, ac iterum ſomnus ineatur pro lubitu. proderit etiam, ſi has ipſas pilulas unà cum melle Roſato devoraverit. Interea antequam pilulas aſſumat, ſuadeo, ut pridie horis duabus ante cœnam enema ita paratum ſibi inijci curet.

R. *Brodij carnis* ℔j.
Mellis ℥ij.
Butyri recentis ℥j.
Salis parùm.
Miſce; fiat clyſma domeſticum.

Piluliseo, quo dictum, modo aſſumptis, ſeptimo ícuicet uie, ad alium ſyrupum progrediendum cenſeo.

Syrupus præparans alius.

R. *Syrupi de Cichoreo cum Rhabarbaro* ℥iij.
De Betonica,
De Fumaria ſimplici,
Oxymellis ſcyllitici ana ℥ij.
Miſce.

Deglutiantur de hoc ſyrupo pro vice ℥ij. ac inſuper ebibantur ℥iij. vel iiij. ex aqua deſtillata Salviæ ſylveſtris (Gallytrichum pharmacopœi vulgò nominant) aut ſi gratius eſſe videatur, prædictus ſyrupus cum hac aqua miſceri pôterit, & aſſumi: hoc fiat ſummo manè, ut ſomnus iterum pro lubitu iniri poſſit. repetatur hæc mixtura per quinque dies continuos. quo peracto, potio purgans talis exhibeatur.

Aqua Salviæ ſylveſtris, ſeu Gallytrichi.

Potio purgans alia.

R. *Radicum Polypodij,*
Bugloſſi ana ʒjß.
Foliorum Thymi,
Epithymi,
Florum Bugloſſi ana ℈j.
Betonicæ,
Anthos ana ℈ß.
Seminum Aniſi,
Pæoniæ ana ʒß.
Galangæ ℈j.
Miſce; fiat decoctio ſ. a. ad tertias. de colatura ſumantur ℥vij. & infundantur
Foliorum Senæ ſelectæ ʒijß.
Agarici trochiſcati ʒjß.
Corticis radicis Hellebori nigri præparati ℈ij.
Cinnamomi ℈jß.
Maneant in loco calido per noctem, manè factâ

colaturâ & levi expreſſione, diſſolvantur in liquoris ℥iiij.

Mannæ Calabrinæ ℥ij.

Oxymellis ſquillitici ℥ß.

Miſce fiat potio, accipienda calidè manè, & ineatur iterum ſomnus horâ circiter unâ, ac prandium horis quatuor differatur.

Atque hiſce remedijs ſpero, favente Numine, morbum hunc multùm imminutum iri. Dein ab omni medicamento per tres dies abſtineat; niſi quòd altero poſt purgationem die ʒj. boni Mithridatij cùm ʒij Sacchari Roſacei permixtam, ſummo manè, & inito deſuper iterum ſomno, devorabit, uſque ad horam decimam prandij jejunus permanens. Elapſis his tribus diebus ad ſacculos purgantes progrediendum erit.

Mithridatium cum Sacccharo Roſaceo.

Mulſum leni-ter purgans.

℞. *Radicum Polypodij,*
Bugloſſi,
Pœoniæ ana ℥j.
Foliorum Betonicæ,
Meliſſæ,
Roriſmarini ana Ꝑj.
Florum Bugloſſi,
Tiliæ,
Liliorum convallium ana Ꝑß.
Seminum Aniſi,
Pœoniæ,
Coriandri præparati ana ʒß.
Foliorum Senæ ſelectæ ʒij.
Agarici trochiſcati ʒjß.
Cinnamomi ℈j.

Miſce; fiat ſacculus, vel nodulus.

Qui accipiatur & coquatur in aqua mulſa ſeu metone ſecundario (𝔅𝔬𝔯𝔠𝔨𝔪𝔢𝔱 Germani vocant) vel aqua communi circiter ℥viiij per horæ quadrantem. ſtet poſtmodum per noctem in infuſione, manè colaturæ ℥v vel ℥vj exhibeantur Patienti calidæ. His aſſumptis ſomnus denuo ineatur per horam, & horæ quatuor ad prandium uſque intercedant. hæc potiuncula bis in ſeptimana repetatur: nam leniter ſine omni violentia purgat, viſcera principalia emendat, corroborat, totámque maſſam ſanguineam purificat. Loco jentaculi quotidie electuarium, nucis juglandis magnitudine, aſſumat, incipiendo ab initio ipſius curæ, merendæ verò loco rotulam unam, uti etiam poſt prandium & cœnam tragéam, accipiat, quantum capit cochlear unum.

℞. *Nucum*

R. *Nucum Myriſticarum in India conditarum recentium* ℥ij. — Electuarium confortans.
Corticis Citri exterioris ſine multa carne conditi ℥ß.
Radicum Pœoniæ Saccharo conditarum vel in earum defectu
Conſervæ florum Pœoniæ ℥j.
Specierum aromaticarum Roſatarum ʒj.
Syrupi florum Pœoniæ q. ſ.
Miſce fiat electuarium.

R. *Radicum Pœoniæ,* — Rotulæ.
Seminum Pœoniæ decorticatorum ana ʒj.
Specierum aromaticarum Roſatarum,
Caryophyllatarum,
Cinnamomi præſtantiſſimi,
Galangæ,
Macis,
Xyloaloës ana ʒß.
Nucis Moſchatæ
Schœnanthi ana ℈j.
Seminum Citri ℈ij.
Cubebarum,
Granorum Paradiſi ana ℈ß.
Cornu Cervi uſti,
Coralliorum uſtorum ana ℈ij.
Cum *Sacchari* ℥vj fiant rotulæ.

R. *Aniſi conditi* ℥ij. — Tragéa.
Coriandri conditi,
Fœniculi conditi ana ʒj.
Medullæ ſeminum Pœoniæ,
Cubebarum,
Coralliorum alborum & rubrorum ana ʒj.
Specierum aromaticarum Roſatarum ʒj.
DiaGalangæ ʒß.
Sacchari q. ſ. fiat pulvis ſeu tragéa.

Hæc medicamenta cerebrum confortant, morbóque ex proprietate adverſantur. Inſuper dum ſacculis medicatis ſuprà notatis nobilis Juvenis uti incipit, conſulo, ut ſingulis menſibus quater, nempe ſingulis Lunæ mutationibus, manè bibat aquæ epilepticæ Langij circiter ℥j. aut cochlearia duo, & illico deſuper morſellum unum devoret, in hunc modum confectum. — Singulis Lunæ mutationibus quæ facienda?

Morſelli.

℞. *Seminum Pœoniæ excorticatorum* ℥ß.
Margaritarum præparatarum ʒß.
Macis ℈ß.
Foliorum Auri N°. vj. in pulverem redact.
Miſce & cum ℥viiij. *Sacchari albiſſimi in* ℥v. *aquæ Langij* ſoluti, & ad perfectionem decocti fiant morſelli.

Chirurgica.

Chirurgiam quod attinet, ſuaſor ſum, ut poſt aſſumptos ſyrupos & factam purgationem venæ ad talum in utroque pede incidantur, ſanguíſque effluat in ſingulis ad ℥iij. ſcarificationes fiant in dorſo, cucurbitulis quatuor, ſemel in menſe. ſed balneum & fornacem calefactam in hac operatione fugiat; ſufficit, ut tergum linteis calidis priùs perfricetur. Denique neceſſarium erit, ut factis purgationibus & miſſione ſanguinis, tribus continuis diebus, errhino ſequenti utatur.

Errhinum.

℞. *Foliorum Salviæ,*
Majoranæ recentis,
Betæ ana Mj.
Contuſis affunde aquam deſtillatam *Majoranæ* q. ſ. poſtmodum exprimantur per linteum. de hoc liquore, cochlearia tria aut quatuor, per vicem in nares attrahantur, manè, jejuno ſtomacho.

Hæc cura uſque ad dies Caniculares continuari poterit; poſtmodum docebo, quomodo nobilis Juvenis in ijs ſeſe gerere debeat, & quænam ulteriùs adhibere: cùm omnia & ſingula pro hac vice afferri & præſcribi non potuerint. DEUS Ter Optimus Maximus hiſce aliíſque omnibus medicamentis ſuam addat gratiam & benedictionem.

NB. *Defuerunt in hoc Conſilio aliqua Recipe: nempe Potio purgans altera, & dein Nodulus pro Mulſo. quæ tamen ita à me ſubſtituta ſunt, ut textui ſtatim ſubſequenti congrua eſſe videantur.*

CON-

CONSULTATIO XII.

EPILEPSIA EX UTERO.

PRO

NOBILI VIRGINE.

Ad Virum Clariſsimum.

Nobilis & Clariſſime Vir, Amice honorande, etſi præter ſummam capitis imbecillitatem litteras ſcribere nequaquam, Amanuenſi etiam perpaucas eas ægrè dictare poſſim, ad tuas tamen breviter, cogitatè tamen, acre fideliter expenſa reſpondeo.

Virginis iſtius nobilis morbus, quem dolenter cognovi, ad uterum omnino referendus eſt; quamvis enim menſes ſuppreſſi non ſint, nihilominus vel validè non fluunt, vel ſanguis fervet, qui acres vapores cerebro ſubmittit. Hinc magno cum fructu utramq; ſaphenam rurſus tundendam largitérque ſanguinem manare curabis; quod remedium & ratio ſuadet, & Galeni auctoritas epilepticis crurum venas incidere revulſionis causâ jubentis: biduo vel triduo ante menſtruam periodum abſolutam rectè adhibetur, præmiſſo pridie clyſtere paulò acriore, in quo nempe ſemiuncia Hieræ Pachij ſit diſſoluta, proſtridie phlebotomiæ alvum ducere ſuadeo ʒj. Hieræ Pachij, formâ boli, vel pilularum ſummo manè porrectâ: A vino abſtineat aquæ potu contenta, cui Viſci quercini aliquid & Cornu Cervi ſit incoctum, nec non cruſta panis cibarij modicè toſti infuſa. proderit quoque antidotus ſeu Antiepileptica aqua, quæ habet:

Uterus ſæpe inculpandus, etſi menſes fluant.

Epilepticis crurum venas incidere utile eſt.

Purgatio.

Aqua Antiepileptica.

℞. *Aquæ Ceraſorum nigrorum* ℔j.
Florum Tiliæ ℔ß.
Permixtis addantur
Cornu Cervi uſti & loti ʒij.
Succini albi præparati ʒj.
Confectionis manûs Chriſti perlatæ ʒj.
Miſce; offeratur unciola una,bis térve quotidie, die 4. 3. & 2. ante menſium eruptionem.

Ad præcautionem, utiliſſimus erit frequens clyſterum uſus, uti & frictiones crurum matutinæ veſpertinæque ante cœnam. His auxilijs, ſi ſanitatem non conſequatur virgo, utrique cruri cauterium imprimatur, in interna parte ſupra genu, in quo auxilio ſecundùm DEUM ſpem maximè collocabit; neque id per omnem vitam geſtare opus fuerit; quod fortè abſterrere illam poſſet.

Cauterium in utroque crure utiliſſimum.

CONSULTATIO XIII.

CONVULSIVI MOTUS A VENTRICULI ET UTERI CACOCHYMIA.

PRO VIRGINE MONIALI.

Vera Epilepſia integris ſenſib. & mente illæſa non fit.

Convulſivi motus epilepſiæ ſimiles (veram epilepſiam integris ſenſibus & mente illæſa non fieri noſti) quos Monialis apud S. Catharinam experitur, rectè ventriculi & uteri cacochymiæ adſcribuntur; ſicuti & remedia ab Excellentia Veſtra cæteriſque Excellentiſſimis Viris decreta abolendis totius mali cauſis convenientiſſima fuerunt, eruntq; impoſterum. Vehementer probo, ut vitioſorum ſuccorum evacuationi inſiſtatur: ſunt illi acres mordacéſque ante tempus ſtimulantes menſium fluxum, quem interim non ſine noxa ſiſti ſeribitur; neque ego ſupprimendum, ſed per acrium excrementorum repetitas purgationes moderandum cenſeo. Obſervavi & ipſe in Principe fœmina ſyncopas terribiles cum ſudore frigido & pulsûs abolitione, mox à cibo obortas etiam parco; quæ repetita alvi ſubductione à levi medicamento & clyſteriolis haud longè pòſt ſanitati eſt reſtituta. In paroxyſmo exteriùs apponebam ori ventriculi goſſypium oleo Amygdalino & Chamæmelino, ni fallor, imbutum; guttulas item aliquot olei ſeminis Aniſi ex cochleari juſculi caponis vel vini malvatici (quod hìc fortè non admittendum) deglutiendas porrigebam. Murmure in ventriculo, ac flatibus ructu excluſis, inde excitato, ſyncope diſparebat; ſolo jure caponis cum panis medulla ſuſtentabatur. Memini & monachi cujuſdam juvenis, qui

Obſervatio ſyncopes terribilis ob ſtomachi cruditates.

ubi tam-

ubi tantulum cibi calidi aſſumeret, protinus ſymptomatibus horribilibus, qualia hæc virgo patitur, corripiebatur. is quoque repetitis levioribus medicamentis alvum ducentibus & clyſteribus fuit liberatus. Ad ſuccos acriores, menſes ante tempus copiáque immodicâ expellentes, blandè educendos, potiunculam felici ſucceſſu porrigere ſoleo, qualis eſt hæc.

Syncope ex cruditate levioribus medicamentis & clyſteriolis tollitur.

R. *Mannæ* ℥iiß.
Diſſolve *in aqua Plantaginis* q. ſ. adde
Rhabarbari electiſſimi pulveriſati ʒj. vel ℈iiij.
Interdum etiam
Corticum Myrobalanorum citrinorum ℈j.
Syrupi Myrtini ℥j.
Si flatus à *Manna* metuantur, addatur aliquid *Cinnamomi*; & *aquæ Plantaginis* ſubſtituatur *aqua Chamomeli*.

Sæpe aſſumptum hoc medicamentum conducit mirificè, non neglectis clyſteribus blandis. In paroxyſmo exhibentur guttulæ aliquot olei ſeminis Aniſi; deinde naribus admoveatur hoc auxilium.

Olei Aniſi guttæ aliquot; in paroxyſmo ſyncopes flatulétæ utiliſſimæ ſunt.

R. *Foliorum Rutæ recentis* Pj.
Caſtorei ℈j.
Contundantur affuſo *aceti Rutacei* momento,
Fiat inſtar linimenti.

Odoramenta naribus admovenda.

Ad convulſionem ori indatur pauxillum hujus electuarij.

Electuarium ori indendum.

R. *Theriacæ Andromachi*,
Communis ana ℈j.
Foliorum Rutæ,
Seminum Erucæ,
Naſturtij,
Caſtorij ana ʒß.
Miſce *cum melle Roſato* fiat electuarium.

Nutriatur ægrota vitellis ovorum ſorbilium, juſculis caponum, & contuſis. à ſolidis aliquamdiu abſtineat.

Dictavi hæc occupatiſſimus &c.
Monachij 30. Martij. 1611.

CONSVLTATIO XIV.

MELANCHOLIA CUM VARIJS ACCIDENTIBUS.

PRO

QUADAM FOEMINA CONJUGATA.

Ad Maritum Virum honeſtum.

*

AD ea, quæ de uxore tua ſcribis (nempe detineri illam melancholiâ cum ſuſurro & ſtrepitu in capite, vertigine & tremore, ut vix ambulare vel ſedere poſſit: timere, iraſci cum ancillis, veternoſam eſſe, & à ſomno excitatam horam unam vel alteram neſcire, quid faciat, poſtea debilem reddi: obambulare interim ſatis coloratam: poſt paroxyſmum putare ſibi morbum deſcendere ad cor & totum corpus, bibere ad paſtum vinum Auſtriacum; ſed à quinque vel ſex ſeptimanis bibere lac ſeminis Cannabini, ídque putare ſibi prodeſſe, ſed corpus inde non corroborari; ætatis annum agere ſexageſimum ſeptimum &c. quæ addis) paucis reſpondeo, affectum hunc alium non eſſe, quàm melancholiam ortam ex pravo terreſtri & aduſto ſanguine, quo non ſolùm corporis reliqui, ſed etiam venæ cerebri impletæ ſunt & aggravatæ; unde varia incommoda maximè timor, mœror, ignorantia, oblivio, & imaginatio prava enaſcitur. An morbus iſte curabilis ſit? equidem affirmare non poſſum: timeo, cùm malum radicatum, ipsáque Patiens ætate ſit declinanti, curam fore perdifficilem, ne dicam impoſſibilem. Etenim præterquam quòd ad tales curas multa requirantur, ad loca diſſita medelas inſtituere, perquam eſt difficile; ut taceam vires uxoris tuæ mihi non ſatis eſſe perſpectas. Attamen ne negligere illam ex toto videar, aliqua remedia à me conſignata, & hîc Monachij confecta tranſmitto, tali modo adhibenda.

R. *Electuarij Diacatholici* ℥v.
Mellis Roſati laxativi ℥iiij.
Aquæ Boraginis q. ſ.
Miſce fiat potio.

Detur

Detur in vaſe terreo, pro itinere & ſignetur litt. A.

Immittatur cum vaſe tranſmiſſo in aquam calidam & ſpatulâ aliquâ agitata calefiat. calefacta in vaſculum argenteum vel ſtanneum transfundatur, aſſumatúrque horâ ſextâ vel quintâ manè. horâ nonâ poſtmodum brodium gallinæ inſulſum ebibatur. Poſtridie per quietem tranſacto, tertio die ad apozema progrediendum erit, quod, niſi diarrhœa adſit, tribus diebus continuetur, prout ſcilicet alvus exin laxior evadet.

Apozema præparans evacuans ſuccum melancholicũ.

℞. *Radicum Polypodij quercini,*
Bugloſſi ana ℥v.
Foliorum Senæ electæ ℥vj.
Epithymi ʒiij.
Seminum Aniſi,
Macis,
Cinnamomi ana ʒß.
Paſſularum ℥vj.
Florum Boraginis,
Bugloſſi ana ℈ij.
Anthos ℈j.
Herbæ Betonicæ Mj.

Coquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℔j. ſtent per noctem, fiat manè colatura, in colatura diſſolve
Syrupi è Pomis ℥iij.
E Betonica,
E corticibus Citri ana ℥j.

Miſce; fiat Apozema, ad tres doſes. quarum quælibet propinetur calida, ſummo manè, ut ſomnus deſuper iterum iniri poſſit. horâ circitèr nonâ juſculum gallinæ inſulſum ſingulis vicibus ſuperbibatur.

Hiſce peractis, ſi vires Patienti conſtent, vena mediana in brachio ſiniſtro tundatur, ſanguiníſque unciæ circitèr quinque effluant; quod tamen fiat non in ſella uti mos eſt, ſed in lecto, ne vires tam facilè exſolvantur. Poſt ſanguinis miſſionem, ſequentem (niſi illam præſens diarrhœa aliqua prohibeat) ſuadeo potionem purgantem littera B. notatam.

Potio purgans.

℞. *Foliorum Senæ electæ* ʒij.
Agarici præparati,
Epithymi ana ʒj.
Radicum Polypodij quercini ʒjß.
Liquiritiæ ʒj.
Paſſularum ʒiij.

Florum Boraginis,
Bugloſſi,
Anthos ana Pj.
Decoquantur in ſ.q. *aquæ Boraginis* ad ℥iiij. poſt horas ſex colentur, in colatura diſſolve
Mannæ ℥iiß.
Oxymellis ſimplicis ℥ß.
Miſce; fiat potio, notetur litt. B.

Corpore expurgato, emplaſtica probo, in hunc modum parata.

Emplaſtrum cephalicum ex nucleis Juglandibus in melancholia.

R. *Nucleorum Juglandium unà cum interſtitio* N°. xxv.
Contundantur, deinde infundantur in *vino aduſto*, donec imbibant vim. deinde dentur ad fictile. Signetur emplaſtrum litt. A.

R. *Florum Origani,*
Foliorum Salviæ anguſto folio,
Baccarum Juniperi ana Mj.
Nucleorum Juglandium N°. x vel xij.
Miſce. contundantur ſimul, deinde macerentur *in vino aduſto* octo vel decem horas. detur ad fictile. Signetur emplaſtrum litt. B.

Abradantur crines in vertice capitis circum circa, coronæ magnæ inſtar, uti Monachis fieri ſolet, ac imponatur emplaſtrum lit. A. atque hoc emplaſtrum diem unum noctémque unam impoſitum maneat. poſtea alterum emplaſtrum lit. B. ſignatum accipiatur, cujus media pars linteo inducta in vicem prioris imponitur, impoſitum per quindecim horas relinquitur. hoc facto reliqua pars emplaſtri, depoſito priore in eundem locum ſubſtituitur, & uti priùs per horas quindecim inibi adſervatur.

Lac è ſemine Cannabis epotum mihi non probatur; ſuadeo, ut illius loco ſequens potus præparetur, quo utatur aliquamdiu.

Aqua cocta, ſeu potus ordinarius pro Melancholica.

R. *Radicum Bugloſſi* ℥ß.
Seminum Aniſi ℈iiij.
Paſſularum ℥iijß.
Coquantur in ℔vi *aquæ* ad quartæ partis conſumptionem, in fine adijciendo
Cinnamomi acuti parùm contuſi ℥ß.
Fiat potus ordinarius.

Cibi ſint boni ſucci, utpote capi juvenes, pulli, columbæ, aliæque carnes animalium juniorum facilis concoctionis. Ex piſcibus conceduntur funduli, thymali, lucij parvi. Lacticinia, paſtilia, olera prohibentur.

Hæc

Hæc aſſignâſſe ad interim ſufficiat, plura ſi iterum monitus fuero addam. interim tamen pro laxanda alvo ſuadeo impoſterum cochleare unum alterúmve horam unam ante prandium aſſumptum ex electuario tranſmiſſo. DEUS his remedijs ſuam gratiam addere dignetur. Monachij 11. Decembris 1610.

R. *Electuarij Diaprunis magiſtralis* ℥viij.

CONSULTATIO XV.

MELANCHOLIA EX PRÆCORDIJS.

IN JUVENE RELIGIOSO.

QUæ poſt evacuationes, hactenus felici cum ſucceſſu factas ad melancholica iſta ſymptomata impoſterum præcavenda meo conſilio adhiberi debent, duo ſunt. Primum eſt idonea victûs ratio, quâ ſolâ unà cum aquæ dulcis balneo id genus affectus non inveteratos Galenus perſanavit; in hac à Clariſſimo Domino Doctore Medico præſente (haud dubiè) accuratè jam inſtituta, unum hoc moneo, ut curæ, ſolicitudines meditationéſque longiores, jejunia abſint, animúſque, quantum per religionem licet, laxetur.

Melancholia nondum inveterata, ſola victûs ratione & balneo curatur.

Alterum eſt, ut cordis magna habeatur ratio, ea nimirum tam in cibo & potu, quàm in medicamentis, offerendo, quæ illi robur adijcere, ejúſque ſpiritus prout animales quoque augere, ac depurare, lucidóſque reddere poſſunt. In vino laudo Bugloſſi radices tantopere ab Arnoldo Villanovano decantatas, nec non extimos cortices Citri, abjecta nimirum carne; hujus vini medicati modicè diluti uſus ad complures hebdomadas vel menſes omnino fuerit convenientiſſimus; cerevifia ſicut & aqua cruda omittatur. loco jentaculi proderit jus gallinæ, vel, quod præſtat, pulli gallinacei aut columbini, cui Borago, Bugloſſum, Lupuli ſalictarij ſtolones ſeu tenella germina, quibus coctis loco acetarij hîc utimur, nec non modicum Meliſſæ vel Menthæ incoctum ſit.

Vinum cum infuſione radicum Bugloſſi, ſummè comendatur.

Juſculum medicatum.

Non parùm præterea commodabit opiata, ſeu electuarium, hunc in modum paratum.

Electuarium confortās anti-melancholicū.

R. *Conſervæ Roſarum Damaſcenarum* ℥iiij.
Florum Bugloſſi,
Boraginis,
Roriſmarini,
Violarum ana ℥j.
Corticum extimorum Citri Sacchaṙo condito-rum & inciſorum ℥ij.
Specierum Diambræ ʒß.
Lætificantium Galeni ʒjß.
Confectionis Alkermes ʒij.
Syrupi è corticibus Citri ℥ij.
Miſce; fiat electuarium.

Principes animæ functiones in cerebro quidem peragi, ſed in corde radicē obtinere, credibile eſt.

Cujus ſemiuncia manè poſt aſſumptum juſculum rectè porrigetur, cordi roborando mirè idoneum remedium, ſicuti & cerebro. Apud me autem certum & indubitatum eſt, principes animæ functiones in cerebro quidem peragi, ſed in corde radicem ſuam obtinere ex Ariſtotelis ſententia, neque minimùm referre, quales ſpiritus vitales cerebro à corde ſuppeditentur; in hoc verò juvene certum eſt, cerebro melancholicum affectum nullum fuiſſe, neque in venoſo genere totius corporis; ſed quidquid vitij fuit, id è præcordijs ſeu hypochondrijs cordi primùm ac deinde cerebro communicatum, id quod Excellentiſſimum ejus Medicum probè obſervâſſe, eóque in curatione reſpexiſſe nullus ambigo.

CONSULTATIO XVI.

DELIRIUM CUM FURORE.

IN JUVENE NOBILI.

Ad Medicum quendam.

Cum nuper hinc diſcederet Sereniſſimus Archidux Ferdinandus, reliquit apud nos Juvenem, qui repentè in inſaniam inciderat; cùm verò valetudinis ejus curandæ negotium à Principe meo clementiſſimo mihi datum ſit, officij ratio poſtulare videtur, ut ad Excellentiam Veſtram de præſenti ipſius ſtatu aliquid ſcribam, quod Sereniſſimo

Archiduci per occaſionem ſignificari poſſit. Homo primis diebus cum furore inſanivit, ita ut feneſtras effringeret, aſſiſtentes invaderet, nec coërceri abſque vinculis ullo modo poſſet; verbum nullum loquebatur, ad interrogata non reſpondebat, circumſtantes truculenta facie aſpiciens. Injecto enemate miſsóque ſanguine furor conquievit, relictâ tamen inſaniâ. A medicamento purgante quietior factus, ſequentibus diebus melancholiam reſpicientes ſyrupos aliquot aſſumpſit, ac ſecundo dein pharmaco exhibito cum multis heterogeneis ac corruptis humoribus lumbricos duos excrevit, minúſque deliravit. Hoc tempore obambulat in ædibus, modeſtus eſt, ſed meticuloſus eſt & puerilis: nunquam febre viſus eſt carere, quæ tamen in dies manifeſtè remittit. Urina antehac rufa & craſſa, nunc planè laudabilis apparet. Verùm ita debilis eſt, ac præſertim facultas animalis, ut nequicquam ſe debeat in viam dare, licèt reditum ad parentes urgere incipiat. Utitur victu analeptico, ſatíſque rectè ſe habet ad oblata. à vino, meo juſſu, abſtinet. Hæc occurrerunt, Tuæ Excellentiæ ſcribenda, ſeu exaranda potiùs. feſtinatis litteris ignoſcat, méque mutuò amet.

Inſaniētis ſymptomata.

Inſaniens ab excretione vermium videbatur habere melius.

Monachij.

CONSULTATIO XVII.

INSANIA.

IN PUELLA.

Ad Medicum quendam.

Nobiliſſima fœmina de N. conſilium à me pro filiâ ſuâ flagitat, orans majorem in modum, ut remedia ad illam mittam, quibus virginem quandam ſimili modo inſaniæ afflictam, à me ſanatam fuiſſe acceperit. Ego ut maximè velim miſellam juvare, ita certè id aggredi non auſim, utpote qui Puellam non vidi, neque de morbi eſſentia, ſymptomatibus, de viribus, ac remedijs hactenus adhibitis, nihil hucuſque acceperim. Curavi equidem melancholicos & maniacos, ſed methodo rectâ indicationibus nempe ex arte ſatisfaciens. Si Puella hæc maniaca eſt furore ſcilicet ſine febre laborans, ſi men-

ſes parciùs fluant, corpúſque ſanguine refertum ſit, factis phlebotomijs venæ brachij baſilicæ vocatæ, & ſaphenæ utriuſque pedis, ea quæ in fronte eſt ſecari poterit, præmiſſo clyſtere. vacuetur etiam medicamentis alvum ducentibus paulò validioribus (leniora puto jam oblata ab Excellentia Tua) qualia ſunt decoctum Ellebori nigri, ſpecies Hieræ Pacchij, quibus ego felici ſucceſſu in alijs non ſemel uſus ſum. Si vires ſunt robuſtæ ſatis, grana aliquot Stibij in vitrum redacti pulveriſati vini albi & aquæ Boraginis ana ℥iß. infundantur pernoctem, manè porrigatur colatura præmiſſo juſculo; fiat periculum cum granis iiij. v. vel vj. Corpore vacuato, ſi vigiliæ adſunt, emulſio offeratur ex ſeminum Papaveris albi ℥ß. ex Amygdalis dulcibus parata, ad tres circiter doſes. Lotiones adhibeantur pedibus in decocto Chamæmeli, Meliloti, Anethi, capitibus Papaveris, folijs Salicis, Roſarum, Violarum.

Hiera Pacchij feliciter adhibetur in inſanientibus.
Antimonij infuſio.
Emulſiones.
Pedū lotiones.

Capiti oxyrrhodinon proderit ex oleo Roſarum, Chamæmeli, aqua Roſarum, Meliloti, aceto Sambucino, addito pauco Caſtoreo. Item capiantur foliorum Origani, Salviæ ana Mß. granorum Juniperi N°x. contundantur, nucleorum nucum Juglandium contuſorum N° vj. vel viij. omnia infundantur in vino aduſto tres vel quatuor horas, deinde contuſa, vertici imponantur, factis evacuationibus factitandis. ſed omnia cautè fiant, cavendo ſcilicet febrem, ac cætera, ſi quæ obſtant. proponuntur enim hæc tibi Viro docto & Medico prudenti, ut ſcilicet afflictæ matri morem geram; Tua Excellentia boni conſulat tumultuariè exarata.

Oxyrrhodinū & Emplaſtica.

Monachij 29. Aprilis 1612.

CONSVLTATIO XVIII.

HEMIPLEGIA.

PRO

CONCIONATORE BAMBERGENSI CLARISSIMO.

Iſi Reverendus admodùm & Clariſſimus Dominus ſibi diſſimilis planè ſit factus, temperaturam cùm corporis totius, tum verò ipſius capitis impensè calidam obtinet. Hemiplegia à ſanguinis crudioris copia proin (ut Hippocrates loquitur) aſſiduè attracta originem ſuam habuit.

Quod

Quod ſi ita eſt, jure optimo ſuſpectæ eſſe debent thermæ omnes, metu ſcilicet colliquationis humorum, quæ apoplexiam veram parere queat; hoc præſertim tempore, quo morbus recens, atque necdum ſatis adultus eſt.

Thermæ ob metũ colliquationis ſuſpectæ, præſertim ſi humores crudi, & morbus ſit in principio.

Lavationi præfero levem Therapiam hydroticam ex decocto Chinæ, & pauxillo ligni Saſſafras, corpore ſæpius atque exquiſitè priùs purgato, ſanguine miſſo, capite errhinis & maſticatorijs vacuato, & frugali valde ratione victûs adjuncta. Brachio læſo conveniens erit remedium unguentum de Bdellio Meſuæ, mihi experientiâ probatum, in maximæ dignitatis perſona brachij paralyſin patiente.

Cura ſudorifera.

Unguentum de Bdellio in paralyſi expertum remedium ab Auctore.

Præſervatio ab apoplexia, ac paralyſeos recidivæ, conſiſtit in parciſſimo cibo & potu, vini generoſi fugâ, crebris purgationibus levioribus, quæ vitioſos humores ſuccreſcere non patiuntur, ac tandem in revulſione ac derivatione humorum, ſi qui proveniant, per cauteria duo, unum in crure ſano, alterum in nucha impreſſum. Sic ſentio ego, qui pauca hæc tumultuariè ac feſtinato calamo ſcripſi.

Cauteria duo unũ in nucha, alterũ in crure.

Monachij 25. Aprilis 1603.

CONSULTATIO XIX.

PARALYSIS SEU POTIUS HEMIPLEGIA CŪM INTEMPERIE HUMIDA CEREBRI VISCERUMque NATURALIUM LÆSIONE.

PRO

PRINCIPE QVODAM ECCLESIASTICO.

*

Affectus, qui Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Principem elapſis proximè diebus in latere ſiniſtro afflixit, hemiplegia dicitur, quæ aliud nil eſt, quàm medietatis cerebri & ſpinalis medullæ obſtructio, ob quam ſpirituum animalium influxus ad motum neceſſarius ex illa parte prohibebatur. talem obſtructionem effecêre pituitoſæ humiditates in cerebro adeò auctæ, ut illæ (niſi ſingulari DEI & Naturæ benefi-

Hemiplegia quid, & quæ ejus cauſa?

beneficio deorſum ad ſpinalem medullam & inde in nervos fuiſſent compulſæ) apoplexiam fortem humanis auxilijs incurabilem produxiſſent. Verùm prædicta humiditas jam per ſudores partim, partim per inſenſibilem tranſpirationem (laus DEO) diſſipata eſt, ut proinde nervi non ampliùs adeò ſint relaxati & obſtructi; atque Reverendiſſimus Princeps brachium ſat commodè iterum movere poſſit. Interim tamen cùm in cerebro multæ humiditates, intemperies morbosè frigida, ejuſdémque debilitas ſuperſit, meritò ob metum recidivæ, quam DEUS clementiſſimè avertat, remedia conquiruntur.

Symptomatum cauſæ.

Ad hæc ventriculus propter crebras cruditates multámque pituitam ibi cumulatam laxior, & debilior factus, intemperie frigida laborat; unde vapores copioſi ſeſe elevant, cerebrum onerant, ac humiditatibus implent, quarum pars ad pectus decidendo tuſſim in Illuſtriſſimo Principe excitat diuturnam. Hepar obſtructiones pati, ac non parùm læſum eſſe, apparet ex colore faciei malo ſubpallido, atque etiam pedibus intumeſcentibus, pravæ ſcilicet ſanguificationis argumento.

Prognoſticum.

Prognoſticum quod attinet, dico, ſi Illuſtriſſimus Princeps convenientem victûs rationem ſtudiosè & patienter obſervabit, ad hæc pauca quædam medicamenta tam præſervantia quàm corroborantia ſummè neceſſaria adhibere velit, poterit, favente Numine, aliquatenus reſtitui, quod minimè cæteroquin humana ope artíſque ullo ingenio fiet: nam niſi in diæta obſervetur debita menſura & temperantia, malum certò recrudeſcet, aut hydrops tandem ſubſequetur.

Diæta.

Itaque cùm diæta ſeu victûs ratio primum ſit in arte Medica inſtrumentum, ſine quo cætera parùm poſſunt, illam primo loco ponimus.

Per diætam intelliguntur ſex puncta ſeu res: aër ambiens, cibus & potus, ſomnus & vigilia, excretio & retentio, motus & quies, animi denique affectus.

Aër.

Aër ſit temperatus ad caliditatem parùm & ſiccitatem declinans; ſed hypocauſta vehementer calida Illuſtriſſimo Principi nocent: humiditates enim in capite reſolvunt, inappetentias, ſitim augent, vigilias accerſunt; idcirco conſultum duco, ut Illuſtriſſimus Princeps paulatim ex hypocauſto ad cubile ordinarium redeat ad nocturnum capeſſendum ſomnum, aërem tamen parentem per aliquot ſeptimanas adhuc fugiat, præſertim ſi ille frigidus, ventoſus, nebuloſus, aut humidus exiſtat.

Cibus & potus.

Cibi ſint boni ſucci, facilis concoctionis, & aliquatenus ſubcalidæ & exſiccantis naturæ: nam omne alimentum, quod durum eſt aut etiam mucoſum, nocet: quocirca in hiſce Illuſtriſſimus Princeps, conſilio Medici ordinarij

dinarij diligenter acquieſcet. Potus ſit vinum non admodum generoſum & moderatè ac non niſi pro neceſſitate aſſumptum. ab omni potu turbido, utpote cereviſia, muſto, vino Reinfallino abſtineat, caveatque ne extra prandium aut cœnam, vel tardè de noctu, ventriculo clauſo, potu intempeſtivo coctionem turbet. Somnus pomeridianus capiti nocet, nec unquam admittendus de die, niſi forſan Illuſtriſſimus Princeps noctem habuiſſet inſomnem, attamen prandium ſomnus immediatè nunquam excipiat. Alvum laxam eſſe oportet, quæ ſi non reſpondeat, cibis laxantibus, ſuppoſitorijs, clyſteribus, qui valde in caſu præſenti utiles forent, aut pilulis ſollicitanda erit, ut caput à vaporibus ſubvolantibus non oneretur, aliáque periculoſa accidentia præcaveantur. Porrò ſi Illuſtriſſimus Princeps majores vires collegerit, exercitium corporis aliquod neceſſarium erit, quod fiet vel pedibus, vel curru, aut equo ambulando aëre temperato & concoctionibus peractis, nullíſque obſtructionibus alvinis præſentibus; uti enim exercitium debito tempore & modo inſtitutum ſummè prodeſt, ita intempeſtivè factum varia incommoda adducit. Idem de balneis ſentiendum, nam illud pleno ventre inſtitui minimè debet, nec mox à balneo ad cibos aſſumendos progrediendum: ſiccum porrò balneum herbis accommodis alteratum magis probatur quàm humidum, utrumque tamen hoc tempore adhuc omittendum. Caput Illuſtriſſimus Princeps lavare poterit lixivio, in quo per noctem ſequentia maduerint.

Somnus & vigilia.

Excreta & retenta.

Exercitium.

Lixivium magiſtrale pro capitis excrementis expurgandis & ſiccandis.

R. *Betonicæ* Mj.
Salviæ Mß.
Florum Roriſmarini,
Roſarum rubrarum,
Perſicorum,
Chamomillæ,
Stœchados,
Majoranæ ana Pj.
Radicum Aſari,
Corticum Citri,
Arantiorum,
Agarici crudi ana ℥jß.
Foliorum Senæ ℥ß.
Nucis Moſchatæ ℥j.
Miſce; madefiant in ℔iiij lixivij, quo caput lavetur.

Facta lavatione, caput exſiccetur linteis Maſtiche accenſo perfumatis. Pedilotium quoque parabitur ex decocto Betonicæ, Chamomillæ,

Pedilotium caput corroborãs.

momillæ, Roſarum & Roriſmarini. Animi affectus vehementes præcipuè iram, mœſtitiam & curas nimias Illuſtriſſimus Princeps evitet, econtrà hilaritati & recreationibus, quantum fieri commodè poteſt, ſtudeat. & hæc de diæta.

Altero inſtrumento, nempe chirurgiâ, hoc tempore Illuſtriſſimus Princeps, præterquam quòd cucurbitulas ſcarificatas conſuetis temporibus admittat, non admodum indiget.

Tertium Inſtrumentum, nempe pharmaca, Illuſtriſſimo Principi utilia planè & per intervalla neceſſaria forent; verùm cum ille medicamenta omnia vehementer averſetur, nec ijs aſſuetus ſit, pauca tantummodo nec ingrata proponam. Primò itaque ſingulis octiduis ſemel ℈ß. ſequentium pilularum accipiat.

Pilulæ cephalicæ.

R. *Aloës Soccotrinæ optimæ* ʒß.
Lavetur unica lotione cum *aqua Roſarum Endiviæ & Betonicæ.* deinde adde
Rhabarbari electi ℈jß.
Cubebarum,
Caryophyllorum,
Cinnamomi ana ℈ß.
Miſce; formentur pilulæ cum *ſucco Roſarum.*

Purgant & confortant ſtomachum & caput, obſtructiones reſerant hepatis, ſanguinem depurant, & denique corpus à pluribus malis præſervant. Externè ſtomachus ſequenti linimento ante menſam inungatur.

Linimentum ſtomachale.

R. *Styracis calamitæ*,
Benzoi,
Olei Maſtichini,
Nucis Moſchatæ ana part. æq.
Fiat mixtura.

Pro majori corroboratione ventriculi & capitis, item reſeratione obſtructionum hepatis, ac hydropis præcautione, ſuaſor ſum, ut Illuſtriſſimus Princeps primum hauſtum in prandio ſemper faciat ex vino, in quo Abſinthium Romanum, Betonica, parúmque Roriſmarini fuerit infuſum.

Vinum abſinthites.

Ut verò malum hoc prægreſſum, & futura incommoda (favente Numine) ſecuriùs præcaveantur, Illuſtriſſimus Princeps pulverem, qui ex Succino albo, ſpeciebus Diarhodon Abbatis, Perlis, ac Corallijs paratus eſt, ſingulis menſibus ſemel pondere ʒj. accipiat. item ſubinde pulverem Auſtriacum ex Viſco quercino, Pœonia, Cubebis, Cardamomo, Nuce Moſchata, ſeminibus Erucæ & Roriſmarino conſtantem, quantitate nucis avellanæ, cum aqua Lavendulæ, Lilij Convallij, vel etiam, ſi ita videbitur, cum aqua Langij aſſu-

Pulveres caput corroborãtes & ſiccantes.

gij aſſumat. Pro corroboratione capitis, ventriculi, aliorúmque inſerviet quoque ſequens electuarium.

Electuarium ad idem.

R. *Diacori vulgaris* ℥j.
Nucis Moſchatæ Indicæ conditæ,
Corticum Citri conditorum ana ʒß.
Incidenda incidantur, & cum *conditura Zinziberis* fiat mixtura in formam electuarij.

De quo Illuſtriſſimus Princeps ſingulis diebus, quamdiu nempe debilitatem aliquam in brachio & pede ſenſurus eſt, jejunus parùm devoret.

Hiſce per aliquod tempus uſurpatis, & viribus aliquo modo recuperatis, primæ & ſuperiùs deſcriptæ pilulæ in ſequentes erunt immutandæ.

Pilulæ aliæ.

R. *Specierum Dialaccæ* ʒj.
Rhabarbari electi pulveriſati ʒij.
Aloës lotæ ʒß.
Specierum Diarhodon Abbatis,
Trochiſcorum Alhandali ana ℈j.
Formentur pilulæ inſtar cicerum, capiatur ℈j. bis in ſeptimana aut rariùs, pro ratione virium.

Porrò non incongruum foret vino medicato ſuperiùs enarrato, addere parùm Agrimoniæ, & Ceterach, uti etiam manè ſyrupum de Cichorio cum Rhabarbaro ad cochlearia duo aſſumere. Atque hæc remedia ſpero, ſi Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Princeps patienter adhibuerit, quàm maximè profutura; quod DEUS clementiſſimè confirmet.

* *
*

CONSULTATIO XX.

NONNULLA LOQUENDI DIFFICULTAS, SEU LINGUÆ PARALYSIS, ET CONVULSIVI ALIQUOT PARTIUM FACIEI MOTUS, UNA CUM EXTREMORUM SCABIOSO PRURITU.

PRO VIRO NOBILISSIMO.

DE linguæ paralyſi, & convulſivis aliquot partium faciei motibus, quibus Nobiliſſimus Dominus olim laboravit, Clariſſimum Medicum Solenandrum rectè ſenſiſſe, veréque ſcripſiſſe, omnino cenſeo. Neque enim ſanguinis extravaſati grumum horum ſymptomatum cauſam fuiſſe, ut quidam opinatur Medicus, vel ob id exiſtimandum eſt; quòd is exitu per nares, aures, & os deſtitutus, concepta paulò pòſt putredine, inflammationem atque adeò interitum attuliſſet. Cauſa verò, cur periculoſum illum caſum, nec univerſalis convulſio, neque apoplexia, neque alius gravior morbus ſubſecutus fuerit, Naturæ robori ſecundùm DEUM attribuenda eſt: quæ dum cerebrum vehementiſſimè concuteretur, humorum apparatum, tum fortè præſentem pituitoſorum nempe, quibus cerebrum hyemali præſertim tempore abundat, ad linguæ & faciei muſculos, & poſticam capitis partem ablegavit, defenſis ſcilicet cerebri ventriculis, nobiliſſimarum functionum conſulens incolumitati. Atque hæc ita ſe habere, morbi diuturnitas & loquendi uſus, non niſi poſt multa ac diu uſurpata auxilia recuperatus, teſtatum facit. Itáque his omiſſis ad curandi rationem, quâ horum affectuum recurſus præcaveri, ac præſentia incommoda extirpari, majoráque impoſterum evitari poſſint, accedam.

Symptomatum explicatio.

Primum apud me indubitatum eſt, leve illud linguæ impedimentum, & muſculorum faciei & aurium convulſivum motum ſed brevem, quem hoc tempore Nobiliſſimus Vir ſubinde experitur, à craſſo admodum vapore, humoréque valde tenui partim in capite genitis, partim verò è corpore toto elatis, dum per nares perpetuò obſtructas vacuari nequeunt, progigni: cùm enim caput corpori inſtar cucurbitulæ magnæ impoſitum,

poſitum, non ſolùm vapores naturâ ſurſum tendentes facilè recipere, verùm etiam pituitam (teſtante Hippocrate) è ventriculo ad ſe trahere poſſit, quis miretur, in corpore hoc cruditatibus multóque ac impuro ſanguine referto, veterum ſymptomatum veſtigia jamdum apparere ac ſubinde renovari? vitandæ igitur cruditates, cacochymia emendanda, plethora tollenda. Primum præſtabit exacta vivendi ratio; alterum medicamenta; tertium chirurgia.

Circa diætam moneo, ac fideliter conſulo, ut à repletione, quin imò à ſatietate, caveat. ad ciborum delectum quod attinet, carne porcina, aliiſque ſalitis & fumo ſiccatis, ſicuti animalium omnium capitibus, pedibus & inteſtinis, caſeo item, lacticinijs, frumentaceis, ac paſtilibus, oleribus præſertim crudis & lactucâ oculis noxiâ, nunquam utatur. piſcium eſus rarus, aromatum quoque uſus parcus eſto. à vino generoſo & multo abſtineat, vel id non niſi lymphatum bibat aquâ ſimplici optimâ, aut per ebullitionem unicam coctâ, aut pane infuſo correctâ. Somnum interdiu fugiat. Corpus quotidie exerceat, ambulando aut equitando; ſed cibo in ventriculo concocto. In occupationibus ingenij, meditatione nimirum lectione & ſcriptione, ſit moderatior, cùm illas capiti debilitato adverſiſſimas eſſe nemo neſciat. Conſuetudinem capitis interdum lavandi retineat, lixivio caput corroborantia non valde calida incoquendo, uti ſunt Chamomilla, Roſæ, Betonica, foliâ Senæ, ídque veſperi fiat ante cœnam; neque ſe à capitis lotione libero aëri exponat, ſed domi contineat. Ad oris collutionem tale decoctum familiare habeat. Diæta.

Oris collutio in paralyſi linguæ.

℞. *Scobis ligni Guajaci* ℥j.
Cornu Cervi raſi ℥ß.
Foliorum Salviæ Pj.
Aquæ fontis ℔jß.
Vini albi ℔ß.

Coquantur ad tertiæ partis conſumptionem, ſerventur in vaſe vitreo ad uſum.

Si quando ventrem ſicciorem, vel ad deponendas cibi reliquias ſegniorem habeat, eum Betis ſeu Spinachijs vocatis, Prunis item dulcibus cum multo Saccharo in aqua coctis, Paſſulis quoque majoribus exemptis acinis, in prima menſa ſumptis emolliat. hæc de ratione victûs.

Secundum auxilium à pharmacia petendum. tempore autumnali corpus evacuare in modum, qui ſequitur, non negligat, méque conſultore nihil antiquius habeat. Pharmacia.

℞. *Pulveris Senæ præparatæ Montagnanæ* ʒij.

Sorbeatur ex juſculo pulli, duabus ante prandium horis; ſequenti die quieſcat; tertiâ ſanguinem mittat ex cephalica dextri brachij ad ℥x. in lectulo reclinatus; ſumpto priùs juſculi pauxillo, & buccellâ panis vino generoſo intinctâ. ſequenti triduo tale ſumat, ad humorum inciſionem & præparationem, vocatum digeſtivum.

R. *Oxymellis ſimplicis,*
Mellis Roſati colati ana ʒvj.
Syrupi è Betonica ℥ß.

Diluantur in juſculi pulli gallinacei non ſaliti ℥iiij. pro uno hauſtu, poſtridie & tertio die continuando. propinetur horâ matutinâ, ſuperdormiat quamdiu placuerit, ſequenti die paretur hoc purgans.

R. *Specierum Hieræ Pacchij* ℈iiij.
Cum aqua Cinnamomi fiat bolus.

Capiendus quinque horis ante prandium; ſi potionem malit aſſumere, talis eſto.

R. *Foliorum Senæ* ℥ß.
Agarici præparati ʒij.
Seminis Aniſi ʒß.
Florum Anthos,
Boraginis ana pj.
Paſſularum ℥ß.

Decoquantur in *aqua Boraginis* ad tertiæ partis conſumptionem. ſtent per noctem, manè colentur, de colatura

R. ℥iiij. & in his doſſolve
Mannæ ℥ij.
Pulveris Rhabarbari vino albo irrorati ʒj.
Fiat potio.

Offerenda horis 5. ante prandium, & ſomno ad unius horulæ ſpatium indulgeatur. Mihi tamen bolus ex Hiera Pacchij magis probatur; quem, ſi parùm, aut quantum ſatis videbitur, non educat, repetere poſt dies aliquot poterit. Eadem ferè purgandi ratio verno quoque tempore cum ſanguinis miſſione ex vena media dextri brachij inſtituatur. In digeſtivo pro pulli jure decoctum Cichorij & Boraginis ſubſtituatur. Reliquo anni tempore laudo ac valde ſuadeo, ut pulvere Senæ Montagnanæ ſingulis menſibus utatur, nempe capitis hiſce affectibus quàm maximè profuturo à ʒj. ad ʒij. ex juſculo. quòd ſi pulverem in ſubſtantia difficulter ſumat, ejusdem ʒvij. vel ℥j. in juris pulli lbj. coquantur ad tertias, quieſcant per noctem in loco calido; manè juris colati ℥vij. propinentur,

Pulvis Senæ Montagnanæ per menſes ſumptus commendatur.

pinentur, addito cochlearis uno Oxymellis ſimplicisvel momento Sacchari. Eundem uſum præſtabunt ferè hæ pilulæ.

Pilulæ Cephalicæ.

℞. *Aloës Soccotrinæ* ℥ß.
Agarici trochiſcati ʒij.
Maſſæ pilularum Cochiarum ℈ij.
Cubebarum ʒß.
Cum *aqua Betonicæ* fiat maſſa. doſis ʒjß. formentur pilulæ xv. deaurentur.

Deglutiendæ duabus horis ante prandium. Pulverem tamen Senæ pilulis præfero, ideóque ſæpius hoc, quàm illis utendum ſentio. Poſt corporis evacuationem, è capite pituita eliciatur hoc errhino.

Errhinum.

℞. *Radicum Hellebori albi*,
Elaterij ana ʒß.
Succi Betæ ʒij.
Olei Sampſuchi,
Ceræ ana q. ſ.
Fiat linimentum.

Cujus portiuncula inſtar ciceris naribus imponatur. Inter corroborantia caput, meo conſilio reſpuet Theriacam, Mithridatium, Electrum, & vinum cum aromatis deſtillatum, (aquas vitæ vocant.) cæteráque valde odora & evaporantia, hujus quod ſequitur electuarij uſu contentus.

Theriaca, Mithridatiũ, aquæ vitæ, in his caſibus ſubinde ſuſpecta.

Elect. caput corroborans.

℞. *Conſervæ florum Roriſmarini*,
Salviæ,
Betonicæ,
Primulæ veris,
Roſarum Damaſ. ana ℥ij.
Corticum extimorum Citri Saccharo conditorum inciſorum ℥iij.
Eboris præparati,
Margaritarum præparatarum,
Caryophyllorum inciſorum,
Specierum aromaticarum Roſatarum ana ʒj.
Miſce & addito *Syrupi conſervati Citri* q. ſ. eſt. fiat electuarium, inſtar opiatæ. doſis ʒvj. vel ℥j. quatuor horis ante prandium.

Interdum quoque horâ decubitûs ℥ß. ejusdem ſumi poterit poſt cœnam valde parcam; caput ac reliquas corporis partes primarias mirè roborabit.

Chirurgia.

Ad reliqua chirurgica auxilia, quod attinet, venæ ſectiones prædictas, ſibi conſuetas ſcarificationes non intermittat, dorſo plurimùm

pannis calidis moderatè fricato; cavendum verò, ne caput juxtà fornacem incaleſcat, quemadmodum & vaporaria valde calida plurimùm ſunt obfutura. Cauterium dextro brachio ad muſculum deltoidem imprimatur potentiale, ope medicamenti ſeptici, idque per omnem vitam apertum geſtetur. Puritus ille cum minutis puſtulis, manus, brachia, & totum ferè corpus ab aliquot annis divexans, à ſanguinis impuritate acribus ac ſalſis ſuccis inquinato progignitur. Is neque balneis neque inunctionibus aut alijs exter-nis præſidijs, me authore, eſt ſanandus; ne ſcilicet naturæ via de-purando venoſo generi inventa præcludatur; ſed internis auxi-lijs mali hujus radix ac cauſa præcidenda. præſtabit hoc, ſi quid aliud, pulvis hunc in modum paratus.

Scabies externis præſidijs non facilè tollenda.

Pulvis partim ſanguinem depurans, partim purgans in ſcabie eximius, ſæpiùs ab auctore commendatus.

R. *Sarſæ Pariglia recentis ac minimè carioſæ* ℥ij.
Foliorum Senæ Alexandrinæ ſelectæ ℥j.
Cinnamomi acuti,
Zingiberis ana ʒj.
Macis,
Caryophyllorum ana ℈j.
Fiat pulvis, partiendus in xx. doſes.

Sumendus ſi poſt univerſalem evacuationem aliquot dies quie-verit, xx. diebus continuis, cum pauxillo vini vel brodij, vel mellis deſpumati bolum formando, manè quatuor horis ante prandium; quòd ſi alvum paulò ſæpius moveat, uno vel altero die intermit-tatur. Hoc remedio ſanguis purior, caput ſiccius & firmius red-detur, totáque valetudo magna ex parte reparabitur. quod, ut DEus faxit, toto pectore exopto. Atque pauca hæc in adver-ſiſſima valetudine mea, à me tumultuariè dictata, ut Nobi-liſſimus Dominus æqui boníque conſulat, rogo.

Datæ ad fontem acidum Spadanum
22. Auguſti 1598.

CON-

CONSULTATIO XXI.

MOTUS IMBECILLITAS, SEU PARALYSIS IN BRACHIO ET PEDE LATERIS SINISTRI.

PRO

VIRO NOBILISSIMO.

AD litteras Reverentiæ Veſtræ longè mihi gratiſſimas feſtinante calamo ac fermè laconicè reſpondere me cogunt occupationes nunquam intermiſſæ, ac præſens temporis anguſtia. Doleo ex animo caſum adverſum Nobiliſſimi Domini N. qui fortè (DEO coadjuvante) præcaveri poterat purgationibus, victûs ratione accuratiore, cauterijs. benè interim ſpero de Paralyſi illa, quæ perfecta non eſt, imò vix paralyſeos nomine digna, cùm brachium attollere ad barbam uſque poſſit. Quid mihi de curatione videatur ſine ordine ſcribam cogitatè tamen, minimèque temerè.

Intelligo corpus jam ſæpius evacuatum, ſed perſeverante malo; ſi vires conſtant repetenda ſubinde purgantia cenſeo: in eúmque uſum præ alijs Hieram Pacchij aliâs abs me commendatam laudo, ac denuo propono ceu capiti mali totius fonti exhauriendo mirè profuturam, drachmâ unâ ſpecierum in catapotia efformatâ, ſemel in hebdomade, deinde bis in menſe, ac tandem ſemel duntaxat offerendâ; interpoſitis interim præparantium loco corroborantibus ac concoquentibus auxilijs appropriatis: uti ſunt conſervæ vocatæ ex floribus Roriſmarini, Salviæ, Betonicæ, & radicibus Calami aromatici conditis; deinde verò & clyſteribus alvum ducentibus, quam laxiorem eſſe omnino oportet. Hiera Pacchij egregiè evacuat.

Venæ ſectio cur prætermiſſa fuerit non aſſequor, in corpore quod ſanguine, licèt crudiuſculo, at multo abundare præſens obſervavi. putarem id remedij genus etiamnum locum habiturum.

Cauteria probo duo unum in nucha appellata, alterum in brachio ſano, ſiniſtro nempe, impreſſum: aſſeveranter ſtatuens, ea ſecundùm DEUM à gravioribus malis Præclariſſimum hunc Virum Cauteria.

præſervare poſſe. Nec tædere ipſum debet moleſtiæ nonnullius, quam allatura ſunt; quum illam paſſim in flore ætatis conſtituti nobiliſſimi Viri ob præſens, quod inde præcipimus commodum, æquo valde animo ſuſtineant. Sereniſſimus Princeps NN. ob dentium dolorem & caſum, in utroque brachio cauterium geſtans ſummopere juvatur.

Unguentum de Bdellio paralyticis utiliſſimū.

Brachio debilitato dolentique unguentum de Bdellio Meſuæ inducatur, crus oleo Amygdalino amaro calente quotidie defricetur ac faſciâ muniatur. In potu mulſam aquam, metonem ſcilicet vulgarem, laudare non poſſum: quòd eo inebriari citiùs quam ipſo vino noſtrates ruſticos videam. probarem vinum largiſſimè hoc eſt par pari dilutum. aqua talis eſto:

Aqua pro diluendo vino, in paralyſi.

℞. *Ligni Saſſafras optimè limati in craſſum pulverem redacti* ℥jß.
Viſci quercini ℥ß.
Infunde in *aquæ* ℔ix. coq. in duplici vaſe ſeu B. M. 5. vel 6. horis, colaturâ vinum lymphetur.

Cereviſiæ Padeborenſis uſum nullum habeo, non diſplicet, ſi caput non feriat, ſi facilè non inebriet, hauſtus unus vel alter ad paſtum.

CONSULTATIO XXII.

IMBECILLITAS DIGITORUM SCRIPTIONI INSERVIENTIUM.

PRO
PATRE QUODAM REVERENDO.

Difficultas, quam Reverendus Pater in dextræ manûs digitis inter ſcribendum experitur, haud dubiè ab obſtructione nervorum, digitis illis famulantium progignitur; obſtructionem verò hanc facit non humor, ſed vapor, qui animali ſpiritui viam intercludit, ſed ex parte duntaxat, in totum verò minimè, cùm alioquin veram paralyſin adeſſe neceſſarium foret. Cur verò vaporoſa hæc materia trium digitorum ſcriptioni inſervientium nervos petat, alios verò non item? cauſa eſt, quòd digiti iſti diuturna, atque immodica ſcri-

Cauſa imbecillitatis in digitis.

ptione fatigati imbecilliores, ac proinde morbificæ materiæ recipiendæ opportuniores facti ſint; cæteri verò nervi, quò grandiores ſunt, eò copioſiorem quoque ſpiritum animalem ſuſceptant, eóque ad agendum validiores, ad reſiſtendum cuilibet noxæ advenanti potentiores. Remedia, quibꝰ fortè non adeò difficulter propulſari malũ hoc poterit, hæc ſunt, vel his non abſimilia, ſi modò viresad ea comodè perferenda ſatis conſtare præſens Medicus cognoverit.

Primùm idonea ratione vivendi inſtituta, quæ nonnullam exſiccandi vim habeat, univerſum corpus exquiſitè evacuetur. in quem uſum probatur minorativi, quod vocant, loco, pulvis Senæ Montagnanæ, deinde ſyrupus è Betonica, & mel Roſaceum, diluta aquâ Betonicæ, Fœniculi, & Boraginis: inde pilulæ Cochiæ porrigentur: poſtmodum ſyrupus è Stœchade, è Betonica, & oxymel Scylliticum cum decocto Stœchados, Betonicæ, Salviæ, & tandem rurſus pilulæ Cochiæ offerendæ. Evacuantia. Corpore ſic probè repurgato placet ſudorifica therapia per decoctum Guajaci ad dies 30. plùs minùs ritè & convenienter cum præſentis Sudorifera. Medici conſilio adminiſtrata; quo tempore imprimis laudo, ut pulvis Senæ bis unaquaque hebdomade uſurpetur; non negligenda interim caput roborantia, cujuſmodi ſunt flores Roriſmarini, Salviæ, Primulæ Veris, & Betonicæ, Stœchados Saccharo conditi. Corroborantia. Topica ſpinæ dorſi, illis ſcilicet vertebris, ex quibus nervi in digitorum muſculos diſtributi prodeunt, adhibenda, digitis vel manui nequaquam. Hæc medendi ratio proximo Autumno ex uſu fuerit, per quam ſi vitium non exſtirpetur, de thermis ſequenti anno Thermæ. cogitandum. Monachij 17. Julij. Anño 1599.

CONSULTATIO XXIII.

CAPITIS INTEMPERIES HUMIDA, DOLOR ET DESTILLATIONES CREBRÆ, CUM DYSCRASIA HEPATIS ET RENUM CALIDA.

PRO

VIRO JUVENE SACERDOTE.

Affectus corporis præternaturales quibus Reverendus Vir conflictatur, ſunt ſymptomata, hoc eſt, morborum effectus; morbi verò, quibus progignuntur, iſti eſſe

videntur; Capitis ſcilicet intemperies, vel nativa vel ſucceſſu temporis facta humidior, hepatis porrò & renum inpensè calida. Impleto igitur capite humoribus excrementisque, mirum non eſt, fluxiones varias nunc ad pedes, aliásque corporis partes decumbentes ſuſcitari. Dolor vaporibus ex hepate, venoſo genere, & renibus aſſiduè in caput ſubvolantibus, meningésque vel feriendo vel diſtendendo (ſpecies enim doloris expreſſa non eſt) infeſtantibus rectè adſcribitur. Vrinæ difficultas & mictio frequens ſabulo & lapillis à calida renum diſcraſia, ac copioſa impuritate in ijs collecta, vel cum ſero attracta excoctis veſicæque collum obſtruentibus enaſcuntur.

Symptomatum cauſæ.

His morbis externæ quoque cauſæ, vitæque genus non ſatis cautum, intempeſtiva præcipuè & immodica ſtudia occaſionem, anſamque procul dubio dederunt: Omnibus enim litterarum ſtudiosis cum capitis deſtillationibus bellum ferè perpetuum eſſe ſolet. Hæc de cauſa adverſæ valetudinis Domini Parochi breviter adnotâſſe ſit ſatis; quæ emendari, atque haud paulò melior fieri poterit, ſi remedia, quæ ars ſuppeditat, adhibere velit ac poſſit, quod ut in florenti iſta ætate conſtitutus non negligat, magnopere ipſum adhortor.

Litterarum ſtudioſis omnibus cum deſtillationibus bellū ferè perpetuum eſt.

Indicationes ſive opera in curatione præſtanda præcipuè ſunt capitis exſiccatio, hepatis & renum expurgatio, caloriſque eorum remiſſio. Conſequemur hæc accurata victûs ratione, medicamentis, & chirurgicis auxilijs. In victu moneo, ut aëris ambientis frigus atque hypocauſti immodicum calorem devitet, frigus enim humores excrementitios exprimendo, calor liquando & fundendo commovet. In cibis à menſa ſua proſcribat lac, omniáque edulia ex lacte & paſtilibus parata, carnes & piſces duræ ſubſtantiæ, aromata acria & valde ſalſa. Vinum bibat album, vel naturâ ſuâ tenue, miniméque generoſum, vel aquâ decoctâ largiſſimè dilutum. Alvus ut officium ſuum quotidie faciat, ratio magna habeatur, qua in re, ſi auxilijs opus ſit, ſeorſim ea proponentur. Ad præſidia à chirurgiâ petenda quod attinet, ſuadeo cauterium ſeu fonticulum in dextro crure ſub genu, ut moris eſt, inprimendum, ſanguinis item miſſionem inſtante Vere & Autumno.

Victûs ratio.

Chirurgia.

Inter medicamenta ea requiruntur, quæ primam corporis regionem, ventriculum nempe, inteſtina & meſenterium, deindehepar & renes emundant; poſtea corpore ſic exactè repurgato caput quoq; ab excrementis per palatum & nares vacuandum; ac poſtremò fluxiones ad collum, pectus, aliásque partes ſudoriferis quàm maximè temperatis ſiccandæ; hepatis & renum intemperies, ubi priùs expurgata fuerit, attemperanda.

Pharmacia.

Hac

Hac methodo, cœleſti favente Numine, non mediocriter adjuvari, inſtaurarique afflicta valetudo R. V. poterit. Sudorifica curatio, quæ inſtanti hyberno tempore uſurpari commodè ac tutò non poteſt, in proximum Ver omnino reijcienda. quæ verò interea ante Brumam adhiberi mihi omnino videntur, ſcripto huic adjeci. horum uſus hic eſto. omnium primò potiunculam accipiat.

Purgans Potio.

R. *Foliorum Senæ* ℥ß.
Seminis Aniſi ʒj.
Zinziberis ℈ij.
Tartari ʒij.
Paſſularum ℥ß.
Decoq. in ſ. q. *aquæ* ad ℥iiij. poſt octo vel decem horas colentur, in colatura dilue *Mannæ* ℥iiß. *Mellis roſati laxativi* ʒx. *aquæ Cinnamomi* cochlear ſemis. manè calidum bibat.

Deinde in ſequens triduum ſequentem liquorem in tres partes diviſum pauco juſculo pulli addito, horâ matutinâ, ſumat.

Syrupus præparans.

R. *Mellis Roſati*,
Oxymellis ſimplicis ana ℥iij.
Miſce.

Inde potionem primam repetat, poſt hoc Apozema tribus diebus continuis vel alternis.

Apozema partim alterans, partim evacuans.

R. *Herbarum Boraginis*,
Betonicæ ana Mj.
Agrimoniæ,
Ceterach ana Mß.
Radicum Cichorij ʒvj.
Polypodij quercini ʒv.
Liquiritiæ ʒiij.
Seminis Aniſi ʒij.
Zinziberis ʒj.
Paſſularum,
Tamarindorum ana ℥j.
Foliorum Senæ mundatorum ℥jß.
Agarici albi ℥ß.
Salis gemmæ ℈j.
Omnia decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℔j. ſtent per noctem in loco calido. manè colentur, adde *Syrupi de Betonica, de Cichorio, Oxymellis ſimplicis ana* ℥ij.
Fiat Apozema, ad tres doſes.

Diei quiete interpoſita ſequentem potionem purgantem ſumat.

Potio purgans altera.

R. *Agarici albi crudi inciſi,*
Foliorum Senæ ana ℥ij.
Polypodij quercini ℥iij.
Liquiritiæ ℥jß.
Zinziberis,
Seminis Aniſi ana ℥j.
Paſſularum,
Tamarindorum ana ℥ß.
Florum Boraginis,
Anthos,
Roſarum ana Pj.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥iiiß. ſtent per noctem. manè colentur cum tenui expreſſione, in colatura diſſolve
Mannæ ℥ij. ij℥.
Pulveris Rhabarbari aquâ Cinnamomi irrorati ℈iiij.
Miſce.

Venæ ſectio.

His medicamentis corpore evacuato, venam baſilicam ſiniſtri brachij, quam hepatis vocant, incidi curet, & ſanguinem fluere ad ℥vj. vel ℥vij. His adhibitis ad partium corporis corroborationem ex uſu erit electuarium roborans, de quo caſtaneæ inſtar ſumat quotidie.

Electuarium caput corroborans.

R. *Conſervæ Roſarum Damaſcenarum* ℥ij.
Anthos,
Paralyſeos ana ℥j.
Corticum Citri conditorum,
Radicum Cichorij Sacchаro conditarum ana ℥x.
Calami aromatici conditi,
Caryophyllatæ conditarum ana ℥jß.
Eboris præparati,
Cornu Cervi uſti & loti ana ℥ß.
Syrupi è corticibus Citri q. ſ.
Miſce fiat Electuarium.

Renum fervori remittendo multùm commodabit unguentum.

Unguentum pectorale.

R. *Vnguenti Roſati Meſuæ,*
Infrigidantis Galeni ana ℥ij.
Miſce; quo frigido manè regio renum inungatur, & veſperi ante cœnam.

Sequenti unguento locum pectoris dolentis calido inungat, horis matutinis & veſpertinis quotidie.

R. *Pin-*

R. *Pinguedinis Anſeris* ℥ij.
Olei Amygdalarum dulcium ʒx.
Anethini ʒvj.
Florum Chamomillæ pulveriſatorum ℥ß.
Ceræ parùm.

Unguentum pectorale.

Ad præcavendam ingentem pituitæ copiam, tam in cerebro, quàm ventriculo utiles ſunt pilulæ ſequentes.

R. *Aloës Roſatæ* ʒiiß.
Agarici recenter trochiſcati ʒj.
Rhabarbari electi ʒß.
Cubebarum,
Caryophyllorum ana gr. vj.
Specierum Eleſcophi ℈j.
Cum *aqua Cinnamomi* fiat paſta, de qua formentur pil. N°. xxx. pro ʒj.
Miſce. doſis N°. XV.

Pilulæ caput purgantes & ſiccantes.

Harum pilularum quindecim quinto vel ſexto quoque die, niſi alvus largiter ſponte fluat, devorabit, veſperi, horâ ſomni, omiſsâ cœnâ vel certè frugaliſſimâ, nempe, quæ ex ſolo juſculo conſtat adhibitâ; Aqua ad lymphandum vinum utiliſſima hæc erit, accipiantur *ligni Saſſafras* craſsè limati ℥ij. coquantur in duplici vaſe, balneum Mariæ vocant, in *lib.* xii. *aquæ*, quinque vel ſex horis, ubi refrixerit, coletur; & in vaſe fictili vitreato in cella vinaria aſſervetur ad uſum. Præpotens Deus gratiam his præſidijs ſuam benignè addere dignetur.

Aqua pro diluendo vino.

CONSULTATIO XXIV.

CATARRHUS CUM DEBILITATE CAPITIS.

PRO
VIRO ILLUSTRI

IN curanda Sereniſſimi Principis mei valetudine, aliiſque ægris viſendis aſſiduè occupato etſi otium hoc tempore non ſuppetat, ſententiam meam de corporis affectibus, quibus illuſtris Dominatio Veſtra affligitur,

gitur, fuſiùs explicandi, id ſaltem, quod Ipſa à me litteris ſuis petivit præſtiturus, conſcripſi ad ejusdem Illuſtris Dominationis Veſtræ uſum, apozematis formulam, quod & palato non injucundum, & expurgando pectori, capitique roborando non mediocriter accommodatum fore confido; ubi id dies (plùs minùs) 15. manè potaverit. Doſis erunt ℥viij. horâ quintâ matutinâ ebibendæ; iisque aſſumptis horulæ unius ſpatio ſomno indulgendum. Præmittere autem remedij hujus uſui operæ pretium fuerit, purgatiunculam inferiùs deſcriptam, quam & elapſo octiduo repetendam cenſeo; obſervata interim ea vivendi ratione, quam hiſce morbis probè novit eſſe convenientem. Imprimis autem vitabit cœli inclementiam, aërisque exceſſum omnem; piſcium, & lacticiniorum uſum; ac de cibo univerſo partem aliquam eſſatu dignam detrahet. His attentatis alia proponentur auxilia Illuſtris Dominationis Veſtræ valetudini inſtaurandæ idonea. Interea ut hæc boni conſulat, mēque commendatum habere pergat, majorem in modum oro. Monachij.

Hauſtus purgans.

R. *Foliorum Senæ Alexandrinæ ſelectæ* ʒij.
Agarici præparati ʒiß,
Seminis Fœniculi ʒj.
Cinnamomi,
Zinziberis ana ℈ß.
Paſſularum ʒv.
Liquiritiæ raſæ ʒj.
Florum cordialium ana Pj.
Polypodij quercini ℈ij.
Coquantur in ſ. q. *aquæ Boraginis ad* ℥iiij.
ſtent per noctem, manè diſſolve in colatura
Mannæ Calabrinæ ℥iij.
Oxymellis ſimplicis ℥j.
Miſce fiat hauſtus.

Apozema cephalicum pectorale purgãs.

Apozema tale eſt.

R. *Radicum Bugloſſi*,
Cichorij,
Liquiritiæ ana ℥iij.
Polypodij querni ℥ß.
Enulæ campanæ ʒj.
Galangæ ʒß.
Corticum Citri extimorum ʒjß.
Foliorum Bugloſſi,
Endiviæ recentis ana Mj.
Capillorum Veneris,

Betonicæ,

Betonicæ,
Veronicæ,
Scabioſæ,
Hyſſopi,
Majoranæ,
Salviæ ana Mß.
Florum Violarum,
Stœchados,
Paralyſeos ana Pj.
Seminum Aniſi,
Fœniculi,
Coriandri præparati ana ʒj.
Foliorum Senæ Alexandrinæ præparatæ ℥ij.
Paſſularum majorum ab acinis mundatarum ℥ij.
Ficuum pinguium N°. ix.
Omnia coquantur ſ. a. in *aquæ fontanæ* q. ſ. ad remanentiam ℔ij. quibus colatis adde *Mellis optimi* ℥iij.
Rurſum leviter ebulliat, & deſpumetur, deinde per filtrum, cui inditi ℈iiij. Cinnamomi acuti pulveriſati, coletur diligenter, & fiat potio clara.

CONSULTATIO XXV.

DESTILLATIONES EX CAPITE PERPETUÆ, CRURUM POST STUDIA LASSITUDO, ET TREMOR &c.

IN

JUVENE.

VAletudinis incommoda; quæ Dominus experitur, præcipua ſunt deſtillationes capitis, crurum laſſitudo & tremor poſt litterarum ſtudia, ſitis interdiu moleſta, anxietas quædam circa cor. Etſi verò horum remedia certa ac tuta proponi non poſſunt à Medico de temperatura tam corporis totius, quàm partium principum; de cauſis item, & alijs ſcitu neceſſarijs, non ſatis informato; nihilominùs, ut teſtatum faciam, quantum Domini Patientis causâ velim, præmiſſis

 nonnul-

nonnullis hypotheſibus non gravabor meas de affectibus iſtis cogitationes explicare.

Primum ab Hippocrate, atq; adeò ab ipſa rei natura accipio: morbos gigni, cùm vel laborem alimentū ſuperat, vel labor alimentum: deinde, quod idem docet Hippocrates, caput noſtrū pituitam cucurbitulæ inſtar è ventriculo ad ſe trahere: præterea Galeni eſt ſententia; jecur calidiꝰ unà cum frigidiore ventriculo deſtillationis eſſe ſeminariū: Ex ejusdem doctrina cognitum eſt, ſalivæ ſputationem aſſiduam partim ex capite oriri ſolitam, partim ex ventriculo cæteriſque partibus nutritioni inſervientibus in os aſſurgere, præſertim ſi illæ caumate interno àc dyſcraſiâ calidâ laborent: poſtremò experientiâ compertum eſt, omnes ferè litterarum ſtudioſos & cacoſtomachos, catarrhis valde eſſe opportunos.

Jecur calidius unà cum frigidiori ventriculo, deſtillationis eſt ſeminarium.

Ad iſtas longè veriſſimas hypotheſes addo ego, quæ ex Domino N. ſeniore cognovi, Dominum ſcilicet Patientem facie eſſe admodum rubicunda, qui color, uti & ſitis temperaturam corporis univerſi ſatis calidam arguit, licèt pituitæ copioſæ in ventriculo collectio ejusdem frigiditatem atteſtetur. Dicitur exercitio corporis modico, mentis verò plurimo uti, ſtudijs nempe incumbendo graviter: victus largus, ciborum delectus nullus: ſanguis hactenus evacuatus nunquam.

Hæc cùm ita ſint, caput ac ventriculum pituitâ ſubinde repleri rationi valde eſt conſentaneum, atque indè catarrhos materiâ vel liquatâ, vel expreſsâ frequentes provenire, qui cùm ad fauces duntaxat fluant, præter ſputationem ac ſcreatum ſymptoma aliquod gravius nec dum excitârunt. Laſſitudinem crurum poſt ſtudia oboriri ſolitam cacochymiæ adſcribo, tremorem imbecillitati, ſpiritu nempe & calore per nimiam actionem ad cerebrum revocatis. Sitim, quâ interdiu corripitur, ſuſpicor à difficili & laborioſa alimentorum coctione, qualis in multis obſervatur, progigni; qui cibo utuntur vel copioſo vel tardè deſcendente, vel calido, ut aromatibus, ac ſale nimio condito, vel craſſo ac coctioni diu reſiſtente. Anxietatem verò circa cor à vaporibus è ventriculo in diaphragma irruentibus, vel ipſum cor infeſtantibus.

Tremoris cauſa.

Ex conjecturis iſtis, niſi magnopere me fallunt, facilè quæ opera in curatione præſtari debeant (indicationes curativas vocant) elicitur. Nempe plethora corporis ſolvenda, cacochymia pituitoſa primùm è ventriculo, deinde à capite vacuanda, mox caput & ventriculus roborandus. quibus peractis reliqua ſponte diſparebunt ſymptomata.

Materia ac formulæ remediorum mihi hoc loco inprimis probatæ hæ ſunt, vel hiſce non abſimiles : ad primam corporis aream repurgandam minorativum (quod vocant) tale ſumatur.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis* ℨjß.
Pulveris Senæ præparatæ ℨß.
Cum *aqua Boraginis* q. ſ. f. bolus. qui involvatur nebulis, porrigatur duabus horis ante prandium, inſuper affundendo
Mellis Roſati collati q. ſ.

Sin alvus inde parciùs dejecerit, poſtridie enemate eluatur parato ex decocto herbarum emollientium, additis Sacchàro rubro & Melle Roſato & oleo olivarum cum ſalis modico. Sequenti die vena baſilica dextri brachij incidatur, fluátque ſanguis, quantum præſenti Medico videbitur. inde ad apozema concoquens, incidens, & abſtergens tranſeatur, quod ita ſe habet.

Apozema concoquens, incidens, & abſtergens.

R. *Herbarum Betonicæ* Mj.
Boraginis,
Cichorij cum radice ana Mjß.
Menthæ Mß.
Florum Anthos Pij.
Foliorum Senæ electæ ℥iiiß.
Seminis Aniſi ℨj.
Citri,
Calami aromatici ana ℨß.
Omnia decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℔j. in colatura dilue
Mellis Roſati ℥iiß.
Oxymellis ſimplicis ℥ijß.
Miſce fiat apozema ad 3. doſes tribus diebus continuis aſſumendum ſummo manè. Hoc excipiat tale purgans.

Potio Purgans.

R. *Foliorum Senæ electæ* ℥ij.
Agarici præparati ℈iiij.
Seminis Aniſi,
Zinziberis ana ℨß.
Paſſularum ℥ß.
Florum Cordialium ana Pj.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥iiiß. ſtent per noctem. manè diſſolve in colatura
Mannæ,
Mellis Roſati laxativi ana ℥iß.
Pulveris Rhabarbari vino irrorati ℨj.
Miſce fiat potio.

Corpore hunc in modum evacuato, ex uſu fuerit roborans palato non ingratum, ſic parandum.

Electuarium roborãs caput.

℞. *Conſervæ Roſarum* ℥iiij.
Anthos ℥ij.
Corticum extimorum Citri Sacchara conditorum ℥jß.
Specierum aromaticarum Roſatarum,
Diarhodon Abbatis,
Caryophyllorum inciſorum ana ʒj.
Syrupi è corticibus Citri ℥ß.
Miſce fiat electuarium.

Ad pituitæ apparatum tam in capite, quàm in ventriculo præcavendum convenientiſſimè ſingulis menſibus ſumentur pilularum Maſtichinarum Conciliatoris ℈iiij. vel ʒjß.

In vivendi ratione quod moneam, præcipuum eſt, ut corpus ante cibum exerceat, parciùs edat, ac bibat, ab alimentis craſſis, cujusmodi ferè Cerealia ſunt, à caſeo item, aliíſque lacticinijs abſtineat. De topicis, quæ capiti, ventriculo, ac cruribus induci poſſent, cujusmodi ſunt inunctiones, ſtillicidia, veſicatoria, cauteria, non ſcribam, quòd ſperem illis in hoc ætatis flore haudquaquam opus futurum. Monachij die 14. Maij. 1603.

CONSVLTATIO XXVI.

CATARRHUS FREQUENS, ET DESTILLATIONES ACRES, CUM CAPITIS DOLORE.

PRO
VIRO QUODAM MAGNIFICO.

CApitis dolor ac defluxiones crebræ, quibus Magnificus Vir infeſtatur, cauſas ſupponit, quas nuper oretenus ad longum recenſui; itaque ne hîc longior ſim, omiſſis omnibus alijs, uti & adſcribendâ diætâ, quam itidem Magnifico Viro inſinuavi, ad curam & præſervationem accedo. ac proinde ſuadeo, ut quater in anno hoc medicamento purgetur.

℞. *Mellis*

R. *Mellis Roſati laxativi*, Potio purgans.
Mannæ ana ℥ij.
Aquæ Boraginis ℥iß. Adde
Rhabarbari electi pulveriſati vino albo irrorati ℈iiij.
Fiat potio ſumenda quatuor horis ante prandiũ.

Alijs temporibus ſemel in menſe ſaltem, atque ubi catarrhus moleſtus eſt, utatur his pilulis.

R. *Aloës Roſatæ* ℈ijß. Pilulæ Aloëticæ.
Maſtiches grana iiij.
Formentur pil. xv. deaurandæ & ſumendæ tribus horis poſt parciſſimam cœnam.

Ubi capitis defluxio ſomnum interturbabit, pulmones petens, ex uſu ſit noctu, præſertim hic linctus.

R. *Capitum Papaveris albi recentium lacteſcente ſemine turgentium* N°. X. Linctus ad catarrhos & ſomnum conciliandum.
Siliquarum Carabe dulcium, abjectis ſeminibus ſeu granis ℥iß.
Radicum Althææ ʒvj.
Anchuſæ rubræ (Cynogloſſum aliqui vocant.) ʒj.
Fructuum Sebeſten,
Iujubinorum ana N°. XV,
Seminum Portulacæ,
Vrticæ Romanæ ana ʒj.
Capillorum Veneris Mj.
Coquantur in *aquæ fontanæ* ℔v. ad ℔jß. deinde colatis & expreſſis adde
Succi Liquiritiæ ʒß.
Sacchari penidij,
albiſſimi,
Syrupi Roſati completi ana ℥iij.
Coquito ad mellis conſiſtentiam.

Horâ autem decubitûs ſumet ſequentis electuarij quantitatem.

R. *Conſervæ Roſarum rubrarum*, Electuarium ad catarrhos ſiſtendos.
Syrupi Iujubini ana ℥ij.
Maſtiches pulveriſatæ ʒß.
Thuris maſculi,
Nucis Moſchatæ ana ℈ß.
Miſce.

Cauterium dextro brachio imprimatur, defluxionibus iſtis adprimè profuturum. in pago Spa. 1598. 19. Auguſti.

CONSULTATIO XXVII.

CATARRHUS, EJUSDEMQUE PER LIGNUM SANCTUM CURATIO.

PRO

VIRO HONESTO.

*

PRimò moneo te, uti aliàs ſæpe feci, ut exactiſſimâ diætâ utaris, ſine qua in alijs remedijs auxilium quærendum non eſt, ſed de hac plura non addo, cùm circa illam ſufficienter informatus ſis.

Potus ordinarius ex ligno S. ſeu Vinum medicatum Gujacinum.

Secundò ſuadeo, ut potu ordinario hoc tempore in menſa utaris tali: accipe ligni Sancti tornati, uti ſcis, ℔iiij. (libram intelligo, quæ uncias continet duodecim) infunde illas per noctem in viginti menſuris Monacenſibus (quarum quælibet ℔iij. medicinales continet) aquæ, factâ poſtmodum coctione ad conſumptionem medietatis frigeſcere ſinas, ac tandem vaſculo ligneo infunde addendo menſuras viginti boni & duorum annorum vini Neccarici. de hoc potu ad menſam bibere poteris menſuram dimidiam. interdiu à potu abſtinebis. Quòd ſi tam amplam ollam non haberes, in qua coctio ſuprà dictæ quantitatis aquæ ſimul fieret, res peragi poterit in duabus aut pluribus minoribus. Interim ſpero vino hoc ita ebibito tempus adfuturum calidius commodiúsque, quo per menſem iterum repetatur Cura ſudorifera in hunc modum parata: Accipe mixturam litterâ C. notatam, infunde per noctem in ſex menſuris aquæ, coque donec remaneant menſuræ tantummodo duæ, immergendo in fine coctionis ſacculum littera F. ſignatum, fiatque potio pro ſudore ciendo.

Decoctum ſecundarium ex Ligno & potu ordinario.

Ad menſam verò tunc temporis ſequens parabitur potus: Accipe ligni Sancti ℔j. ſeu uncias duodecim, madefiant in menſuris ſex aquæ per diem unum & noctem, poſtmodum ad conſumptionem medietatis coquantur, in fine injiciantur Uvarum paſſularum ℥iiij. Ciñamomi ʒiij. Caryophyllorum ʒj. Miſce fiat aqua ordinaria, de qua conceditur menſura media in menſa.

De

De potione verò ſudorifera ſuprà aſſignata accipiantur manè ℥iiij. calidè, ineatur ſudor per horam, poſt prandium peracta co-ctione horis tribus ante cœnam iterum per horam ſudor inſtitua-tur, quo peracto & abſterſo, imponantur capiti tam anteriùs, quàm poſteriùs ſacculi ex herbis Littera. D. deſcriptis, quæ herbæ in ſartagine priùs calefactæ ſacculis duobus, palmæ unius magnitu-dine, indantur, capiti calidè, uti dictum, imponendis tamdiu do-nec refrixerint.

Cæterùm antequam hanc curam aggrediaris, neceſſarium erit corpus eſſe benè perpurgatum, in quem finem primò ſyrupum præ-ſcripſi Littera. A. de quo manè ſingulis diebus per triduum quatuor cochlearia in brodio carnis calido diſſoluta accipies, & ad horam prandij uſque jejunus permanebis. quo peracto, quarto die po-tiunculam purgantem Littera B. manè calidam exhauries, altero die iterum repetendum, ſi pridie optatum effectum non fecerit, uti etiam, elapſis quatuordecim poſt cœptam curam diebus, ean-dem potiunculam reaſſumas ſuavem, & palato non ingratam. — *Ante curam ſudoriferam quomodo cor-pus purgandũ?*

Verùm antequam tempus curæ huic congruum adveniat, pro alvi lenitione pilulis tibi aliàs conſuetis & Littera G. ſignatis utêris quinque pro vice, & bis in hebdomade. vel in horum locum (quod ſatiùs ſubinde duco) clyſma tibi injici curabis: nec obeſt, ſi tem-pore curæ ijſdem pilulis ante cœnam utaris, ſi alvus ſolito non correſpondet. obſervabis tamen, ut ſequenti die poſt aſſumptas pilulas ſudorem intermittas, & ſi illæ non ſuffecerint, clyſma ad-moveri tibi imperes, in hunc modum paratum. — *Dum ſudori-ferâ curâ uti-mur, alvus ut ſit aperta neceſ-ſum eſt.*

Clyſma.

R. *Brodij carnis* ℔jß.
Sacchari communis ℥ij.
Olei olivarum ℥iij.
Salis parùm.
Miſce fiat clyſma domeſticum.

Tandem & tabellas conſcripſi, de quibus horis duabus ante prandium hoc tempore quadrageſimali ad feſta Paraſceves uſque, ſingulis diebus, quantitatem aſſumas. Atque hæc fideliter à me conſignata optarem, ut præſens Medicus aliquis ritè adminiſtraret. 12. februarij. 1584.

Syrupus præ-parans.

R. *Oxymellis ſimplicis* ℥iiij.
Mellis Roſati colati ℥ij.
Miſce ad teſtulam.
Sig. Syrupus Littera. A.

R. *Paſſularum* ℥j.
Seminis Aniſi ℥iij.
Zinziberis ℥ß.

Galanga

Galangæ ʒj.
Florum Cordialium ana Pj.
Foliorum Senæ ℥iijß.
Agarici ʒj.

Potio purgans.

Fiat decoctio omnium in ℥viij. *aquæ* ad me-
dietatis conſumptionem, deinde relinqua-
tur per noctem in loco calido, manè fiat
colatura cum expreſſione. in colaturæ ℥iij.
diſſolve
Mannæ Calabrinæ ℥ij.
Syrupi de Rhabarbaro ℥ß.
Fiat potio Littera B.

Decoctum Ligni ſudoriferum.

R. *Scobis ligni Guajaci* ℔j.
Corticum ejusdem ℥iiij.
Enulæ campanæ ℥j.
Dentur ad chartam.
Signetur mixtura pro decoctione ſudorifera
Littera C.

Sacculi cephalici exſiccantes.

R. *Foliorum Salviæ,*
Majoranæ,
Stœchados ana Mj.
Seminum Aniſi,
Fœniculi,
Fœnugræci ana ℥j.
Milij ℔j.
Salis ℔ß.
Miſce ad chartam.
Sig. herbæ pro ſacculis. Littera D.

Tabellæ ad idem.

R. *Specierum aromaticarum Roſatarum deſcri-
ptionis Gabrielis* ʒvj.
Sacchari albiſſimi in aqua Betonicæ diſſoluti ℥vj.
Fiant tabellæ pondere ʒiij. ad ſcatulam Lit. E.
R. *Foliorum Salviæ minoris,*
Betonicæ,
Stœchados,
Florum Anthos ana Pj.
Cinnamomi ℥iij.
Caryophyllorum ʒj.
Ligentur in linteolo & fiat ſacculus Littera F.

Pilulæ.

R. *Aloës Roſatæ* ʒij.
Formentur pilulæ N°. XXX. involvantur pul-
veri *Caryophyllorum*. Littera G.

CON-

CONSULTATIO XXVIII.

OCULORUM AFFECTUS,

PRO

SERENISSIMA ARCHIDUCISSA.

Ad Medicos ordinarios.

Remedia, quæ Excellentiſſimi Medici ad oculorum affectum Sereniſſimæ Archiduciſſæ adhibuerunt, ac poſthac præſervationis ergò adhibenda cenſent, nos quoque ad unguem aſſentimur, atque ſubſcribimus; quòd nimirum prudenter, ac cum fructu hactenus uſurpata, & à nobis olim eadem, vel his non abſimilia decreta adminiſtratáque fuerint. Victûs ratio accuratior, quam non ſatis cautè ſervari dolemus, tam neceſſaria eſt, ut ſine ea cætera, quantumvis efficacia, parùm opis allatura videantur. Cavendum omnino ac præcipuè ab omni aëris inclementia, à calore & frigore immodicis, à ventis, à nebula, pluvia, ab exercitio mox à cibo. Iſthæc, ut ſedulò vitet, noſtro quoque nomine Celſitudinem Suam humillimè rogatam velimus. Catapotia ventri blandè ſubducendo ac ſiccando, roborandóque idonea, cujusmodi ſunt Maſtichina, Conciliatoris, ac vocata Aſſaieret, ex brevibus intervallis (ſi gravida non ſit) devorata proderunt, nobíſque perplacent; quibus interdum ſed rariùs aliquid Cochiarum ac Sine quibus, ſtimuli loco, convenienter adjungatur. Probantur hoc Vere ineunte derivationis gratiâ veſicatoria ſcapulis & brachijs admota; longè item maximè hirudines poſt aures. revulſiones quoque per crurum frictiones matutinas, ac pedum lotiones veſpertinas commendamus. Oculis ipſis utiliter inſtillabitur præmiſſis præmittendis guttula una vel altera aquæ Roſarum, cui ovi albumen ad duritiem coctum & tantillum Vitrioli infuſa ſint, cavendo nimiam acredinem: eam ſiccando roborandóque mirè prodeſſe, experimentum ſæpe nos docuit. quòd ſi remedia iſta morbi pertinacia aſpernaretur, ut rectè monet Clariſſimus Medicus adſiſtens, de validioribus, de altero nempe cauterio, vel ſetone cogitandum; è quibus auxilijs hoc potentius

Principes rarò diætam ſervāt.

Veſicatoria.

Collyrium.

at moleſtius, illud minùs potens moleſtúmque fore exiſtimamus; quamvis propter brachij gracilitatem etiam fonticulus moleſtiâ ſuâ doleréque non careat. Hæc eſt noſtra, quæ à vobis petitur, ſententia, qui Sereniſſimæ ac Pientiſſimæ Principi proſperam valetudinem, perpetuámque incolumitatem toto pectore exoptamus. Monachij. 14. Februarij 1609.

CONSULTATIO XXIX.

DEFLUXIO AD OCULOS.

IN

VIRO REVERENDISSIMO.

UBI DE FONTICULIS DISCURRITUR.

Ad Medicum quendam.

Priſci illi Medicinæ parentes Viri ſapientiſſimi, cùm obſervâſſent, ulceribus ſpontaneis & abſceſſibus in humano corpore multos morbos & præcaveri ſubinde & ſanari, magna cum ratione & emolumento Naturam imitati, uſum ulcerum in artem invexerunt, quæ cauteria fonticulos ac fontanellos vocare vulgò placuit. ſunt ea, ut experientiâ didici, universè ac generatim in brachijs tutiora, quàm in cruribus. ſimpliciter autem innoxia cenſentur, quòd neque ſpiritus exhauriant, neque humores utiles abſumant, neque partes ſolidas debilitent. Quibus verò crura debilia, ulceroſa, eryſipelatis vel inflammationibus obnoxia ſunt, illis ſanè, ſi & ventricoſi & corpore vaſto fuerint, non omnino ſine periculo imprimuntur. Ut igitur ad caſum mihi abs te propoſitum veniam, audacter pronuntio, & ſtatuo, cauterium in brachio excitatum Nobiliſſimo & Ampliſſimo Domino Decano non modò ad fluxiones in oculos delabentes non obfuturum, ſed profuturum certiſſimè; duo verò utiliora erunt unico. erit ea obligandi expurgandíque unus labor, tempus & occaſio una. Illuſtriſſimus Vir NN. dentium dolore implacabili vexatus multos annos, noſtro conſilio cauterium in brachio ſibi fieri juſſit, ac non ita longè poſtea cùm illo ſe juvari ſentiret in altero quoque brachio, alterum imprimi, nobis inſcijs, dolore nempe dentium illius lateris impellente; curavit; ab eo tempore dolor penè omnis dentium diſparuit.

Cauteriorum uſus unde?

Cauteria univerſim in brachijs tutiora quàm pedibus.

Cauteria dentium doloribus auxiliantur.

Nôſti

Nôſti in oculorum affectibus ſetonem vocatum nuchæ adhibitum haud paulò eſſe efficaciorem, ſed cum moleſtia nonnulla conjunctum. In dextro igitur brachio tentabitur primùm, deinde & in altero, ac tandem ſi morbus non ſaneſcat, vel, quod non timeo, ingraveſcat, cauterium in ipſa nucha, hoc eſt inter primam & ſecundam vertebram colli, convenientiſſimè imprimetur. Hoc remedio ego Dominum Antonium N. Virum doctiſſimum à periculo evidenti cæcitatis liberavi; fiet autem commodè ac ſine dolore fonticulus in Nobiliſſimo Domino Decano medicamento ſeptico. qui id candenti ferro moliuntur locum inuſtũ roborare volunt, quod mihi planè inutile ſemper eſt viſum, quia pars non roboranda firmandáque, ſed hebetanda, fluxionibúſque opportuna reddenda videtur. Cauterium in nuccha à cæcitate evidentes præſervat. Cauteria ferro inuſta candenti, Authori videntur inutilia, imò noxia.

Præmittetur rectè venæ ſectio, ac medicamentum ventrem ducens, quale eſt, quod ſic ſe habet. Potio purgans.

R. *Foliorum Senæ electæ* ʒß.
Pulpæ Tamarindorum,
Paſſularum ana ʒiij.
Zinziberis inciſi,
Seminis Aniſi ana ʒj.
Florum Anthos ℈j.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ fontanæ* ad ℥iiij.
ſtent per noctem, manè colentur, in colatura diſſolve
Mannæ ℥ijß.
Oxymellis ſimplicis ℥j.
Miſce fiat potio addendo
Aquæ Cinnamomi cochleare unum.

Exaravi hæc tumultuariè quum ab hoc homine reſponſum tibi adferri valde petis. Monachij 10. Aprilis 1612.

CONSULTATIO XXX.

CÆCITAS EX OBSTRUCTIONE NERVI OPTICI.

IN VIRO ECCLESIASTICO.

AD optici nervi obſtructionem tam à craſſo humore quàm vapore, quæ in oculo Domini Patientis cœpit fieri, quæque vel ſuffuſionem vel cæcitatem minatur, hæc, quæ ſubijciám, remedia ex uſu atque imprimis accommodata fore ſpero.

Primum eſt idonea victûs ratio, ac frugalis alimentorum potionisque uſus, atque inter cætera abſtinentia ab omnibus illis, quæ in caput evaporant, ac cerebrum replent, quæque ſpiritum craſſum ac nebuloſum, quo oculi mirè offenduntur, progignunt: cujuſmodi ſunt, cepæ, allia, ſinapi, aromata ferè omnia, præſertim copioſa, caules, lactucæ, lacticinia, caſeus, vinū generoſum merum.

Alterum evacuatio aliqua ſingulis menſibus inſtituenda per pilulas Lucis, Sine quibus, Aureas &c. ut:

R. *Maſſæ Pilularum Lucis* ℈ij.
Sine quibus ℈j.
Miſce fiant cum *aqua Fœniculi* pilulæ N°. IX.

Sumendæ ſummo manè, ſuperdormiat duabus horis, vel quantum placuerit. Intermedio tempore, niſi alvus plùs juſtò fluida fuerit, pulveris Hieræ Picræ Galeni ex Aloë optima Soccotrina recens diſpenſati ʒj. cum aqua Euphragiæ fiat bolus, nebulis involutus porrigendus; ex octidui vel decem plùs minùs dierum intervallo ſumatur. Sanguis bis in anno verno ſcilicet & autumnali tempore cum præſentis Medici conſilio mittatur ex brachij vena media, vel cephalica. His auxilijs DEO adjuvante humorum collectio, quà affectus augeri poſſet, præcavebitur.

Cucurbitulæ ſcarificatæ. Porrò ad materiæ, quæ jam in nervum influxit, retractionem, ac diſſipationem, remedia quæ ſequentur haud parùm efficacia fore confido. Singulis menſibus cucurbitæ quatuor cum ſcarifica-

ſcarificatione dorſo & ſcapulis adhibeantur, altero die à purgatione per pilulas fortiores facta; præterea bis, térve in anno veſicatoria ex cantharidibus fermento ſubactis.

R. *Cantharidum præparatarum inciſarum* ʒjß. Veſicatoria ſæpius in anno repetita.

Cum fermento & aceti acerrimi pauxillo ſubigantur, fiat paſta, quâ impleantur duæ capſulæ cereæ applicandæ ſcapulis, permittantur tota nocte, manè auferantur, & veſicæ aperiantur, curentur more conſueto.

Cute verò ſanata, poſt aures, loco eodem, veſicatoria, at doſi minori imponantur.

R. *Cantharidum præparatarum* ℈ij. Veſicatoria ad aures in cæcitate utiliſſima.

Imponantur alutæ, & applicentur poſt aures.

Hæc enim revulſio propter venæ jugularis ramum per illam partem ad oculos protenſum, mirificè poterit prodeſſe.

His omnibus peractis, ſi malum non recedat, cauterium ad muſculum deltoidem dextro brachio imprimatur, ac tandem, poſt ſetonem occipitij attentatum, cauterium in nucha geſtetur. Collyrium, aliáque topica locum hîc non habent, ac proinde ea ceu inutilia & periculoſa omittenda exiſtimo, præter fomentum ex herbis aquæ fontanæ incoquendis, quod ex uſu eſſe poterit, cùm veſicatoria poſt aures admota fuerint. Cauteria & ſetones.

R. *Herbarum Verbenæ,* Fomentum.
Euphraſiæ cum flore ana Mj.
Radicum Althææ,
Seminum Fœniculi,
Fœnugræci ana ʒj.

Miſce. omnia decoquantur in *aquæ fontanæ* ℔iß. ad quartæ partis conſumptionem. fiat colatura, quâ ſpongia abluta imbuatur, & locus foveatur horâ unâ ante cœnam.

Pro capitis corroboratione, ac ſpirituum depuratione vaporúmque diſcuſſione, manè jejuno ventre, nec non à paſtu mandere poterit ſemina Fœniculi, Coriandri præparati, Aniſi, Saccharo incruſtata. 15. Januarij 1601.

CONSVLTATIO XXXI.

OBSTRUCTIO NERVI OPTICI, ET EXIN OMNIMODA FERE CÆCITAS ENATA.

IN VIRO RELIGIOSO.

OCulorum affectus, quo viſus Religioſi hujus jam à biennio ex toto ferè ablatus eſt, pupillâ interim purâ & incolumi, ab humore progignitur craſſo ac viſcido cryſtallinum humorem occupante, nervúmq; opticum magna ex parte obſtruente. Si quid igitur ſpei in humanis auxilijs reponendum ſupereſt, id totum in attenuatione, diſcuſſióneque prædicti humoris conſiſtit. In eam igitur curam incumbere præſens Medicus debet, ut corpus univerſum repetitis evacuationibus probè evacuetur, idque præcipuè alvum ducentibus medicamentis; in quibus principatum obtinent pilulæ Lucis, Cochiæ cum portione Aurearum. præmittenda his erunt, quæ craſſos ſuccos incidere poſſunt, cujuſmodi ſunt Oxymel ſimplex, Mel Roſatum, Syrupus è Betonica. deinde Oxymel Scylliticum, Oxymel compoſitum.

Maſticatoria potiùs quàm errhina utilia.

Corpore probè repurgato, ipsóq; capite maſticatorijs potiùs quàm errhinis evacuato therapeia hydrotica placeret, poto (ut moris eſt) manè decocto radicũ Sarſæpariglię, ligni Guajaci, & modici Saſſafras.

In iſthac verò curatione duo ſunt obſervanda; unum eſt victûs ratio tenuis valde & exquiſita: alterum crebra ventris ſubductio ex brevibus nempe intervallis.

Veſicatorium vertici impreſſum.

Stillicidium.

Sub finem hujus remedij veſicatoriũ ex Cantharidibus aceto acri & fermento ſubactis, rasóque vertici impoſitis. Poſtremum auxilium fuerit Embrocha ſeu ſtillicidium aquarum thermalium in vertice pariter raſo exceptum, præmiſsâ exquiſitâ cùm totius corporis, tum ipſius capitis purgatione. Chriſtus Dominus Lux vera, æternáque iſti Religioſo oculorum lucem reſtituat. Monachij 11. Aprilis 1606.

CON-

CONSULTATIO XXXII.

HÆMORRHAGIA NARIUM.

PRO PRINCIPE, DUM VARIOLIS DETINETUR.

Etſi ſpero, hæmorrhagiam narium, quâ Principem Carolum laborare ſcribis, DEI benignitate, naturæque beneficio, ac remediorum adhibitorum ope vel mitigatam jam eſſe, vel planè ceſsâſſe: nihilominus, quandoquidem ita jubeor, meam de ſymptomate illo compeſcendo ſententiam aperiam. Arbitror ego, ex ſanguinis effervecentis acrimonia venulas naſi minores ſtimulatas, per anaſtomoſin reſerari, indéque ſanguinem profundi non copioſum neque aſſiduè, ſed guttatim tantùm, & brevia per intervalla. quod mirum non eſt in corpuſculo tenero, cujus vaſa mollia & ad apertionem aptiſſima ſunt. ſi modum non excedat hoc profluvium, profuturum non dubito. verùm ſi diuturnum fuerit & magnum, ut vires indè concidere videantur, plenum eſt periculi, modíſque omnibus compeſcendum. Revulſio per cucurbitulas ſiccas perplacet: eædem verò, ſi res poſtulaverit, hypochondrijs quoque ſecurè adhibebuntur; evacuato nimirum plùs ſatis venoſo genere, ut metus phlegmones nullus eſſe queat.

Hæmorrhagiæ narium cauſa.

Cucurbitulæ ſiccæ hypochondrijs appoſitæ.

Aër calidior vitandus, corpore ſtragulis propter variolas ritè & tecto ac munito. ad topica quod attinet, cùm ea collo ac fronti applicari ſolent, locum hoc tempore non habent: ea ſola admitti poſſe videntur, quæ naribus admoventur, vel induntur. Primùm igitur leviora, cujuſmodi eſt poſca, cui albumen ovi aquâ Roſaceâ optimè conquaſſatum mixtum; deinde validiora, quale eſt decoctum Balauſtiorum, Roſarum, Centinodij, Caudæ equinæ, adjecto pulviſculo Sanguinis draconis, & Bolo Armeniæ, ex uſu eſſe poterunt. Commendo quoque, quod celebre eſt remedium, paratum ex Aloës parte una, & Thuris partibus duabus, ovi albumine & leporinis pilis molliſſimis exceptum, naribus immiſſum. Quæ omnia ſi malum coërcere nequeant, Crocus Martis vocatus, quem ad te mitto, calamo inſuffletur.

Errhinum ad hæmorrhagiã.

Celebre ſanguinem ſiſtendi remedium.

Crocus Martis.

Hæc

Hæc ſunt quæ ex tempore mihi in mentem venêre propo-nenda, tu boni conſule, & vale.

P. S. expertus aliquando feliciter ſum ſtercus porcinum na-ribus admotum. Sereniſſima proponit ungulam equi uſtam & pulveriſatam, quod remedium non improbo. iterum vale. Monachij 27. Octobris 1587.

CONSULTATIO XXXIII.

TINNITUS AURIUM.

PRO

VIRO SENE QUODAM CLARISSIMO.

Ad Amicum Medicum.

Seriùs ad litteras tuas reſpondeo, Chariſſime Affinis, quòd ſperabam de præcipuo negotio tuo, quod mihi in paucis curæ eſt, certò aliquid ad te ſcripturum; interim de Domini patientis adverſa valetudine ſenten-tiam meam paucis tibi exponam: laborat bonus ſenex intemperie cerebri humida, atque ad frigiditatem inclinante, cum materia pi-tuitoſa admodum multa, ob caloris nativi inopiam, coctioníſque imperfectionem in capite coacervata. hujus verò partem aliquam ad auditûs inſtrumenta affluere, craſsíſque excitatis vaporibus ſen-ſitivam facultatem eludere, tinnitus ille auris diuturnus abundè de-clarat. Occaſionem mali præbuerunt cùm multa alia, tum verò potiſſimùm nativa capitis humiditas, ſtudia ac ſcriptiones intempe-ſtivæ, victus liberalior, corporis otium. Quæ abs te ad affectum hunc profligandum adhibita fuerunt, remedia probo omnia vehe-menter; quòd verò morbus extirpari hactenus non potuerit, id ejus magnitudini ac diuturnitati tribuendum eſt; quàm enim contumax & propè indomitum hoc mali genus eſſe ſoleat, præſertim ubi inve-teraſcit, ſatis ſupérque experientia docet, & docti viri, qui id poſt biennium inſanabile putent, ſcripto reliquerunt. Deſiſtendum tamen à remedijs nequaquam cenſeo: ſi modò Clariſſimo Viro (ut puto) integrum ſit optimis conſilijs obtemperare, nihílque inten-tatum relinquere, quod vel ſanitati eum reſtituere, vel à ſurditate aliíſque gravioribus malis præſervare queat.

Cauſæ Tinni-tûs aurium.

Tinnitus auriũ contumax ma-lum præcipuè inveteratum.

Inter

Inter præſidia verò, quæ hoc tempore, quo corpus ritè medicamentis vacuatum eſt, adhiberi poſſent, potiſſimùm mihi probaretur cauterium brachio ad muſculum deltoidem impreſſum ope ſeptici medicamenti ſine dolore factum; repetendam tamen priùs phlebotomiam, proxima cùm non ſucceſſerit, atque ℥vj. vel ℥vij. ſanguinis emittendum cenſeo; tunc præmiſſis item ſcarificationibus & veſicatorijs per cantharides, ſi modò his uſus jam antè non ſit, ad fonticulum properandum erit. Errhina ex ſucco Betæ cum aqua Majoranæ expreſſo, vel pulvis in eum uſum paratus placet. In aurem ad craſſitiem emolliendam, quam induiſſe ſuſpicor materiam, per infundibulum admittat vaporem olei Nucum calefactum, dentibus tunc mandens vel fabam vel piſa dura, quò auditûs organa magis dilatentur; atque mox olei Naphthæ ſeu Petrolei dicti per alembicum deſtillati, quod ad te mitto, guttas aliquot in aurem infundat, goſſypio, in quo Moſchus vel Ambra conſervabatur, occludendam. adfertur ad nos oleum hoc ex cœnobio Tegernſee divi Quirini vulgò nuncupatum.

Cauteria.
Venæ ſectio.
Veſicatoria
Errhina.
Vapor, per infundibulum ex oleo Vitrioli.
Oleũ Petrolei.

Si morbus his non cedat auxilijs, proximo Vere, apparato priùs corpore, ſudoriferam curationem ſuadeo: de qua tunc temporis (DEO volente) vel coràm vel per litteras agere licebit, vale.

Cura ſudorifera.

P. S. Mulieri in Aula Bavarica poſt multa medicorum remedia fruſtra adhibita, auditum amiſſum reſtituit ſuccus Majoranæ auribus inſtillatus. Monachij 19. Septembris 1611.

Succus Majoranæ auribus inſtillatus.

CONSULTATIO XXXIV.

DOLOR DENTIUM.

PRO

VIRO REVERENDO PRÆSTANTISSIMO.

ATſi per morbum meum miſerabilem vix ſe remittentem neque litteras legere, neque ſcribere poſſum, multóque minùs arte mea & conſilio ægris ſubvenire, cogit me tamen jus amicitiæ noſtræ, ipſáque officij ratio, breve hoc ad litteras tuas, hîc Monachij mihi nuper redditas reſponſum dictare, quod tuæ humanitatis erit æqui boníque, ceu ſtudij ac voluntatis erga te meæ teſtificationem conſulere.

Quæris de dentium dolore permoleſto, remediáque à me ijs profligandis accommodata poſtulas; ea igitur hæc ſunto. Cavebis ante omnia omnem aëris exceſſum caloris nempe ac frigoris. in templo caput munies pileolo, cujusmodi in Italia in uſu eſſe conſuevit, nullo tempore, niſi fortè cùm ſacra hoſtia elevatur deponendo. In cibo & potu vitabis lacticinia, caſeum, poma ac pyra cruda, porcinas carnes, cæpas, ſinapi ſeu moſtardam vocatam, crebrum uſum piſcium, vinum generoſum; à cibo legendo vel ſcribendo capiti parces. Corporis exercitatio cibum præcedat non ſequatur. Lavabis rariſſimè, ac nunquam niſi cibo in ventriculo benè concocto, ventríſque onere depoſito; à lotione cùm totius corporis tum verò potiſſimùm capitis habebis rationem, & ſub liberum cœlum prodire non auſis. hæc in ratione vivendi obſerventur, quantùm fieri licebit.

Ad medicamenta quod attinet, pilulas ſequentes minimùm ſemel in menſe, veſperi horis tribus poſt cœnam, ſolitâ multò frugaliorem devorandas ſuadeo.

Pilulæ.

℞. *Maſſæ Pilularum Maſtichinarum Conciliatoris* ℈ijß.
Aſſadaret ℈j.
Sine quibus ℈ß.
Miſce. cum *aqua Betonicæ* formentur pilulæ N°. XV. deaurentur, offerendæ una doſi.

Scarificationes.

Die poſtea uno interpoſito duæ cucurbitulæ dorſo cum ſcarificatione adhibeantur, in lecto, præmiſſa leni frictione calentilinteo facta. Dentes manè nec non à ſumpto cibo colluantur decocto hunc in modum parato.

Gargariſma in dolore dentiū.

℞. *Ligni Guajaci in ſcobem redacti* ℥j.
Cornu Cervi limati ℥ß.
Aquæ fontis ℔ij.
Vini ℔j.
Coquantur ad dimidiæ partis conſumptionem in olla vitreata, & ad uſum aſſervetur.

His paucis auxilijs ſpero te ita adjutum iri, ut majoribus ac pluribus opus minimè ſit futurum; alioquin de his ineunte Vere cogitandum, potiſſimùm verò de exquiſita corporis evacuatione, & modeſta per ſudoriferum potum ex radice Chinæ & ligno Saſſafras paratum exſiccatione, ac defluxionis per veſicatoria ſcapulis admota derivatione, nec non de præſidijs caput ſtrenuè roborantibus tam intra os ſumendis, quàm exteriùs admotis.

Cura ſudoriſera, & Veſicatoria.

Vale. Monachij 16. Decembris. 1598.

CON-

CONSULTATIO XXXV.

DOLOR DENTIUM, UNA CUM VACILLATIONE EORUNDEM.

PRO

FOEMINA QUADAM ILLUSTRI.

DOlor dentium, quo Illuſtris matrona afficitur, à tenuibus aquoſis & ſalſis humoribus oritur, quibus tum caput tum totum corpus plurimùm abundat, atque podagræ quoque potiſſima cauſa exiſtunt. hic ſeroſus humor à capite in dentes ſe inſinuat, gingivarum carnem abſumit, dentéſque vacillantes & debiles efficit, magno ſubinde cum dolore, ac periculo, ne dentes ſucceſſivè excidant omnes.

Ad ſuperandos hos affectus multa requiruntur, præcipuè debita victûs ratio tam in cibo quàm in potu; cujus Illuſtris Dominatio jam ante ſufficientem habet notitiam. adhæc neceſſaria ſunt medicamenta purgantia, lenitiva tamen potiùs, ac ſæpius reiterata, uti ſunt pilulæ Maſtichinæ, Aloëphanginæ, quæ ſi ſufficienter non operantur, poſſunt ſubinde ſed rarò, ac niſi cum conſilio Medici præſentis, addi illis pilulæ Cochiæ aut Sine quibus. Cantharides apponantur bis in añó, tempore ſcilicet veris & autumni infra nucham. Os ſæpe eluatur, maximè manè & poſt menſam utramque, ſequenti decocto, non admodum frigido, ſed potiùs tepido.

Pilulæ.

Veſicatoria.

Oris collutiones.

R. *Ligni Sancti* ℥j.
Cornu Cervi uſti ℥ß.
Affundantur *aquæ & vini ana* ℔jß.
Coquantur ferè ad conſumptionem medietatis, indè aſſervetur decoctum in vaſe vitreato mundo.

Si dolor urgeat, hoc decoctum benè tepidum in ore contineatur; vel quòd ſi eroſio quoque dentium adſit, oleum Camphoræ, vel aliquando oleum Caryophyllorum bombace exceptum in cavitatem intrudatur. Pro corroboratione & mundificatione dentium

Oleũ Camphoræ vel Caryophyllorũ denti impoſitum.

utile eſt oleum Vitrioli, ritè præparatum (quod aliàs intrò quoque ſumi poteſt) ſi bombacis pauca quantitas in illud intincta ad radices dentium admoveatur, eâ ſemper cautelâ, ne hac in parte Illuſtris Domina nimia ſit; ad hunc ipſum finem ſequens mixtura proficua erit, ſi illa manè & veſperi gingivis affricetur.

Oleũ Vitrioli.

Opiata dentes mundificans, corroborans.

℞. *Aluminis* ʒß.
Diſſolvatur in ℥iij. *aceti* ad ignẽ, indè addantur
Mellis ℥ij.
Coquantur ſimul, donec in formam redeant opiatæ mollis.

Et hæc ſunt ferè, quæ in præſenti caſu proficua fore ſperarem, ac licèt plurima in hoc affectu circumferantur medicamina, vix tamen, præter antè dictum Guajaci decoctum ſæpius repetitum, ita mihi modò arridet, ut Illuſtri Dominæ proponi debere videatur. Monachij 13. Martij 1601.

* * *

THOMÆ MERMANNI

CONSULTATIONUM ET RESPONSIONUM

LIBER SECUNDUS.

DE AFFECTIBUS FAUCIUM COLLI ET PECTORIS.

CONSULTATIO I.

CATARRHUS ACRIS LARYNGEM ET FAUCES LÆDENS.

IN MULIERE SENE.

*

DOlor, quem ſocrus tua in collo perſentit, provenit à tenui & acri capitis deſtillatione, acredine ſua uvulam partéſque vicinas lædente. Sanatio difficilis eſt, & plura requirit, quàm ut unico gargariſmate, uti putas, abſolvatur, in ſene præcipuè & viribus deſtituta, fortiora remedia haud ſufferente; attamen præſcripſi quædam ad rem, uti ſpero, utilia, imò omnino neceſſaria, ſine quibus mali depulſio ſperanda non erit.

Primum eſt laxans electuarium, quod manè jejuna in juſculo carnis diſſolutum ebibet, ac horas quatuor ad prandium uſque interponet. Laxans.

R. *Electuarij diacatholici* ℥viiij.

Ad teſtulam.

Alterum ſyrupus eſt in tres partes dividendus, tribus ſucceſſivis matutinis unà cum juſculo carnis permixtus aſſumendus.

 R. *Mellis*

Præparans

R. *Mellis Roſati* ℥iij.
Oxymellis ſimplicis,
Syrupi è Betonica ana ℥jß.
Miſce ad fictile.

Indè pilulas melli Roſato immerſas ad defluxiones utiles manè horâ quartâ, (niſi diarrhœa aliqua adeſſet) devorabit, ſomno poſtmodum quàntùm lubet, iterum inito.

Pilulæ

R. *Maſſæ Pilularum Sine quibus* ʒj.
Cum *aqua Betonicæ* formentur pilulæ N°. XXV.
Aſpergantur pulvere Liquiritiæ.

Quibus ita corpore inferiore, ac capite purgatis, ad alia procedendum. gargariſmate ex lacte caprino & aqua Plantaginis latifoliæ æquali portione permixtis utatur crebrò, item

Gargariſmata.

R. *Aquæ Plantaginis latifoliæ* ℥viij.
Mellis Roſati colati ℥ij.
Miſce. Quo tam de die, quàm de nocte os colluat.

Cæterùm neceſſariũ eſt,ut chirurgus aliquis os & fauces inſpiciat, qui, ſi juxta uvulam vel alio in loco partes ulceratas inveniat, illas cum melle Roſato & pauco unguento Ægyptiaco permixto emundet, ac demum aquâ Plantaginis vel Lactucæ gargarizando lavet.

Unguenta.

Quòd ſi remedia iſta non ſufficerent, neceſſarium erit ad curam levem ſudoriferam, evacuato priùs benè corpore, progredi; ipsique tergo pro revulſione veſicantia apponere. Verùm quomodo prædicta cura ſudorifera in ægra tam ſene commodè inſtitui poſſit & debeat, paratus ſum proximè in peculiari charta deſcribere, dummodò priùs de effectu horum medicamentorum ac ſtatu patientis plenè fuerim informatus.

Veſicantia.

Cura Sudorifera.

Interim ante curam hanc ſudoriferam, nempe ſtatim poſt aſſumptas pilulas, ſuadeo, ut ſequenti utatur nodulo laxativo in hunc modum parato.

Apozema pectorale.

R. *Foliorum Senæ ſelectæ* ʒx.
Seminis Aniſi,
Zinziberis ana ʒj.
Paſſularum ℥jß.
Jujubarum,
Sebeſten ana N°. vij.
Miſce; ligentur in linteolo & fiat ſacculus, coquatur in menſura media ſeu libra una & ſemis *aquæ* ad conſumptionem tertiæ par-

tis, indè

tis, indè ſtent per noctem, manè ſacculo
exempto & parùm expreſſo, liquori addan-
tur *Mellis Roſati* cochlearia ſex, & miſcean-
tur ad tres doſes.

Iis utatur manè jejuno ſtomacho, nec opus, ut ſingulis diebus ſucceſſivis hac potione utatur patiens, ſufficiet, ſi alternis diebus id fiat, prout ſcilicet medicamentum benè fert, aut ſuccedens fortè alvi fluxus id permittit. Hæc breviter, plura ſi ſucceſſum horum remediorum ac ſtatum ægræ rectè reſcivero. Monachij 1608. 11. Julij.

CONSULTATIO II.

CACHEXIA, MENSIVM PAV-CITAS, VENTRIS TUMOR, SITIS NUNQVAM INTERMISSA, GVLÆ ARI-DITAS, SICCITASq; INGENS, PTYALISMUS INCREDIBILIS, CATARRHI PERICULOSI.

PRO

PRINCIPE QUADAM VIRGINE.

Sereniſſima Princeps ante annos plùs minùs viginti quinque pallida & decolor, ſæpius febriculâ laborabat, quòd menſes nondum erupiſſent (decimum & ſextum ætatis annum exceſſerat) qui tandem multis adhibitis auxilijs apparere cœperunt, parciùs tamen & ex longis duntaxat intervallis fluentes: poſt annos aliquot in febrem tertianam incidit, quâ curatâ meliuſculè habere viſa eſt, menſibus interim nihilo ordinatiùs ac copioſiùs prodeuntibus: unde dolori ventriculi, ac viſcerum obſtructionibus obnoxia, varijs medicamentis conſervata potiùs quàm integrè ſanata fuit. Indè cùm peregrinationibus maximè recreari, adjuvarique videretur, Gracium profecta, Lincij ægrotare vehementiùs cœpit, ventriculo cum tumore intumeſcente. poſt multa adhibita auxilia, à Gracenſibus Medicis, ad aquas quaſdam medicatas miſſa, toto ventre inferiore intumuit, ut hydropicam confirmatam meritò diceres. hoc cum tumore & viſcerum duritie inſigni Monachium ceu deplorata
Hydrops ex thermis.

rediјt:

rediit : ubi, multis remedijs, atque inter alia, poſt crebras evacua-tiones, Sarſæ Parigliæ, Chinæ, aliorúmque decocto, ac tandem lavatione ex fonte ſubſalſo, qui vulgò Hailbrun vocatur uſurpa-tis, cum ijsdem malis diu ac multis annis conflictata fuit, acceden-tibus ad hæc, alijs querelis, de hypochondrij ſcilicet ſiniſtri do-lore, de menſium ſuppreſſione vel fluxu parciore, capitis dolore, cordis palpitatione, catarrho, copioſo ptyaliſmo, ac febriculâ, quo-rum nunc hoc, nunc illud, ſæpe verò uno tempore omnia erant moleſta. Sitis ex quo venter intumuerat, perpetua, atque vix unquam intermiſſa, in hodiernum diem perſeverat. Ante an-nos haud ita multos novum ſymptoma experiri cœpit, uſque adeò grave, ut præ illo mortem ſibi optaret. erat hoc gulæ ariditas ſeu ſiccitas quædam aſſidua, diu noctúque crucians, ut cogeretur ſingulis ferè horis vel pitiſſare vel humectans aliquid aſſumere. Pugnatum eſt ad illud propulſandum, multis præſidijs, inter quæ potiſſima fuêre, purgationes frequentes cum diluto Rhabarbari & Melle Roſato laxativo, additis interdum Manna & Agarico. Se-rum lactis caprini incoctis corrigentibus ejus flatulentiam, & hu-mectantibus, ad complures dies potum. ſyrupi convenientes aquis ſtillatitijs, & ſucco è Cichorij radicibus recentibus expreſſis diluti. Julapio ex aqua Boraginis, Bugloſſi & Ceraſorum nigrorum, ſyrupo è Granatis dulcibus, adjectis interdum conſervis Boraginis, Bugloſſi ac Violarum mitigata ſumma hæc ſiccitas fuit, quæ tamen cùm maximè Sereniſſimam excruciaret, nulla vel in lingua, vel in alijs oris partibus ſenſui patentibus conſpiciebatur: quin potiùs tum temporis, uti aliàs quoque incredibilis ſalivæ ac pituitæ copia, ex ore, vel noctu ſponte ſua profluebat, vel ſputo reijciebatur. Hacte-nus de veteribus malis, è quibus magna pars jam dum eſt re-liqua.

Thermæ Hail-brunenſes in hydrope.

Gulæ ariditas ingens.

Siccitas oris in-gens cum in-credibili ptya-liſmo con-juncta.

Cæterùm eorum aliqua continuò affligunt, cujuſmodi ſunt ſitis, & ventris tumor: alia per intervalla, modò breviora, modò longiora. catarrhũ bis térve toto anno patitur: qui tunc ita vehemens eſt, ut illi ſuffocationem minetur cogátque dies noctéſque, partim ſcreatu ſimplici, partim tuſſi, pituitam exſpuere tam copioſam, quod nemo facilè credat. corripitur autẽ deſtillatione hac, cùm aëri frigidiori ſe committit, cúmque ventriculus mundus non eſt, ſed phlegmate ſcatens, cujus vomitum, juſculo carnium, Oxymelite ſimplici & Saccharo rubeo, ſæpius ac ſingulis ferè menſibus excita-tum, utilem ſibi, uti & per alvum ejuſdem dejectionem experta eſt. Cùm catarrhus ſalſus ac tenuis urget aſſiduam tuſſiculam vigiliáſ-que inducens, tunc horâ ſomni, vel rotulis ex Diacodio ſimplici cum Saccharo & pauco Bolo Armeno paratis, vel ſyrupo è Jujubis, ad-ditis

Diacodium in catarrho ſalſo.

ditis nonnunquam Thuris ac Maſtiches vel Ambræ granis aliquot, in pulverem redactis, vel conſervâ Violarum, cum fructu utitur: ſicut & emulſione (hæc rariùs offertur) ſeminum Cannabis, ſeorſim inter alia medicamenta deſcriptâ. Capitis dolor crebriùs recurrens, corpore vacuato, oxyrrhodyno ſibi familiari miteſcit. Cordis palpitatio, cum intermiſſione pulsûs, olim ſæpius, nunc raró ac vix niſi ventriculo gravato ac crudo, infeſtans, coctione peracta, ac ventre laxato, conquieſcit. Integræ curationis ſpes nulla; producendæ vitæ ac mitigandorum porrò ſymptomatum haud dubia affulget. Ab aliquot annis ſummum ferè ſtudium noſtrum fuit, ventris molem deponere, & ne incrementum ſumeret, quantùm fieri poſſet, cavere. Præter victûs rationem ac moderatum inprimis potum, decreta in eum uſum à nobis, ac felici ſucceſſu uſurpata hactenus fuerunt purgantia, quæ in charta ad verbum mittuntur conſignata. formulæ verò, quæ in illis omnium maximè nobis hoc tempore probantur, hæ ſunt.

Potio purgans.

R. *Agarici præparati* ℈iiij.
Seminis Aniſi ℈j.
Radicum Liquiritiæ ʒß.
Cichorij ʒj.
Paſſularum ℥ß.
Florum Boraginis,
Bugloſſi ana Pj.

Decoquantur in *aquæ Boraginis* ℥viiij. ad mediëtatis conſumptionē, in colaturæ poſt 7. vel 8. horas factæ ℥iijß. infunde
Rhabarbari electi pulveriſati, & vino albo irrorati ʒj.
Schænanthos grana iiij.

Stent per noctem, manè fiat colatura, in qua diſſolve
Mannæ Calabrinæ,
Mellis Roſati laxativi ana ℥i.

Miſce fiat potio

Offerenda horâ matutinâ, eâque aſſumptâ ſomnus rurſus ineatur, ipsique ad horulam indulgeatur. alia potio octavo quoque die ex uſu futura.

R. *Decoctionis ſuprà ſcriptæ* ℥iijß. His infunde *Rhabarbari electi* pulveriſati & vino albo irrorati ʒj. *Schænanthos grana* iiij. ſtent in loco tepido, manè colentur, colaturæ adde *Mellis Roſati laxativi* ℥iiij. vel *Mannæ* & *Mellis laxativi Roſati ana* ℥ij.

Miſce fiat potio.

Alia potio, quæ bis in ſeptimana, ubi res poſtulaverit, exhiberi poterit, atque aliquoties repeti.

Potio purgans in hydrope ſimul diuretica.

R. *Radicum Fœniculi,*
Seminum Aniſi ana ℥ß.
Lactucæ,
Scariolæ,
Citri ana ℈ß.
Florum Boraginis,
Bugloſſi ana Pj.
Paſſularum ℥ß.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ Boraginis* ad ℥iiij. Quibus infunde *Rhabarbari* electi pulveriſati & vino albo irrorati ʒiß. quieſcant in loco calido per noctem, manè colentur cum levi expreſſione, in colatura dilue *Oxymellis compoſiti Meſuæ* ℥ij.
Miſce.

Si parùm eduxerit, augeatur doſis Rhabarbari ad ʒij. Si copioſiùs, minuatur ad ʒj. Aloëticis ab aliquo tempore, quòd menſes rectiùs fluant, rariùs ſumus uſi. Alvum emollire ſolet clyſteriolis, quorum doſis ſeptem vel octo uncias vix excedit, ex aquæ Tetuccij, vel juris carnium ℥v. & Butyri magiſtralis ℥ij. modò cum ℥j. ad ſummum Sacchari rubri, modò ſine Saccharo. Nonnunquam ſola ôlea, ut Chamæmelinum, Liliaceum, cum Butyro magiſtrali infundi ſibi curavit, totâque nocte retinuit, indéque fæces multas dejecit, oleorum erat ana ℥j. Butyri magiſtralis ℥ij. Aliquando ad eandem intentionem, pruna in prima menſa aſſumit in hunc modum parata.

Clyſma ex ſolo oleo & butyro magiſtrali.

Pruna laxativa.

R. *Foliorum Senæ Alexandrinæ ſelectæ* ℈ij.
Zinziberis inciſi ℈j.
Sacchari ℥ß.
Ligentur in linteolo, decoquantur cum prunis dulcib⁹ N°. xiij. in ſ. q. *aquæ* addendo in fine cocturæ *Mannæ*℥vj. *Sena* interdum omittitur.

Vſa quoque eſt, ſed raro electuario è prunis magiſtrali, in prima menſa, quod ſic habet.

Electuarium è prunis magiſtrale.

R. *Foliorum Senæ ſelectæ ſine ſtipitibus* ℥ij. *vel* ℥iij.
Cinnamomi acuti,
Galangæ,
Caryophyllorum ana ℈ij.
Zinziberis ʒij.

Affunde

Affunde *aquæ fontanæ* & *vini Puccini* ſive *Reinfalij* dicti, novi, ana ℔j. ℥j. Coquantur ad ℔j. ſtent in loco tepido per noctem, manè colentur, in colatura infunde per horam unam

Prunorum dulcium exoſſatorum ℥iiij.

Poſtea contundantur *pruna*, & cum dicta colatura extrahatur eorum pulpa, cui adde

Sacchari albiſſimi ℥ijß.

Coquantur lento igne ad formam electuarij, addendo in fine *pulveris Cinnamomi acuti* ℈ij.

Doſis ſit ab uncia dimidia ad ℥j.

Butyrum magiſtrale pro clyſteribus, cujus ſuprà facta eſt mentio, ita conficitur. Butyrum pro clyſterib⁹ magiſtrale.

℞. *Herbarum Malvæ recentis partes* iiij.
Parietariæ,
Mercurialis,
Meliloti,
Chamæmeli,
Anethi ana partem j.

Coquantur in ſ. q. *Butyri* recentis, per quartam partem horæ, deinde ſtent tota die ad ſolem, vel in loco calido, exprimantur herbæ, & novæ addantur, coque, & rurſus cum expreſſione cola, idq; ter repete.

Oxyrrhodynon ipſi familiare conſtat ex oleo Roſato, aceto Roſato, vel Sambucino, & aquâ Meliloti, miſce tepidè applicanda. Oxyrrhodynũ. Ab aſſumptis medicamentis, in craſtinum ad calorem, & ſitim reſtinguendam, ſæpe conceſſum fuit Julapium ex aquæ Ceraſorum, Boraginis, Acetoſæ ana ℥jß. & ſyrupi Granatorum dulcium ℥ß. manè calidum ac nonnunquam veſperi frigidum aſſumendum, loco aquæ Acetoſæ aliquando Cichorij vel Intybi aqua ſumebatur; ídque libenter tanquam gratum ſumebat. Julapium contra ſitim. Vrinis ciendis, quæ pauciores, quàm par ſit, redduntur, nihil accommodatius habet, quàm vinum cui grana Alkekengi & cortices ligni Tamariſci ſunt infuſi. Vinum diureticum optimũ. Ad catarrhum & capitis dolorem uſa aliquando eſt ſed raro, & ferè ſine fructu, veſicatorijs, ad ſcapulas, admotis; nec non cucurbitulis cum ſcarificatione. Hæmorrhagiam narium, in quam ſubinde incurrit, nihil æquè compeſcere hactenus potuit, quàm venæ ſectio, nunc in uno nunc ambobus cruribus ad talum, nunc in manu ad pollicem, interdum etiam in brachio celebrata, ídque bis minimùm in anno, vel ter, requirente ſic rei neceſſitate. Hæmorrhagiã venæ ſectio ſedat.

Ad anhelitûs difficultatem, quam inter ambulandum maximè experitur, cum ſibilo quodam, pituitæ in aſperas arterias delapſum arguente, præter alia pectoralia, & oleum Amygdalarum dulcium recentiſſimum ex cochleari cum Saccharo candi manè aſſumptum, non infeliciter pilulam unam, ciceris inſtar ex ſolo Liquiritiæ ſucco inſpiſſato, horâ decubitûs multis diebus continuis deglutire ſolet. Hæc de valetudine Sereniſſimæ Duciſſæ hiſtoricè referenda Excellentiſſimis DD. Medicis, qui ipſius curam aliquandiu habituri ſunt, duximus. Deus Optimus Maximus, qui ſolus id poteſt, optimæ valetudini ipſam reſtituat, reſtitutámque incolumem diutiſſimè ſervet. Monachij 18. Martij 1595.

Ecclegma pectorale ex oleo Amygdalarum dulcium & Saccharo candi.

CONSULTATIO III.

FAUCIUM SICCITAS MAGNA, CUM MENSIUM IMMINUTIONE, SITI MAGNA, CORPORIS LANGUORE &c.

PRO

EADEM PRINCIPE VIRGINE.

Ad Medicum celebrem Giſbertum Vooſsium.

Nihil aliud egero, quàm quod actum ſæpius eſt, ſi de ſymptomatum Sereniſſimam Dominam affligentium cauſis diſputationē rurſus inſtituere aggrediar. Siccitatis verò illius in faucibus & gula tantopere moleſtæ, rationem in litteris tuis tumetipſe attuliſti longè veriſſimam. Cæterùm in mentem hoc loco venit, quod Hippocrates *initio libri primi de mulieribus affectibus* ſcribit: *mulierem* ſcilicet, *quæ non peperit, graviùs ac citiùs è menſibus ægrotare, quàm quæ peperit. quibus verò menſes diu remorati fuerint, illis* (inquit) *venter durus erit, & major quàm priùs, & dentibus fremet, & cibum averſabitur, & vigilabit. ubi verò ſex menſibus retinetur menſtrua purgatio, anxia* (ait) *mulier erit, & pituitam vomet, & ſitis fortis ipſam corripiet; nimirum dum exuritur venter ab uteris ſanguine plenis.* Memini autem Sereniſſimam hanc Principem, à quo tempore nubilis fuit, omnimoda, vel ſuppreſſione menſium, vel certè paucitate inſigni perpetuò laboráſſe

Mulieres quæ non peperêre, graviùs è menſibus ægrotant.

boràſſe : ità ut dubitare non liceat, corpus ipſius totum à Natura valde alioquin calidum, atque hepar imprimis ac meſenterij venas ab utero fervido, ſanguine referto; non mediocriter exuſtas, ac calida ſiccàque intemperie malè affectas eſſe. Hinc vitiari coctiones omnes oportuit, & pituitam, aduſtos ſuccos, in corpore univerſo colligi. hinc & cerebrum quoad ſubſtantiam ſuam ſiccius factum eſſe neceſſum eſt. quò ſi accedant exhalationes aſſiduæ, ab inferioris ventris antiquo illo & hectico, (ut ſic loquar) caumate ſubvolantes, quid mirum ? ſi, glandulis ſiccatis, ariditas illa ingens ſitiſque nunquam penè intermiſſa oboriatur. De vigilia, capitis dolore, cordis palpitatione, inappetentia ac reliquis ſymptomatis nihil hîc repetam, eandem procul dubio cauſam habentibus. Quibus igitur in difficultatibus verſeris optime Domine Giſberte, facilè intelligo, verſatus & ipſe in ijsdem cum Clariſſimis Collegis meis, annis non ſanè paucis.

Faucium ſiccitatis aliorumque ſymptomatum cauſæ.

Incumbendum tamen corporis humectationi, quantùm id fieri poterit, vacuatis priùs per blanda ac clementiora auxilia vitioſis humoribus, eisdémque per idonea remedia antè præparatis. In victûs ratione aliud non eſt, quod moneam; niſi ut vinum album Neccaricum benè maturum, quale ad vos mittitur, paulò largiùs dilutum bibat. in eum uſum aquam in vitreis vaſis deſtillare expediret, ſeu in Balneo Mariæ uti vocant, quò faciliùs per hypochondria tranſeat, vel huic aliam aquam ex ſtillatitijs aquis ſubſtituere, qualis ſit caponis, Bugloſſi, Boraginis. rectè etiam ſimplici aquæ radices Bugloſſi incoquentur. Somno longiori indulgendum, quòd eo ſitim ac ſiccitatem curet Paulus, atteſtante experientia.

Vinum aqua ſimplici deſtillata dilutum faciliùs tranſit.

Somnus ſitis remedium & ſiccitatis.

In medicamentis placet mihi omnium maximè Diacatholicum Nicolai Præpoſiti ex diſpenſatorio Auguſtano fideliter paratū, cujus ℥ß. minorativi (ut appellant) loco, ſemel atque iterum ad primas vias probè expurgandas rectè porrigetur. Indè jus pulli gallinacei, cui Borago, Bugloſſum, Cichorium, ac tantillum Fumariæ vel Cuſcutæ & ſeminis Citri incocta ſint, matutino tempore ſæpius offerendum; non neglectis interim clyſteriolis ſuis conſuetis. Poſt aliquot dies ʒß. Rhabarbari in aqua Boraginis macerati, aſſumi poterit, dulcorata Mellis Roſati laxativi & ſyrupi è Pomis Saporis Meſuæ an ℥ß. colaturâ ſine expreſſione factâ, antequam dulcoretur. Ab hujus medicamenti uſu ad juſcula, ac poſt octiduum ad idem, vel huic non abſimile redeundum. Inter corroborantia cor ac ſpiritus reparantia commendo hoc, ceu mirè efficax ac ſuaviſſimum.

Juſcula alterantia.

Potiuncula delicata laxans.

℞. *Sacchari albiſſimi* ℥j.
Ambræ gryſeæ ℈j.

Pulvis Ambratus corroborãs cor & ſpiritus.

Fiat pulvis, de quo ſumatur ℈ß. ex ovo ſorbili manè loco jentaculi ad dies 24.

Taceo indè tabellas, electuaria, conſervas, ſacculos, linimenta, aliáque innumera, quæ paſſim præſcribuntur cordialia, ceu notiſſima tibi, quem nihil in arte noſtra fugit. Cæterùm probarem valde ad vaporum revulſionem ichorúmque evacuationem in utróque crure cauterium, niſi propter gracilitatem corporis dolor ſuſpectus eſſet. Hæc pauca, quæ propoſui, boni à te conſuli cupio, ſcripta nempe, ut tibi potiùs facerem ſatis, quàm ut te alicujus rei admonendum putaverim.

Cauteria in crure.

CONSULTATIO IV.

DE EADEM PRINCIPE.

Ad Giſbertum Vooſsium Medicum Græcenſem.

DE Valetudine Sereniſſimæ Principis quod doleam, multùm, quod ſcribam, parùm admodum habeo. vereor etenim, ne tandem ſub tam gravi malorum ſarcina ſuccumbat, id quod Dominus DEUS quàm diutiſſimè prohibeat. Arbitror Serenitatem Suam, uti medicamentis carere in univerſum non poteſt, ita impoſterum non niſi leviſſima, eáque ex rarioribus intervallis ſumere debere: ſatis fecerit fortè in hoc fervido cœli ſtatu vel ſola Caſſia. placeret porrò, ſi ad alvum leniendam pulpa Paſſularum majorum (Zibebos vocant) exemptis gigartis cũ pari portione Sacchari mixta & ſimul conquaſſata ad formã electuarij redigeretur; cujus cochleare unũ in prima menſa ſæpe aſſumeret Sereniſſima. Ad ſitim illam aſſiduam & inexplebilem probaverim ego, ut pluſculum biberet, veritus æquè maraſinum, atque hydropem. in eum uſum propono hunc potum.

Pulpa Zibeborum cum Saccharo alvum emollit.

R. *Vini Neccarici* ℥xij.
Sacchari albiſſimi ℥x.
Coquantur ad formam Julapij. item deſtilletur in B. M. per alembicum *aqua fontana ſimplex*, de qua
R. ℥iiij. vel V. adde
Iulapij præſcripti ℥ß.
Miſce.

Julapium ex vino, ſaccharo & aqua deſtillata ſimplici.

Offera-

Offeratur duabus horis ante cœnam. ſperaverim indè reſtinctam iri ſitim ſine ventriculi refrigeratione, atque hypochondriorum aggravatione. rectè autem eâdem aquâ vinum diluetur. Vale raptim Monachij 21. Martij. 1596.

CONSULTATIO V.

CATARRHUS SALSUS, CUM RAUCEDINE, RESPIRATIONIS DIFFICULTATE, ET TUSSI, SPUTOq; COPIOSO.

PRO

VIRO QUODAM.

*

EX relatione, quæ partim ſcripto partim oretenus facta eſt, intelligo: quòd Patienti defluxio ſalſa ad aſperam arteriam decumbat, difficultatem reſpirationis, tuſſim multam, & copioſum ſputum producens: ægrum porrò annorum eſſe quinquaginta: corpus pingue carnoſumque: faciei colorem bonum exiſtere & laudabilem: in victûs ratione illum plùs ſæpe quàm minùs indulgere. Hæc informatio oſtendit ſufficienter totum corpus ſuperflua humiditate abundare, caput verò plùs quàm alias partes eſſe gravatum; & quoniam cerebrum humiditatis abundantiam concoquere aut conſumere ſatis nequit, mirum non eſt, ſi colluvies iſta partim ad inferiora decidat & præcipuè laryngem vocis inſtrumentum occupet, unde raucedo; partim ad pectus ruat, & anhelitûs difficultatem producat.

Phlegmatica porrò & decidens iſta materia, duas habet potiſſimùm qualitates; una eſt ſalſedo, altera tenuitas; atque hæ qualitates duos iterum fontes agnoſcunt, primò, quòd materia conjunctam habeat caliditatem, ſecundò, quòd prædicta materia phlegmatica ſeroſis & ſalſis humiditatibus ſit permixta. Quibus ſic ſtantibus ſedulò præcavendum, ne pejus aliquod malum, raucedo perpetua vel aſthma ſuboriatur. Phlegma ſalſum & tenue.

Cura hujus defluxionis conſiſtit præcipuè in ſequentibus: primò ut per exactâ victûs rationem omnis humiditatis abundantia Indicationes.

præca-

præcaveatur; ſecundò ut præſens cacochymia per remedia debita viáſque convenientes evacuetur, & ab ipſo capite derivetur.

Diæta. Diætam quod attinet, hypocauſta calidiora, aërem frigidum ventoſum cavebit: balneo, capitis lotionibus, niſi mediocri ſubinde pectinatione, non utetur: temperantiæ ſtudebit parcus in cibo & potu, in cœna maximè abſtinens. Inter cibos prohibentur omnia lacticinia, paſtilia, caſeus, fructus horarij crudi, carnes duriores, allium, ſinapis, raphanus & ſimilia. Potus vinum erit defæcatum aquâ mixtum, in qua parùm Maſtiches fuerit incoctum. Exercitium corporis quotidianum inſtituatur eundo, equitando, ſi tempus favet: aut domi laborando, torneando &c. inſtituatur autem ante cibum, nam prandio finito horas quatuor quieſcat ſine ſomno, poſt cœnam niſi poſt duas horas ſe lecto committat. Alvus ſingulis diebus reſpondeat, ſin minùs, arte ſollicitetur, ut in fine dicetur.

Pharmacia. Medicamenta quod ſpectat, ſuadeo & neceſſarium eſt, ut corpus benè ſufficientérque purgetur, quod unica vice, potione una, fieri nequit. quare electuarium laxans primò præſcripſi.

℞. *Specierum Hieræ ſimplicis* ʒß.
Aloës Roſatæ ℈j.
Specierum Eleſcophi ℈ß.

Bolus laxans. Miſce; cum *aqua Cinnamomi* fiat bolus, horis duabus ante prandium cum *Melle Roſato* aſſumendus.

Quòd ſi electuarium hoc ſufficienter non operetur, repetatur iterum die ſequenti. Poſtmodum potiuncula præparans tribus diebus continuis manè aſſumatur, ſomnúſque iterum ineatur.

Apozema aperiens laxans

℞. *Herbarum Betonicæ*,
Boraginis,
Cichorij,
Capillorum Veneris ana Mj.
Radicum Cichorij ℥ß.
Liquiritiæ ʒij.
Paſſularum ʒvj.
Tamarindorum ℥j.
Florum Salviæ,
Anthos,
Nymphææ,
Roſarum ana Pj.
Foliorum Senæ ʒvj.
Agarici præparati ʒiij.
Seminum Aniſi ℈iiij.

Coriandri

Coriandri præparati ℈ij.
Zinziberis ℈ijß.
Radicum Calami aromatici ℈j.
Elenij ℈ß.
Omnia coquantur in ſ. q. *aquæ ad* ℔j. ſtent per noctem; manè factâ colaturâ, in ea dilue
Syrupi è Betonica ℥ijß.
Jujubis ℥jß.
Mellis Roſati,
Oxymellis ſimplicis ana ℥j.
Miſce; fiat apozema ad 3. doſes.

Ebibito apozemate, potio purgans ſequatur manè haurienda, ſomno iterum inito.

Potio purgans pectus præcipuè & caput.

R. *Agarici præparati* ʒjß.
Foliorum Senæ ʒijß.
Paſſularum ℥ß.
Tamarindorum ʒiij.
Radicum Polypodij,
Liquiritiæ ana ʒjß.
Seminis Aniſi;
Zinziberis ana ℈j.
Florum cordialium ana P j.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ fontis* ad ℥iiij. ſtent per noctem, manè factâ colaturâ dilue
Mannæ ℥ij.
Electuarij Diaphœnici ʒij.
Miſce fiat potio.

Quòd ſi pilulas exoptaret æger, tales fiant.

Pilulæ.

R. *Maſſæ Pilularum Sine quibus*,
Cochiarum,
Maſtichinarum ana ℈j.
Miſce; cum *aqua Betonicæ* formentur pilulæ.

Hiſce peractis, ſuaderem equidem, ut denuo Patiens, ſed medianam lateris ſiniſtri pertundere ſibi permitteret; & cùm pertimeſcendum ſit, corpus necdum ſufficienter perpurgatum eſſe, potiunculas tam præparantes quàm purgantes iterum repetat, ac tandem ad purgationes particulares capitis per naſalia inſtituendas perveniat.

Sanguinis miſſio.

Naſalia.

R. *Seminum Nigellæ* ʒj.
Staphiſagriæ,
Piperis longi,
Radicum pyrethri ana ℈jß.
Hellebori albi ℈ß.

Pulveriſentur & cum *Terebinthinæ* ſ. q. fiant naſalia. quorum in utrumque naſi foramen unum indatur, relinquatúrque, quamdiu æger perferre poteſt.

Vel loco hujus linimentum ſternutatorium ſequens, magnitudine piſi alicujus, utrique foramini naſi illiniatur, quod tribus ſucceſſivis matutinis fiat.

Linimentum naſale ſternutatorium.

R. *Radicum Hellebori albi*,
Succi Elaterÿ ana ʒj.
Betæ ℈ij.
Ceræ &
Olei Sambuci q. ſ.
Miſce fiat linimentum naſale.

Porrò pro corroboratione capitis, ſiſtendáque fluxione electuarium ad noctem ʒß. pondere aſſumendum propono.

Electuarium catarrhos ſiſtens.

R. *Conſervæ Roſarum rubrarum veteris* ℥iiijß.
Anthos,
Nymphææ ana ℥jß,
Nucis moſchatæ ℈iiij.
Boli Armeni præparati,
Olibani ana ℈ij.
Syrupi è Jujubis,
E corticibus Citri ana ℥ß.
Miſce fiat Electuarium.

Fonticulus.

Cæterùm ad derivationem materiæ fonticulus brachio ſiniſtro inuſtus conducet. uti etiam pro abſumendis humiditatibus corroborandóque ventriculo pilulæ ſine cura proderunt, ſingulis octo diebus xviij. vel xx. vel plures pro vice devoratæ.

R. *Aloës Roſatæ* ℥iij.
Cum *aqua Betonicæ* formentur pilulæ pondere grani j.
Signentur pilulæ ſine cura.

Pilulæ ſine cura.

Atque hiſce remedijs adhibitis ſpero ægrum multùm ſublevatum iri, nec ulteriori cura ſudorifera habiturum opus, quamvis levis cura ſudorifera ex China, Sarzapariglia, cum pauco Saſſafras parata non parùm prodeſſet, de quibus aliàs. interim DEVS hæcce benedicat.

Cura ſudorifera.

* * *

CON-

CONSULTATIO VI.

RAUCEDO EX DESTILLATIONE A CAPITE.

IN VIRO MUSICO.

DOleo cùm cætera benè habeas, raucitatem iſtam novam tibi moleſtam eſſe; prudenter autem facis, dum remedia petis, priusquam materia per moram longiorem invaleſcat, vóxque, ut fieri ſubinde morbo neglecto ſolet, tota ferè aboleatur: rauceſcit vox humectato larynge, nempe deſtillatione capitis irrigato, imbutóque, ſi Galeno credimus.

Ex diuturna raucedine vox ſubinde ferè tota aboletur.

Cauſa igitur imprimis præcidenda, hoc eſt, abſumenda ſiccandáque eſt materia defluxûs. In eum uſum omnium primò victus frugalis requiritur, in cœna præcipuè, quæ parciſſima eſſe debet. Vinum aquâ diluendum cui Liquiritia & pauxillum Aniſi ſint incocta. Vitanda hypocauſta plùs juſtò calentia, frigus, ventus, quantùm id fieri poteſt. In medicamentis ex uſu erunt, quæ humorem defluentem ad eductionem præparent, deinde expurgent, ac tandem laryngem repurgantia atque ſiccantia medicamenta; quæ opera iſta præſtabunt ritè uſurpata in modum, qui ſequitur.

Indicantia.

Bolus ſequens primùm devorandus eſt, nebulis involutus, affusóq; Melle Roſaceo duabus ante prandium horis.

Bolus.

℞. *Specierum Hieræ ſimplicis* ℈iiij.
Eleſcophi grana vij.
Cum *aqua Betonicæ* fiat bolus.

Si parcè admodum alvum duxerit, poſtero die, vel certè tertio repetatur. deinde apozema ſequens.

Apozema pectorale laxans incidens.

℞. *Radicum Liquiritiæ* ℥vj.
Helenij ℥iß.
Fœniculi,
Aniſi,
Zinziberis ana ℥j.
Foliorum Senæ ℥iij.
Paſſularum ℥x.
Foliorum Hyſſopi,

Farfaræ,
Betonicæ ana Mß.
Florum Anthos,
Salviæ,
Boraginis,
Chamæmeli ana Pij.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥xiiij. in colatura dilue
Mellis Roſati ℥ij.
Syrupi è Capillis Veneris,
Farfara ana ℥j.
Fiat apozema ad tres doſes, manè ſummo ſumatur inito rurſus ab aſſumptione ſomno ad horulæ ſpatium.

Poſtremò potio purgans horâ quintâ matutinâ.

Potio purgans pectoralis.

R. *Agarici præparati*,
Foliorum Senæ ana ʒiß.
Zinziberis,
Seminis Aniſi ana ℈ij.
Radicum Helenij,
Liquiritiæ ana ℈j.
Paſſularum ℥ß.
Florum Boraginis,
Anthos,
Chamæmeli ana Pj.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ Chamæmeli* ad ℥iiij. ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua diſſolve
Mannæ ℥ijß.
Electuarij Diaphœnici ʒiiß.
Fiat potio.

Repurgato hac ratione corpore, loco malè affecto, laryngi ſcilicet adhibenda ſunt remedia. proderit ad hoc non parùm Cubebarum Saccharo incruſtatarum manè jejuno ventre octo vel decem ediſſe; veſperi horâ decubitûs unam ex rotulis in os ſumat, & retineat, donec ſponte liqueſcat, quidquid liquatum fuerit, ſenſim deglutiat.

Cubebæ Saccharo incruſtatæ.

R. *Radicis Liquiritiæ*,
Gummi Tragacanthi,
Arabici,
Seminum Cucurbitæ,
Portulacæ ana ʒiij.

Olibani

Olibani ℨiß.
Myrrhæ,
Croci,
Succi Liquiritiæ ana ℨj.
Penidiorum ℨvij.
Seminis Carvi ℨß.
Carnis Dactylorum ℨv.
Omnia terantur, & cum *vino dulci* formentur rotulæ ℨß.

Rotulæ contra raucedinem, & catarrhum.

Collum faſciâ ex tela linea, tenui, mollique obtegatur à frigore die ac nocte; id quod plurimi eſſe momenti perſuaſum habeat.

CONSULTATIO VII.

RAUCEDO ET VOCIS INTERCEPTIO.

IN VIRO RELIGIOSO.

Octo menſes (plùs minùs) elapſi ſunt, cùm admodùm Reverendus Pater in vocis depravationem, quæ raucitas dicitur, incidit; ea cùm initio nunc major, nunc minor eſſet, ita ſenſim eſt aucta, ut remedia huic malo profligando idonea adhibere coactus fuerit. verùm illa licèt multa ac generoſa fuerint, vitium iſtud emendare necdum valuerunt; ut verendum ſit, ne quæ hactenus depravata vox exſtitit, ſucceſſu temporis imbecillior longè facta majori ex parte aboleatur.

Cauſa ſymptomatis hujus deſtillatio fuit, qua Reverendus Pater Conſtantiæ gravi valde laboravit; raucam verò à rheumatiſmo reddi vocem rectè Galenus docet tum alijs in locis, tum verò in *lib. 6. de tuenda ſanitate cap. 9.* his verbis: *Larynx ab ijs quæ à capite deſcendunt madefactus principio quidem raucam vocem facit, procedente verò tempore parvam.* In eandem ſententiam ſcribit *Lib. 7. de compoſitione medicamentorum cap. 5. Cùm*, inquit, *vocis organa ab humiditate vehementiùs, & ut ægrè ſolvi poſſit, fuerint madefacta, vox intercipitur, quando verò moderatiùs ſunt humecta, raucedo oboritur.*

Rauca vox à rheumatiſmo redditur.

Humiditas, vocis organa deſtruit.

Non ſunt igitur audiendi, qui ſiccitatem hîc neſcio quam in- cuſant, quoniam nulla ſe prorſus produnt indicia. quippe quæ tabidorum, atque acuto vel longo morbo extenuatorum vocem clangoſam efficere ſoleat, quod nemo neſcit. Sunt porrò aliqui de quodam hepatis incendio ex intemperie impensè calidâ admodum ſolliciti, ut ab ea tanquam à fonte manare omne hoc malum vereantur. Ego verò ut liberè more Philoſophico ſcribam quod ſentio; inſignem illam dyſcraſiam ſeu nativam ſeu adſcititiam, in hoc corpore non agnoſco. Galenus ſigna tradens hepatis calidioris hæc adfert: venarum latitudo, flava bilis multa, in tempore etiam vigoris nigra, calidior eſt illis ſanguis, & hujus cauſa eſt totum corpus niſi cor repugnat, hiſpiditas circa hypochondria & ventrem. at nihil horum ferme in Reverendo Patre deprehendere potui unquam, qui ipſum ab annis ferè triginta novi familiariter, nullo quod ſciam ex bile morbo, uti tertiana febre, vel ictero laboravit, urinas reddit vix ſatis coloratas, ad tactum non calet, non ſitit.

Vox clangoſa in tabidis unde?

Hepatis calidioris ſigna ſecundùm Galenum.

Obijcies, ipſùm à dextro latere vaporem ſurſum efferri ſubinde percipere. Reſpondeo, me inficias non ire, hepar ejus impuritatibus interdum in cava parte conſpurcari, à pituita (cujus ventriculus languidus ferax eſt) obſtrui, ut perſpiratione, ſeu eventilatione ſufficienti deſtitutum incaleſcat, vaporéſque in caput ſubmittat. unum verò ac præcipuum hoc loco ſcitu dignum eſt, Reverendum Patrem flatibus hypochondriacis jam indè ab adoleſcentia laborâſſe, eámque affectionem ipſi cum tota ferè nobili familia ſua communem, atque penè hæreditariam eſſe. Quis verò neſcit, quàm ſoleant infelices eſſe iſtorum coctiones? ſi porrò expendas ſtudia ejus aſſidua, curas, itinera, multa item incommoda, quæ qui ſuæ ſpontis eſt, evitare ſolus poteſt, non miraberis caput repletum quaſi imbrem ad ſubjectas partes demiſiſſe, atque inter alias arteriam aſperam, ejuſque caput, laryngem vocatum, humectâſſe, atque etiamnum humectum tenere, ut vocis illa depravatio tandem in aphoniam abire queat.

Coctiones in hypochondriacis infeliciter peraguntur.

Atque utinam pars aliqua ſeroſitatum, quas tantâ copiâ hypochondria colligunt, in pectoris ipſius cavitatem non penetraverit. quis enim Reverendo Patri tale quid non timeat in iſta reſpirandi difficultate, quam ambulans experitur? Pugnatum eſt contra raucedinem & deſtillationem ab Excellentiſſimis Medicis Conſtantienſibus multis remedijs purgantibus & topicis. Nos quoque noſtro functi ſumus officio, evacuatum corpus phlebotomiâ, ac remedijs alvum blandè ducentibus crebrò repetitis. Sudoriferis temperatioribus ſeroſi humores ad corporis ambitum impulſi, ac per

Hypochondriaci ſeroſitates colligunt.

ſudorem

ſudorem felici cum ſucceſſu aliqua ex parte vacuati, vertici impoſita veſicatoria, atque aliquoties repetita ad exhauriendum humorem deſtillantem. Ad eundem avertendum cauterium brachio impreſſum, cathartica oblata, primùm mitiora, deinde & validiùs detergentia, & proprietate ſua alios juvare ſolita. ſed inefficacia hactenus fuerunt omnia. poſteriora, ac quodammodo extrema, quæ porrò proponi poſſunt, ſunt ſtillicidia, ſeu embrochæ, duccias vulgò appellant, aqua Lucenſium, quibus Hieronymus Mercurialis conſummatiſſimus Medicus ſe vocem penè amiſſam recuperâſſe ſcriptum reliquit. verùm de hoc auxilio, déque recto ejus uſu, ac præmittenda corporis præparatione conſultum fuerit Italicos Medicos conſulere, quippe quibus uſitatius eſt hoc remedium, ac quaſi familiare. Subſequi ſtillicidia convenienter poteſt balneum aquæ dulcis tantopere à Galeno melancholicis commendatum, & ſui temporis - - - - - - vocis reparandæ conſervandæque ergò uſitatum. DEVS Optimus Maximus humanis hiſce conſilijs cælesti gratia ſua opéque divina benignè faveat. Anno 1605.

Veſicatoria vertici impoſita.

Embrochæ ad raucedinem & deſtillationem utiles.

CONSULTATIO VIII.

ASTHMA EX CATARRHO.

PRO

VIRO ILLUSTRI.

ILluſtris Dominus N N. in ætate conſiſtenti conſtitutus ac temperaturâ corporis totius à primo ortu calidâ, capitis verò valde moderatâ præditus, indè ab ipſa adoleſcentia graviſſimis occupationibus ac curis fatigatus ante ſequi annum capitis permoleſta deſtillatione partim ad ſcapulas, partim ad pulmones defluente, tuſsímque & reſpirationis difficultatem excitante laborare cœpit, ad eámque propulſandam, varijs auxilijs, atque imprimis Aquenſibus thermis & decocto Saſſafras nullo vel exiguo cum fructu (ut ſibi viſum fuit) adhibitis, tandem ſucceſſu temporis rectiùs quidem habuit, ita tamen, ut catarrhi & aſthmaticæ diſpoſitionis quaſdam adhuc quaſi reliquias experiatur, illíſque extirpandis, atque majoribus malis præcavendis idonea à me petat remedia, quæ ut morem ejus voluntati geram, lubens

Morbi ſtatus præcedens & præſens.

adhuc

adhuc adſcribam, ubi priùs de cauſis rheumatiſmum hunc foven- tibus, ob idque planè tollendis, ſententiam meam paucis explica- vero.

Itaque ad antecedentem cauſam quod attinet, arbitror ego; no- biliſſimo Viro à natura caput fuiſſe probè temperatum, ac firmum; ut ex ejus concinnitate, excrementorum moderata copia, ac per- fectiſſimis actionibus cognoſcere licuit. verùm progreſſu temporis ab immodicis & aſſiduis laboribus, exhauſtis magna ex parte ſpi- ritibus & calore, imbecillius ac ſibi diſſimile redditum eſſe, ut ali- mentum probè concoquere, atque excrementa, vaporéſque tam in cerebro congeſtos, quàm ex ſubjectis partibus eò ſublatos digerere & abſumere nequeat. Quantam autem vim habeant inferio- rum viſcerum, hepatis præſertim ac ventriculi intemperaturæ, pra- væ coctiones, impuritatéſque ad materiam defluxionum capiti ſup- peditandam, res ipſa loquitur, probaríque non auctoritate ſolùm veteris medicinæ, ſed & ſolidis rationibus contra Fernelium & alios aliter ſentientes facilè poſſet. Verùm cùm de hoc diſputare hujus loci non ſit, ceu indubitatum ac longè veriſſimum ſumatur.

Cauſæ catarrhi antecedentes.

Cùm igitur ampliſſimus Vir ventriculo ſit frigidiore, quod cibi copioſi appetentia arguit, hepate verò non tam fervido, quàm ob- ſtructionibus ſeu impuris humoribus ſcatente & infarcto, id quod ex faciei colore ſubpallido aliíſque indicijs colligitur, rationi con- ſentaneum eſt, vitiata, ſeu retardata non parùm utriuſque viſceris coctione, ingentem vaporum copiam in caput infirmius attolli; quos in cerebro ob frigiditatem concretos ad inferiores partes defluere ſit neceſſe. atque huic rei (ut ad externam cauſam accedamus) occa- ſionem quoque non minimam præbuerunt cùm alij in ratione vi- vendi commiſſi errores, tum verò cibus maximè ac potus largior, íſque inconveniens ſæpe, nec non intempeſtiva tam mentis quàm corporis exercitatio.

Appetentia cibi, ventriculi frigiditatem arguit.

Defluxionum cauſæ antecedentes.

De continentis cauſæ natura ac qualitate, hoc eſt, de pituita in cerebro cumulata ita ſtatuendum eſt: eam (procul dubio) ſub- frigidam, atque priuſquam defluxit tenuem eſſe, poſtquam verò intra pulmones recepta eſt, à partis calore incraſſari, lentoréque accepto rejectu difficilem reddi. Quæ cùm ita ſint, nemo non videt, omnem Medici induſtriam in eo verſari debere, ut primùm corpus univerſum, deinde & caput particulatim evacuetur, pectus repurgetur, capiti robur adijciatur.

Itaque omiſsa longa ac curioſa intentionum ſeu indicationum curativarum commemoratione, quæ ego præſidia Illuſtri Domino ex uſu, atque non parùm opportuna fore ſperaverim, breviſſimè ex- ponam.

Ante

Ante omnia perſuaſum planè habeat, cuncta artis Medicæ præſidia in hoc caſu ſupervacanea eſſe ſine exacta caſtigatáque ratione ac norma vivendi, in eáque propemodum ſola ſecundùm DEVM maximam ſalutis ſpem eſſe reponendam. Vitabit igitur diligenter aërem frigidiorem, qualis nocturnus eſt, & matutinus, ante ſolis exortum ac ſerotinus. flatum Aquilonium ut qui adſtrictione & expreſſione inſtar manûs ſpongiam aquâ plenam exprimentis deſtillationes concitat, è contra verò & Auſtrinum, qui capitis excrementa fundendo ac liquando movet, ac fluxibilia reddit. meridiani etiam ſolis æſtum atque hypocauſta præſertim plus ſatis calentia. nihil verò peſtilentius, quàm ex aëre calido prodeuntem magno ſe frigori exponere, atque poſt ingens frigus in loca admodum calentia recipere. Cibus ac potus frugalis valde eſto, cœnâque prandio adhuc frugalior. quanti verò alimentorum parcitas ad morbos complures perſanandos ſit momenti, ipſa docet experientia, teſtatúrque hiſtoria in mentem mihi hoc loco veniens de Veneto quodam ex Cornaria ſeu Cornelia familia, quã & Cardanus *in libro de tuenda valetudine* attingit, & ipſe in libello à Coronario illo, dum annum (nî fallor) octuageſimum ſextum cum proſperrima valetudine ageret, Italico ſcripto non ſine voluptate me legiſſe memini. Fuerat is valetudine intra annum trigeſimum & quadrageſimum ætatis ſuæ ſupra modum afflictâ ac prorſus deploratâ. nulla igitur ſpe ſalutis affulgente, poſt innumera ſine emolumento adhibita remedia Medici cujuſdam conſilio ad victûs rationem exquiſitam, planéque curioſam tanquam ad ſacram anchoram confugit, ſoláque cibi & potûs frugalitate integræ reſtitutus ſanitati ad duos ſupra nonaginta annos nulli obnoxius morbo vitam protraxit. Hinc apparet, quàm rectè dicatur tritum illud: Medicè vivere, eſt miſerè vivere, cùm potiùs feliciter vivere dicendus ſit, qui ſine morbo ac dolore vitam vivit quàm longiſſimam magno ſui ipſius, nec non amicorum atque Reipublicæ commodo. verum de hoc ſatis.

Vivendi norma admodum neceſſaria.

Mutationes frigoris, & æſtûs ſubitaneæ nocentiſſimæ.

Medicè vivere non eſt miſerè vivere, ſed feliciter.

In cibis deligat, qui boni ſucci cenſentur, coctúque faciles, cujuſmodi ſunt aviculæ nemorales, pulli columborum & gallinarum, perdices, capones, hœdi, verveces juniores, & vituli, ovorum quoque recentium vitelli. Ex adverſo cavebit ſibi à carnibus bovinis, porcinis, cervinis, leporinis, cæteriſque ſalitis ac fumo ſiccatis, ab anſerinis item & anatinis, ſicut & reliquarum avium, quæ in aquis degunt. aſſis crebriùs quàm elixis utetur. piſcibus non veſcetur, vel certè rariſſimè, iiſq; pelagijs ac ſaxatilibus. omittat gamaros, ova ad duritiem cocta, acetaria cruda, legumina, aromatum copioſiorem uſum, cæpas, allia, ſinapi, raphanos, lacti-

Victûs ratio.

 cinia,

cinia, paſtilia, caſeum, fructus fugaces, exceptis paucis ficubus, paucíſque uvis benè maturis in prima menſa ſuo tempore concedendis. Horum loco convenit, pruna Vngarica cum Saccharo in aqua cocta, nec non interdum pomum dulce coctum Aniſo conſperſum deguſtare, juſculorum & oleorum uſus parcior eſto; ſin alvus adſtricta ſit, Spinachia conducent, alijs temporibus Borago, Bugloſſa, ſummitates Fœniculi recentes teneræ, Petroſelini vulgaris folia cum radicibus, atque in primis Limones parvi muriâ conditi, quales ex Italia ad nos adferuntur, carnibus rectiſſimè inco-quentur. Cappares etiam & Olivæ pauculæ nonnunquam concedantur. Paſſulæ proderunt tam ſolæ crebrò ſumptæ, quàm ferculis incoctæ. Amygdalas & nucleos Pineos in hoc caſu non magnopere laudo, reliqua nucum genera planè improbo. non diſplicet hordeum ad putrilaginem, decem nimirum horis coctum cum pauco pipere craſſiùs confracto, & aceto modico. Vinum generoſum & meracum caput vaporibus implet, diluendum igitur aquâ cui vel panis ſit infuſus, vel momentum Maſtiches incoctum, muſtum quoque & dulce adverſiſſimum eſt, ſicut & primis epulis bibere, atque interdum pitiſſare vehementer incommodat. prandium & cœna claudantur dimidio cochleari ſeminis Fœniculi dulcis Saccharo non multo incruſtati, cui tertia pars ſeminis Coriandri præparati & Saccharo cooperti ſit admixta. Somnus meridianus, & qui à cœna ſtatim initur, caput gravat. poſt cœnam igitur in conclavi lento gradu inambulabit, duabus horis exactis quieti ſe tradet, & nequaquam ſupinus, ſed vel pronus, vel in latus dormire afueſcat. Alvus ut ſuo ritè fungatur officio ſedulò curandū. Corporis exercitatio moderata cibo in ventriculo jam concocto utilis, ſeu potiùs neceſſaria fuerit. lectioni, ſcriptioni, ac meditationi plurimùm vacare, & præſertim mox ab epulis, quemadmodum & Veneri liberiùs indulgere, credi facilè non poteſt, quantopere labefactare valetudinem queat. noxia quoque valde erit ſudatio in laconico, ſeu vaporario tam ſicco, quàm humido; pariter & ſolium ſeu lavatio ex aqua tepida intempeſtivè hoc eſt corpore impuro, & prima coctione nondum peracta inſtituta. Caput manè leviter pectere, atque bis in menſe lavare proderit lixivio ex Vitium ſarmentis parato incoctíſque Betonicâ, Roremarino, floribus Chamomillæ, Roſarum, aliíſque id genus roborantibus. capilli autem pannis lineis ex ſuffitu Maſtiches modicè calentibus, vitata curioſa ac nimia frictione, ſiccandi, eóque die ab aëre libero prorſus cavendum. Ira, omníſque vehemens animi contentio, ac perturbatio cerebrum mirè lædit, ac debilitat, deſtillationúmque occaſio-

Somnus meridianus & qui à cœna ſtatim initur, caput gravat.

Caput manè pectere ſalutare eſt catarrhoſis.

occaſionem præbet, ſicut ex adverſo mentis tranquillitas ac hilaritas conferre non parùm creduntur.

In chirurgicis auxilijs placet venæ ſectio modica verno tempore, ac cum præſentis Medici conſilio celebrata. nec non ad aſſiduam revulſionem cauterium aliud in dextro crure (modò id eryſipelate, vel alijs tumoribus tentari non ſoleat) impreſſum. Venæ ſectio & cauteria.

Ad medicamenta quod attinet, nulla ab Illuſtriſſimo Domino in uſum recipienda cenſeo, quæ validis prædita viribus, à remotisque partibus trahentia, viſcera primaria hebetare ullo modo poſſint. Conferet autem quotannis menſe Aprili, vel Majo, & Septembri corpus ab omni impuritate clementioribus remedijs (benedicta vocant claſſici Scriptores) cujusmodi ſunt, quæ nunc deſcribam, probè repurgare. Primum ad ventriculum totámque primam corporis regionem extergendam hoc, quod ſequitur, duabus ante prandium horis aſſumatur.

Bolus.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis Galeni ex Aloë Soccotrina optima parata* ℨiß.
Pulveris Senæ præparatæ Montagnanæ ℈iiß.
Miſce & cum momento vini albi fiat bolus, qui nebulis involutus porrigatur ex cochleari, affuſo *jure Zinziberis* conditi q. ſ.

In ſequens deinde triduum talis potiuncula decernatur.

Præparans ſyrupus.

R. *Oxymellis ſimplicis,*
Mellis Roſati colati,
Syrupi de Betonica ana ℥ß.
Diluantur in ℥iij. juſculi pulli, cui modicum *Cichorij* & *Betonicæ* ſit incoctum, bibatur ſummo manè, ut dormire rurſus Dominus poſſit, ac ſequenti die repetatur.

Indè apozema purgans hoc vel ſimili modo paratum offeratur.

Apozema purgans.

R. *Radicum Cichorij* ℨiij.
Liquiritiæ ℨiß.
Seminis Aniſi ℨij.
Foliorum Hyſſopi,
Capillorum Veneris ana Mß.
Florum Anthos,
Boraginis,
Bugloſſi,
Betonicæ,
Roſarum ana Pj.
Paſſularum ℥j.
Zinziberis ℨj.

Galangæ grana xv.
Foliorum Senæ Alexandrinæ mundatæ ℥j.
Epithymi ʒijß.
Agarici præparati ʒjß.

Coquantur omnia lege artis in *aquæ Boraginis* ℔iij. donec media pars ſit abſumpta, quieſcant in loco calido tota nocte. deinde ſine expreſſione colentur, in juris colati ℥xv. infunde

Rhabarbari in pulverem redacti, vino albo irrorati ʒiij.
Cinnamomi acuti pulveriſati ℈j.
Squinanthi grana ix.

Stent in loco tepido per noctem, manè expreſſo & abjecto *Rhabarbaro*, adde

Oxymellis ſimplicis,
Mellis Roſati colati,
Syrupi è ſucco Boraginis ana ℥vj.

Fiat apozema ad tres doſes, tribus alternis diebus (niſi dejectiones vel largiores, vel parciores aliud ſuadeant) offerendum ſummo manè, & ab aſſumpto potu, horulæ unius ſpatio, ſomno indulgeatur.

Capitis ipſius evacuationi ſatis fuerit hoc vel ſimile errhinum:

Errhinum. *Folia & radices Betæ cum tertia parte Majoranæ, affuſâ aquâ ſtillatitiâ Majoranæ* in mortario contundantur, ſuccus ex cochleari aut vola manûs intra nares attrahatur, manè bis, térve.

Evacuationibus hiſce cum fructu haud pœnitendo hæc ſuccedent roborantia.

Electuaria cor- roborantia.

R. *Conſervæ florum Roriſmarini*,
Betonicæ,
Roſarum,
Corticum Citri conditorũ & inciſorum ana ℥j.
ZinZiberis conditi & inciſi ʒiij.
Specierum aromaticarum Roſatarum,
Caryophyllatarum ana ʒß.

Miſce; fiat inſtar opiatæ. cujus ℥ß. matutino tempore, vel tribus ante prandium horis aſſumetur. item

R. *Conſervæ Roſarum veteris* ℥iij.
Florum Roriſmarini ℥iß.
Nucis moſchatæ raſæ ℈iiij.

Cum

Cum *Syrupi de Jujubis* ℥ij. fiat omnium mixtura. de qua duabus horis à cœna trium tertia doſis uſurpetur.

His præſidijs etſi non mediocriter adjutum iri Illuſtrem Dominum non dubito, verendum tamen eſt, ut queat in univerſum in tanta partium principalium imbecillitate humorum inutilium collectio prohiberi. quapropter in promptu habenda erunt omnino remedia aliqua familiaria ac benigna ex menſis unius intervallo ad congeſtam circa viſcera impuritatem ſubtrahendam aſſumenda. hujus generis duo hîc proponam alternatim uſurpanda, quæ corpori huic imprimis accommodata ac tuta fore confido: primum eſt.

Pilulæ uſuales.

R. *Rhabarbari electi pulveriſati* ℥ij.
Cinnamomi acuti,
Shœnanthi ana grana vij.
Miſce & affunde *vini albi* ℥ß. *aquæ Cichorij* ℥iß. quieſcant in loco calido, 12. horarum ſpatio, deinde percolentur expreſſo *Rhabarbaro*. juri colato adde *Specierum Hieræ ſimplicis Galeni* ℥vj. ſtent in loco tepido donec humor omnis exugatur, aſſervetur maſſa in pyxide, è cujus ℥j. vel ℥iß. formentur catapotia, quot Dominus volet, ante prandium duabus horis devoranda.

Alterum ſic paretur:

R. *Foliorum Senæ Alexandrinæ* ℥iij.
Seminis Aniſi ℥ij.
Zinziberis ℥iß.
Galangæ,
Macis,
Nucis moſchatæ ana ℈ß.
Florum Boraginis,
Bugloſſi,
Anthos,
Betonicæ,
Roſarum ana Pj.

Paſſulatum laxativum.

Coquantur omnia lege artis in *aquæ fontis* ℔iiß. ad dimidiæ partis conſumptionem, quieſcant in loco calido una nocte. manè ℞. colati & non expreſſi juris ℔j. huic infunde *Rhabarbari electi pulveriſati* ℥ß.
Cinnamomi acuti ℈j.

 Relin-

Relinquantur in loco tepido per noctem, manè colentur cum levi expreſſione. Colaturæ indantur *pulpæ Paſſularum cum vino albo per cribrum extractæ* ℥iij. deinde *Sacchari albiſſimi* q. ſ. rurſus coquantur lento igne ad formam electuarij ſeu opiatæ, quæ in fictili ad uſum aſſervetur.

Doſis eſt ab ℥iß. ad ℥ijß. horis duab⁹ ante prandium.

Quòd ſi verò his omnibus obſervatis nihilominus per errorem aliquem in victûs ratione commiſſum catarrho effatu digno infeſtetur generoſus Vir, ſupereſt, ut ad quæ tunc confugere debeat remedia, paucis ipſum edoceamus. Quamprimùm igitur delabi pituitam è capite ex faucium titillatione, alijsque ſignis cognoverit, parciùs edendum, bibendúmque ſtatuat, vinóque aquoſo, vel ſolitò largiùs diluto utatur: ventrem clyſtere mollienti ex jure carnium, Sacchato rubro, & oleo Amygdalarum dulcium recenti, vel Butyro leniat; ab aëre libero ſibi caveat; ſi perſeveret, moleſtiámque pariat deſtillatio, potione quæ ſequitur, corpus evacuet.

Potio purgans pectus.

R. *Foliorum Senæ Alexandrinæ* ℥iij.
Seminis Aniſi ℈ij.
Liquiritiæ raſæ ℈j.
Florum Boraginis,
Bugloſſi ana Pj.
Paſſularum ℥ß.
Jujubarum N°. iiij.
Sebeſten N°. iij.

Coquantur omnia in ſ. q. *aquæ ad* ℥iiij. poſt horas decem colentur. in juris colati ℥iiiß. dilue *Mannæ* ℥iiß. *Oxymellis ſimplicis* ℥ß. Miſce fiat potio, horâ matutinâ offerenda. & poſt horas duas plùs minùs aliquid juſculi piſorum vel pulli ſorbeatur. Veſperi ipsâ horâ decubitûs ſequenti remedio ad fluxionem ſiſtendam ac coquendam utatur.

Bolus ad fluxionem ſiſtendam.

R. *Thuris maſculi grana* xvi.
Nucis moſchatæ raſæ,
Boli Armeni præparati ana grana iiij.

Fiat bolus, qui porrigatur ex cochleari affusâ ℥ß. *Syrupi è Jujubis*. Sequenti die eâdem horâ media ejusdem pars offerri, eâque tertia quoque die, ſi neceſſitas poſtulet, repeti poterit.

Quid-

Quidquid verò pituitæ ad pulmones illapſum ſpiritum difficiliorem reddiderit, id remedijs ſubſcriptis extergatur & repurgetur.

R. *Aquæ Hyſſopi in duplici vaſe deſtillatæ* ℥iij. Aqua clareta.
Farfaræ,
Boraginis ana ℥iß.
Sacchari candi vocati ℥ß.

Ad ignem ebulliant, deinde colentur. fiat potus. quem calidum ſumat manè horis quatuor ante prandium, eundémque bis, térve repetat. item

R. *Syrupi de Liquiritia* ℥iß. Linctus pectoralis.
Oxymellis ſimplicis (vel ſi pituitam ob tenacitatem difficiliùs educi ſenſerit)
Scyllitici ℥j.
Sacchari candi pulveriſati ℈ij. Miſce.

Doſis ſit dimidium cochleare paulatim reſupinato capite deglutiendum ventre jejuno, prima ſaltem coctione peracta.

R. *Specierum Diaireos Salomonis* ʒiij. Rotulæ pectorales.
Sacchari albiſſimi in aqua Farfaræ diſſoluti ℥iij.

Fiant rotulæ pondere ʒij. in ore ſæpius, ſed longè à cibo tenendæ.

Hæc ſunt, quæ ad reparandam Illuſtris hujus & Ampliſſimi Viri valetudinem opportuna fore, & accommodata cenſeo & ſpero. ut verò ex eis fructum reportet quem deſiderat, & ego toto pectore exopto; faxit Deus Optimus Maximus. Auguſtæ Vindelicorum. 25. Auguſti 1592.

* * *

CON-

CONSVLTATIO IX.

DIFFICULTAS RESPIRANDI EX DESTILLATIONE ET HEPATIS OBSTRUCTIONE, CUM CRURUM ALIQUALI INTUMESCENTIA, ET TUSSI PERMOLESTA, QUA SPUTUM CRASSUM ET SUBFLAVUM REIJCITUR.

PRO

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO EPISCOPO.

Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Epiſcopus N. ætate circiter ſexaginta quatuor annorum, aliqua vertigine, eryſipelatibus in crure dextro ſæpius laborans per complures annos, quæ tandem dextrum hypochondrium relicto crure occuparunt, atque poſtremò ſponte ſua diſparuerunt, ſuccedente in eorum loco pruriginoſo cutis affectu, qui & ipſe ultrò receſſit, ante aliquot menſes in difficultatem reſpirandi incidit cum tuſſi permoleſta, quâ ſputum ſubſtantiâ craſſum & colore ſubflavum reijcitur. Huic annexæ ſunt vigiliæ nocturnæ, ſomno tam à tuſſi, quàm à difficili anhelitu valde præpedito; crura nonnihil inflata; urinæ colore rubicundo & hypoſtaſi craſsa; ad oblata ſe habet benè; non admodum ſitiens, aquam tamen petens. remedia ad iſthæc mala idonea petit.

Difficultas reſpirandi dupli-cem agnoſcit cauſam in hoc ſubjecto.

Difficultas reſpirandi quâ Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Antiſtes laborat, ad duas potiſſimùm cauſas referenda videtur, nimirum in pituitam è capite ad pectus delabentem, aſperæque arteriæ ramos per pulmonum corpus diſperſos obſtruentem, deinde in compreſſionem ſepti transverſi, quam ab hepate obſtructo, multáque impuritate referto effici dubium non eſt, eo præſertim tempore, cùm id vel motu vel calore per ſomnum concentrato nonnihil incaleſcens in tumorem flatulentum attollitur. Hæc ita ſe habere, & pituita craſſa validâ tuſſi exſpui ſolita declarat, & urinæ rubicunda ſubſtantia cum contentis craſſis, ſitis item & color faciei ulteriùs cum alijs indicijs malè affecti hepatis teſtantur.

Hepar impurũ à calore per ſomnum concẽtrato incaleſcẽs in tumorẽ flatulentum attollitur, difficultatémq; reſpirationis inducit.

Quid verò cauſæ ſit, cur tanta vitioſorũ humorum colluvies in corpore hoc progignatur, ita quidem ſentio: nempe id fieri vitio co-

ctionis

ctionis tam illius, quæ in hepate celebratur, quàm quæ in cerebro; hepar etenim quòd olim excrementitium ſanguinem per eryſipelata crebra, pruriginoſum illum cutis affectum depurare, onúſque omne à ſe ad corporis ambitum deponere cònſueverat, hoc tempore debilitas redditum hebetato nimirum calore nativo chylum quantumvis elaboratum in ventriculo, in ſanguinem alendo corpori idoneum convertere nequit; unde & crurum ille tumor ſeroſo ſcilicet & pituitoſo ſanguine turgentium, ſuperiorúmque partium alimento deſtitutarum extenuatio. Caput verò à multis jam annis vaporibus tentatum, quod antiqua arguit vertigo, laboribus item ac curis gravibus fatigatum, atque imbecillius factum, quid mirum, ſi & ipſum, dum alimentum ſubcrudum & pituitoſum à venoſo genere ſuppeditatum conficere non valet, impletur, jugéſque ad inferiora deſtillationes demittit? Augent autem hæc mala non mediocriter ferè aſſiduæ vigiliæ. etſi enim vigilare rhevmaticis ad exiccationem utile putatur, nemo tamen neſcit, non poſſe viſcera ſine ſufficienti ſomno probè concoquere, atque adeò robur ſuum ac corporis totius conſervare. Cæterùm quietem interrumpit nimia ſpirandi difficultas; per vigilias novus crudorum ſuccorum apparatus, qui poſtea ad pectus ruunt, colligitur; ita ut quendam quaſi circulum hìc videre liceat. Vereor autem & febriculâ lentâ non carere principem, licèt ea de re à doctiſſimo Medico qui arteriarum pulſum non exploravit, cèrti nihil intelligam, ídque ex urinæ rubedine, ſiti & ſputo ſubflavo putredinem aliquam referente, ſuſpicando colligere poſſumus.

Hepar debilitatum tumoris in crure cauſa.

Vigiliæ coctiones turbant.

Curatio, quæ difficultatis plena erit, potiſſimùm conſiſtet in totius corporis univerſali, deinde particulari capitis, pectoris & jecoris expurgatione & corroboratione. Inter inſtrumenta verò, quibus hæc opera aliqua ex parte præſtari poſſe ſperandum ſit, præter victûs rationem, quæ frugalis, planéque accurata ſervari debet, mihi probatur apozema aliquod ſine magno calore attenuans, abſtergens, & blandè evacuans ex pectoralibus, capitalibus, & hepaticis hunc ferè in modum paratum.

Apozema attenuans abſtergens & blandè evacuans pectorale cephalicum & hepaticum.

R. *Herbarum Betonicæ,*
Praſſij,
Scabioſæ,
Capillorum Veneris,
Endiviæ recentis ana Mj.
Radicum Cichorij ℥iß.
Bugloſſi ℥vj.
Liquiritiæ,
Fœniculi ana ℥iij.

Helenij ℥j.
Seminum *Aniſi*,
Fœniculi,
Scariolæ ana ℈ij.
Melonum ℥j.
Paſſularum majorum ſine arillis ℥iß.
Jujubarum,
Sebeſten ana N°. vij.
Agarici præparati ℥iij.
Foliorum Senæ electæ ℥vj.
Chinæ ℥iß.
Zinziberis ℥ß.
Florum Cordialium,
Anthos,
Salviæ ana Pj.

Coquantur in ſ. q. *aquæ Boraginis* ad ℔iß. ſtent per noctem in loco tepido, manè fiat colatura, in cujus ℔j. dilue
Syrupi de Cichoreo cum Rhabarbaro ℥iij.
Oxymellis ſimplicis ℥iß.
Syrupi de Praſſio ℥iij.

Miſce fiat potio in tres doſes partienda, cujus pars ſummo manè offeratur, eáque epotâ ſi fieri poteſt, per horulam dormiatur, & exactis tribus (plùs minùs) horis juſculum pulli ſorbeatur.

Si evacuatio indè ſecuta fuerit exigua, ſecundo & tertio die repetatur, ac deindè idem planè decoctum, ſine Agarico tamen & Senâ ſimiliter per duos, tres, pluréſque dies continuos vel interpolatos porrigatur. Hujus decocti uſum cum purgantibus quidem rariorem, ſine illis verò crebrum ex Clariſſimi Medici præſentis conſilio inſtitutum ad corpus univerſum per epicraſin evacuandum ſatis eſſe poſſe confido, atque à validioribus planè abſtinendum cenſeo. Quæ igitur ad reliquas explendas intentiones adhiberi queant, paucis ſubijciam.

Pulvis capiti inſpergendus. Capitis vertici inſpergi pulvis poterit ex Vernice, Caryophyllis, Roſis &c. Lotiones & maſticatoria hoc loco non improbo; errhinum verò ex clementioribus aliquod nunquam nocere poſſet, quale ſequitur:

Errhinum linimentum. ℞. *Hellebori albi*,
Elaterij ana ℥j.
Succi Betæ ℥ij.

Olei Cheirini,

Ceræ ana q. ſ.

Fiat linimentum, cujus particula naribus imponatur.

Ad pectoris expurgationem anhelitúsque facilitationem, in qua ſecundùm DEUM ſpes omnis recuperandæ valetudinis collocata eſt, quamvis plurimæ remediorum efficacium formulæ præſcribi poſſint, ego pauca duntaxat, quæ mihi è multis maximè arrident, aſſignabo. Linctus pectorales.

R. *Syrupi è Liquiritia* ℥ij.

Specierum Diaireos ℈ij. Miſce.

De hoc dimidium cochleare ſumatur, utque ad trachéam aliquid deerrare, expectorationémque juvare poſſit, reſupino capite paulatim deglutiatur. ad quem uſum hoc alterum erit efficacius:

R. *Syrupi de Praſſio*,

Hyſſopo ana ʒvj.

Violati,

Oxymellis ſcyllitici ana ʒiij.

Aquæ ad aſthma compoſitæ ℥ß. Miſce.

His alternatim Sua Celſitudo uti poterit, noctu præſertim, longéque à cibo, & manè jejuno ventre. Placent etiam interdum aquæ Hyſſopi Saccharo dulcoratæ ℥ij. vel ℥iij. calidæ poſt mediam noctem offerendæ. Aquæ item ad aſthma cochlear unum. his etiam urgente neceſſitate, viriúmque lapſu Elixir pretioſiſſimi à M. Duce Hetruriæ ad Ducem Bavariæ miſſi guttæ v. vel vj. ſolæ vel cum aqua Hyſſopi diſſolutæ. pariter & cochlear unum Syrupi è Praſſio cum ʒj. Oxymellis Scyllitici ex aqua Farfaræ & Scabioſæ. ita & duæ vel tres guttulæ olei Aniſi deſtillati ex cochleari juſculi pulli. Elixir magni Ducis.

Cæterùm ad catarrhum coquendum vel incraſſandum id quod cavendum ſummo ſtudio eſt, ne ſubitò ad pulmones præcipitetur, tria præcipuè auxilia alternatim uſurpanda. primum eſt.

R. *Olibani pulveriſati* ℈ß. Catarrhum incraſſantia ſitentia.

Fiat cum modico *Syrupo è Jujubis* bolus, in ingreſſu lecti deglutiendus.

Secundum eſt: *Olei Nucis moſchatæ expreſſæ grana* vj. vel vij. cubitũ iturus aſſumat, in oréq; ſenſim liquari ſinat, poſtque deglutiat, quod & temporibus ad conciliandum ſomnum inungi poterit. Tertium *Conſervæ Roſarum rubrarum veteris* ʒij. vel paulò plùs cum ℈ß. *Theriacæ* mediæ ætatis longè à cœna exhibitæ. Poſtremò

non incommodabunt interdum & pedum lotiones, ex aqua cui *Sal & Betonica* ſint incocta.

De Chirurgia non eſt, quod ſcribam, cùm & phlebotomia hîc locum non habeat, & cauteria lentùm nimis auxilium præſtent, ſcarificationes tamen per cucurbitulas dorſo affixas nequaquam omittendo.

Cucurbitæ ſcarificatæ.

Inter cibos qui convenientiſſimè hoc tempore ſumentur, laudo hordeum ſex vel octo horas, hoc eſt ad putrilaginem cum jure caponis coctum. Omittantur piſces, lacticinia, paſtilia. Vinum aquâ diluatur cui Liquiritia & Saccharum ſint incocta, vel ſi febre caret, Neccaricum oligophorum bibatur, cum Syrupo è Liquiritia ac Violato dulcoratum, donec faciliùs cœperit ſpirare. Omnis vitetur ſatietas, hoc niſi fiat, omnis ſupervacanea erit medicatio. Hæc ſunt, quæ ad recuperandam aliqua ex parte Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Præſulis valetudinem idonea exiſtimo. DEUM orans Optimum Maximum, ut ea ſalutaria Celſitudini Suæ eſſe velit. Monachij 1590.

Vinum ſyrupo è Liquiritia dulcoratum pro potu.

CONSULTATIO X.

ANHELATIO DIFFICILIS OB FLATUUM IN HYPOCHONDRIJS COPIAM.

PRO

VIRO ILLUSTRI & REVERENDISSIMO.

Admodum Illuſtris & Reverendiſſime Domine, Domine colendiſſime, ego verò à ſententia mea de ſuſpirioſo iſto affectu, quem perilluſtri Dominationi Veſtræ aſthma vocare placet, non recedo, eum nempe à craſſo ſpiritu ſeu flatu, diaphragma comprimente, progigni, à pituita verò, pulmones infarciente nequaquam. Flatuum materia pituita eſt, ſuccúſque melancholicus: effectrix cauſa calor præter naturam, qui materiam rarefacere, & extenuare poteſt, evincere & abſumere minimè. Ventriculus Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ, quòd frigidior ſit, pituitam facilè coacervat; meſenterij venæ plus juſtò calentis jecoris temperaturam ſecutæ, chylum

Diaphragma à ſolo flatulento & craſſo ſpiritu compreſſum anhelationem facit.

Flatuum cauſa.

chylum adurentes magnam ejus partem in melancholicum humorem convertunt. Dum itaque flatuum cauſæ concurrunt, mirum non eſt, illos in corpore copiosè ſuſcitari, variáſque indè moleſtias diverſis in locis oboriri, in quibus præcipua hoc tempore anhelatio eſt, quam in graduum aſcenſu, aliíſque exercitijs, unde corpus incaleſcat, cordíſque eventandi neceſſitas augeatur, potiſſimùm experitur.

De remedijs ab alijs ſibi propoſitis hæc meâ eſt cenſura, purgato corpore cataplaſma illud diſcuſſoria facultate præditum geſtâſſe non oberit, nonnihil etiam mitigando ſymptomati commodabit. Idem de ſacculo è Sale & Cumino ſentiendum. Guajaci decoctum non admodum placet, ſine ſudore planè diſplicet, quòd ſciam, id genus remedij cum victu paulò pleniore, periculo & noxâ non carere, atque aliquibus omnino malè ceſſiſſe: febre & ventris inflatione, aliíſque incommodis ſupervenientibus, quæ decocti iſtius facultati non tam calefaciendi, quàm attenuandi, aperiendíque, unde cruditates ad meſenterij venas, & viſcerum cavitates diſtributæ putredinem induerunt, adſcribenda exiſtimo. Hac igitur omiſſa medicandi ratione in tres potiſſimùm curas Generoſæ Domi-nationi Veſtræ incumbendum. Primò ne vitioſi ac crudiores ſucci ſuccreſcentes flatibus materiam præbeant. id accuratâ vivendi ratione, atque imprimis alimentorum delectu Generoſæ Dominationi Veſtræ non ignoto obtinebitur. Altera, ut clementioribus auxilijs, excrementitij ſucci crebrò, ac per intervalla non ita longa, repurgentur, quem uſum præſtabit inter innumera alia è divite artis penu deprompta vinum medicatum inferiùs deſcribendum. Tertia, ut ventriculo paulò frigidiori nativum calorem nonnihil augendo robur adijciatur; cui rei inſervient præter alimenta idonea, & moderata corporis exercitia, ventriculi regionem oleis Menthæ, Abſinthij & Maſtichino, additâ aquâ Maſtichinâ Joannis Manardi inungere, manè & veſperi ante cibum; Zinziber vel Calamum aromaticum, aut Helenij radicem conditam, confectionem Imperatoris vocatam, & ſpecies inciſas, quas tragéam groſſam nuncupant, vel tabellas ex aromatico Roſato, conſervam Menthæ, grana tria vel quatuor Maſtiches, aliáve conſimilia palato non ingrata, jejuno ventre aſſumere. Tempore Verno menſe nimirum Aprili, vel Majo, placeret poſt corporis evacuationem aquæ Tetuccianæ potatio, modo, qui tunc præſcribetur, inſtituenda; cujus calefaciendi ſiccandíque vim, cùm per alvum promptè eluatur, non eſt, cur ſummopere pertimeſcamus; eâ verò abſolutâ juſcula pulli, quibus aliquid ligni Saſſafras, ſimúlque radices Cichorij, Bugloſſi incoctæ eſſent, laudarem. Quod reliquum eſt,

Guajaci decoctũ cum victu paulò pleniore periculo & noxâ non caret & cur?

Stomachũ frigidum calefacientia auxilia.

AquæTettucanæ potatio.

Juſcula alterata.

Q 3 prius-

priuſquam vini medicati, cujus paulò antè memini, parandi mo-dum tradam, juvat paucis verbis referre hiſtoriam, quæ in duobus huic epiſtolæ adjunctis conſilijs diffusè recenſentur, morbi cujuſ-dam viri docti de Societate JESU, qui paucis remedijs, in quibus vi-num iſtud medicatum potiſſimum fuit, integræ valetudini à me (DEO auxiliante) nuper eſt reſtitutus. Venit is huc graviſ-ſima illa ſymptomata ab alijs medicis commemorata perpeſſus, anhelitûs difficultate laborans, & ſpiritum ducens, ad quemvis etiam leviſſimum corporis motum, atque adeò veſtes exuendo, vel induendo tam altum, ac denſum, ac ſi curſu admodum concitato ſe exercuiſſet; ſuſpicio erat vitij alicujus intra thoracem abditi, ac clandeſtini, quod artis conjecturam effugeret. tuſſi carebat, ſonus, qui à pituita in pulmonum bronchijs incluſa obaudiri ſolet, planè nullus. pectus gravabatur, compreſſione quadam moleſta, ac continua, tumor in genas ad naſum uſque conſpiciebatur poſt ca-tarrhum permanens, quo aliàs cum deſtillatione ſæpius ſe laborâſſe æger referebat. pulſus frequens, creber ſatiſque parvus, calor præter naturam nec ægri ſenſu, nec meo deprehendebatur. urinæ (nî fallor) ſpumoſæ, nidoroſum quid, & quaſi uſtilaginem, inſtar panis toſti ſpirabant. ſubtriſtis, taciturnus, amans ſolitudinis.

Anhelitûs graviſſimi curandi ratio, & curati per vinum medicatum hiſtoria,

Remedia hæc pauca &- levia fuerunt. alimenta ſimpli-ciſſima ex volucrium aliiſque carnibus laudatis, hordei diutiſſimè cremor cum jure carnium quotidie offerebatur: tragéam groſſam vocatam in frequenti uſu habebat. potus vinum Neccaricum, benè maturum, ac minimè potens; pectus pinguedine anſerina recenti, & Amygdalino oleo ſimul liquatis inungebatur; manè horis ante prandium tribus, vel quatuor aliquid juris carnium ſor-bebat ſuperbibens vini medicati primi hauſtulum, alternis diebus, atque interdum aliquot continuis; indè alvus & ſine moleſtia cie-batur, ſpirandíque difficultas miteſcebat, quæ tandem paucarum hebdomadum ſpatio cum reliquis ſymptomatis diſparuit. Vinum primum medicatum iſtud fuit

Vinum medicatum.

℞. *Herbarum Scabioſæ,*
Boraginis ana Mß.
Cardui benedicti,
Comæ Abſinthij ana Pj.
Radicis Cichorij,
Florum Betonicæ,
Anthos,
Salviæ ana Pj.
Foliorum Senæ Alexandrinæ ℥vj.
Zinziberis inciſi ℥ß.

Corticum

Corticum Citri ſiccorum inciſorum ʒiß.

Omnia ligentur in linteolo & fiat puppa ſeu ſacculus *vini albi Neccarici* ℔iij. infundendus.

Quo epoto aliud eidem ſacculo ſuperinfundatur. ſacculus poſtea de novo paratus fuit, ac deinde hunc in modum mutatus.

R. *Agarici præparati conquaſſati* ʒij. Vinum medicatum aliud.
Rhabarbari electi craſſè contuſi ʒj.
Foliorum Senæ electæ ʒv.
Comæ Abſinthij vulgaris,
Herbarum Scabioſæ,
Ceterach ana Mß.
Florum Chamomillæ Pj.
Radicum Cichorij inciſi ℥ß.
Elenij inciſi ℈ij.

Infundantur ut ſuprà dictum eſt.

Nec fuit ſacculus iſte renovatus, ſed eo ſemel duntaxat uſurpato omiſſis purgantibus ſequentes herbæ vino imponebantur: de quo æger hauſtum manè cum juſculo per dies non multos bibebat.

R. *Herbarum Meliſſæ*, Vinum medicatum aliud,
Abſinthij,
Cardui benedicti,
Florum Chamomillæ ana Mj.

Miſce ad ſacculum linteum.

Hæc ſcribere hoc loco placuit, ut Reverendiſſima Dominatio intelligeret, quam paucis, ac facilibus remedijs nonnunquam morbi difficiles profligentur, quod ut ipſi quoque eveniat, unicè opto, & DEUM precor. Monachij 1600.

* * *

CON-

CONSULTATIO XI.

ANGINA PERICULOSA.

PRO

VIRO RELIGIOSO.

*

REverendiſſime Abbas &c. Ad affectum Domini Conradi ſuadeo, ut quamprimùm domum delatus fuerit, & in lectum repoſitus, vena aperiatur epatica vel mediana brachij dextri, ſanguine effuſo ſat copioſè. Facta venæ ſectione, eâdem adhuc horâ, niſi alvus per ſe laxa & diarrhœa adſit, ſequens porrigatur potio purgans leniens, quandoquidem clyſma non admittit.

Venæ ſectio.

Potiuncula purgans.

R. *Electuarij lenitivi Florenzolæ* ℥vij.
Aquæ Boraginis ℥iij.
Miſce fiat potio leniens, calidè aſſumenda.

Interim Gargariſmate præſcripto tam de die quàm de nocte ſæpius tepido utatur, quale eſt

Gargariſma.

R. *Diamoron* ℥ij.
Aquæ Plantaginis ℥x.
Miſce pro gargariſmate.

Oleo, quod ſequitur, non utatur, niſi prægreſſa purgatione, illo, inquam, calidiuſculo humeri, pectus, ſcapulæ, evitato collo, inungantur.

R. *Olei Chamomillæ,*
Violati,
Amygdalarum dulcium ana ℥j.
Miſce.

Cibi ſint euchymi, juſculum gallinæ, hordeum coctum & in ptiſanam redactum cum juſculo prædicto diſſolutum; vino ex toto abſtineat, ejus loco aquâ utatur coctâ tali.

Aquā cocta pro potu ordinario.

R. *Hordei mundi & excorticati cochlearia duo.*
Paſſularum minorum,
Sacchari ana cochleare j.

Coquantur

Coquantur in menſura una & ſemis aquæ ad remanentiam unius menſuræ, pro potu ordinario, quo utetur, quamdiu dolor & affectus duraverit.

Cæterùm, ſuadeo, ut quamprimùm facta fuerit ſanguinis miſſio in brachio, & altera quoque (antequam leniens illa potio porrigatur) ſanguinis particularis evacuatio, ſub lingua ſcilicet celebretur: affectus enim iſte moras non patitur; qua de cauſa porrò, niſi prædicta remedia affectum ſaltem magna ex parte mox tollant, informari cupio, ut ulteriori conſilio Domino patienti adſiſtere poſſim. Monachij 14. Novembris 1600.

CONSULTATIO XII.

ULCUS CIRCA LARYNGEM ET PRIMAS COSTAS THORACIS, AB EROSIONE ENATUM, CUM TABESCENTIA CORPORIS, ET CRURIS LATERISq; UNIUS CONVULSIONE.

PRO

VIRO ILLUSTRI.

Ad Medicum Cæſareum Anſelmum Boëtium.

VIx perlegi Excellentiæ tuæ ſcriptum longè doctiſſimum, cùm reſponſum tabellarius properans flagitat. paucis igitur ac feſtinanter reſpondeo: me nimirum de morbo Gregorij N. tecum ſentire ad unguem: ſentis enim de eo rectiſſimè, dum ulcere ipſum laborare ſcribis circa fauces & primas coſtas thoracis ab eroſione enato. terret me quòd corpus tabeſcere cœperit, ac cibum æger non appetat; nemo verò neſcit, iſtud vitij genus ab exeſione factum, alijs eſſe longè deterius ac fermè deſperatum: periculum quoque ingens ac ſummam curandi difficultatem declarat, quòd æger remedijs tam multis ex arte inſtitutis nihil fuerit adjutus. proinde ſuadeo ipſi, ut medicamentis impoſterum paucis utatur; ea verò talia ſint, quæ partim ulceri detergendo ſiccandoque, partim corpori reficiendo, atque à maraſmo præſervando inſervire queant. quæ ſic-

Ulcera ab exeſione facta alijs longè deteriora ſunt.

Ulcus cacoëthes ſiccantia adſtringentia non admittit.

cando adſtringunt ſuſpecta habeo, quòd ulcus cacoëthes ab acribus ſuccis factum ſubeſſe non dubitem. cui latiùs erodendo materia retenta & parti tenaciùs affixa magis idonea adſtrigentium uſu reddi poſſe videretur. Emplaſtica igitur magis probo detergentibus juncta.

Rhabarbarum conſervæ Roſarum mixtum in defluxionibus probatur.

Opiata pectoralis ſiccans catarrhos ſiſtens.

Placet igitur, ſi qua cacochymia ſubſit, novæ deſtillationi atque affluxui occaſionem præbitura, Rhabarbarum Conſervæ Roſarum permixtum ſubinde offeratur. Veſperi horâ decubitûs opiatæ hujus, inſtar caſtaneæ, porrigatur.

R. *Conſervæ Roſarum unius anni* ℔ß.
Herbæ Botryos,
Radicum Conſolidæ majoris Saccharo conditarum & contuſarum ana ℥iij.
Boli Armeni præparati ℥iij.
Syrupi Myrtini,
De Hyſſopo ana ℥vj.
Miſce.

Lac aſininum & ejus uſus.

Cremor hordei cum lacte Amygdalino.

Manè hauſtum lactis aſinini jamjam emulcti cum modico Salis & Saccharo ſuadeo, continuandum menſe integro, niſi febris aut hypochondriorum labes id vetet. Veſperi cœnæ ipſius initio vel paulò ante cœnam, cremor hordei ex jure caponis vel amygdalino lacte ſorbeatur.

Cibus talis inſtituatur qui cum prædictis auxilijs conſpiret; analepticus nempe, ac modica abſtergendi facultate præditus. Potus ſit vinum album minimè fumoſum, tenuiter adſtringens, dilutum decocto Liquiritiæ. Aliàs plura, dictavi hæc celeriter, ne Excellentia tua fruſtra laborem ſcriptionis tam luculentæ ſuſcepiſſe videretur, neque ipſe occaſionem Viro doctiſſimo innoteſcendi parùm avidè complecterer. Excellentia tua me ſui obſervantiſſimum amare dignetur, ac feliciter valeat. Monachij 5. April. 1605.

P. S. De cruris ac totius lateris ſiniſtri convulſione ſcribere non vacat, capitis deſtillationi eam adſcribo. præter purgationem ex Rhabarbaro, atque etiam pauló fortiorem ex Agarico ſcilicet & Melle Roſato laxativo ex uſu eſſe poterunt clyſteres moderatè emollientes, inunctio item oleorum amygdalini amari, vulpini, ac tandem unguenti de Bdellio Meſuæ.

CON-

CONSULTATIO XIII.

SANGUINIS PER SCREATUM REJECTIO EX CAPITE IN OS ET GUTTUR DELABENTIS.

PRO

VIRO REVERENDISSIMO, & ILLUSTRISSIMO.

SI Medicis tam antiquis, quàm recentioribus, qui de morbis dignoſcendis, ac curandis rectè ſcripſerunt, fides adhibenda eſt, aſſeveranter pronuntiare debemus, ſanguinis ſputum, quo Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus jam aliquot hebdomades laborat, neque ex pulmonibus, neque ex thorace educi, ſed cruorem ex capite per venas nunc in os delabi, atque ſimplici ſcreatu exſpui, nunc in guttur irruere, tuſsímque licèt non adeo magnam inferre. Non vacat per veredarij feſtinationem pluribus ea de re diſputare, quæ Galenus noſter 4. *De locis affectis Cap.5.* quæ & Aretæus *Lib.2. Cap.2.* & *Lib.6. Cap.2.* Fernelius *Lib.5. ſuæ Pathologiæ Cap.11.* in fine de affectu hoc ſcribunt, ea clarè demonſtrant, ſanguinem ex pulmone & thorace ſine valida ac permoleſta tuſſi efferri non poſſe.

Sanguis etiam per ſcreatum ejectus à capite ſubinde defluit.

Sanguis ex pulmone & thorace ſine valida & moleſta tuſſi efferri non poteſt.

Dum memoriâ repeto longas ac graves vigilias, quæ Illuſtriſſimum Præſulem antehac infeſtârunt; dum & remedia admodum refrigerantia, & humectantia ad ſomnum conciliandum adhibita animo expendo, taceo immenſos labores ab ipſo in arduis negotijs tractandis exantlatos; protinus nullo negotio intelligo, caput haud parùm debilitatum, ac defluxionibus opportunum eſſe factum, eóque nomine minimè miror, ſanguinem ſeroſum ac ſubcrudum, quo cerebri vaſa ſcatent, ſi caput incaleſcat pluſculùm, ut in lecto ac per ſomnum fit, attenuari magis, & dum per narium obſtructas venas exitum non habet, ad palatum converti, indéque in os, & ſubinde in guttur delabi, móxque nunc levi cum tuſſi, nunc ſine ea ſputari. Atteſtatur ſententiæ huic, cùm titillatio illa nocturna gutturis non magis à pituita, quàm ſanguine excitata, tum verò quòd interdiu nulla tuſſis, ſcreatus nullus, imò nulla ferè adſit exſpuitio. Sed (obijciet quis) Illuſtriſſimus difficultatem reſpi-

randi cùm ſcalas aſcendit, ac diutiùs inambulat, inſignem experitur? Reſpondeo, neque dubito, eam ab hypochondriorum diſtentione, à flatibus, à cacochymia, & viſcerum impuritate obſtructionéque nonnulla progigni; quæ vitia floridus ille faciei Illuſtriſſimo Domino aſſuetus color in ſubpallidum mutatus, corporis extenuatiò, laſſitudo ſpontanea, urinæ tenues ac lucidæ ſatis ſupérque detegunt. Vrinæ hoc tempore rectè coloratæ, ſubſtantiâ item & contentis ferè laudabiles conſpiciuntur.

Reſpiratio difficilis ab hypochondriorũ impuritatibus, flatibus.

De remedijs, ut ad ea properemus, ita equidem ſentio. primùm, lenito ventre ſanguinem è vena ad pollicem ſita mittendum, deinde corpus Mannâ & Rhabarbaro in pulverem redacto vacuandum aliquoties, ſi res poſtulet non neglectis præparantibus: ſcapulis cucurbitulas cum ſcarificatione affigendas: ſanguinem deinde fluentem compeſcendum tum remedijs, quæ ſecum hinc contulit, tum verò etiam ſi neceſſe ſit potentioribus; cujuſmodi ſunt Theriaca recens, Conſervæ Roſarum commixta, Diacodium Galeni, ac tandem, ſi majori copia funderetur, & comprimi alia ratione non poſſet, narcoticum Helidæi, quod hunc in modum ſe habet.

Cura.

Narcoticum Helidæi ſanguinem ſiſtens,

R. *Seminis Hyoſcyami albi* ʒij.
Boli Armeni præparati ʒj.
Syrupi Violarum,
Conſervæ Roſarum rubearum veteris ana ℥ij.
Miſce. doſis ʒj.

Repetenda quoties prudenti Medico videbitur. DEVS Optimus Maximus ut ſalutaria hæc experiatur Illuſtriſſimus Dominus, benignè faxit. Monachij 16. Decembris. 1603.

NB. *Epiſcopus hic mortuus anno ſubſequenti ex pulmonum hydrope.*

CON-

CONSULTATIO XIV.

SANGUINIS SPUTUM, SEU POTIUS ULCUS CIRCA FAUCES ET PRIMAS COSTAS THORACIS.

PRO VIRO LITTERATO.

DE ſputo ſanguinis, tuſſi, caruncularum rejectione, ac pectoris, gulæque dolore, dominum patientem menſium aliquot ſpatio affligentibus, quæ mea ſit ſententia, cùm per temporis anguſtiam fuſiùs non liceat, paucis hîc ſubijciam. Sanguinem quem hactenus tuſſi æger rejecit, atque etiamnum exſpuit, non à pulmone, ſed partim à thoracis partim è gulæ venis educi, dolentes loci teſtatum abundè faciunt. Præceſſit dolor pectoris nulli aſſociatus tuſſi ſex circiter dies moleſtus, à ſanguine acri (uti temperaturâ eſt impensè calidâ, ſi rectè memini) pleuram mordente obortus, ſuperveniens tuſſis ſicca, hoc eſt ſine ſputo menſis integri ſpatio ægrum divexavit; donec tandem viâ ad pulmonis vaſa naturæ paratâ ſanguis rejectari cœpit. Carunculas tuſſi admodum levi excretas glandularum oris particulas eſſe ratio ſuadet, non muſculorum laryngis, cùm de voce incommodata vel depravata querela non ſit, multò minùs parenchymatis, ſeu ſubſtantiæ pulmonum. Rheumatiſmi ſeu antecedentis, vel etiamnum præſentis, quòd mentio nulla facta ſit, ſubit mirari; nonnullum tamen adeſſe colligo, quòd cauterium doctiſſimus Medicus imprimendum ſuaſerit.

In remedijs audio Viros doctiſſimos Guajaci decoctum at ſine ſudatione ulceri deſiccando proponere: alios adſtringentia magis commendare, adhiberéque hoc tempore. Ego quòd thoracis ac gulæ ulcera ſordida non eſſe, ſanguinis verò, licèt pauci, exſpuitionem perſiſtere intelligam, mediâ quadam viâ eundum, atque illi præcipuè ſymptomati inſiſtendum, opemque ferendam cenſeo, quod quàm maximè urgeat. Placet ad prophylaxin majoris mali cauterium, placet à vino abſtinentia, ejuſque loco aqua hordei decorticati, cui Jujubæ vocatæ, Paſſulæ minores, ac ſemen Coriandri ſint incocta. Venter pulvere Rhabarbari

Guajaci decoctum ſuſpectū.

Conſervæ Roſarum admixto ſubinde repurgetur. Ad ſanguinis acredinem obtundendam cremor hordei cum jure gallinæ convenientiſſimè veſperi & manè quotidie porrigetur; ac tandem, quia contemperantia malo huic imprimis ex uſu fore confido, ad lac caprinum, vel (ſi major abſterſio requiri videatur) ad aſininum confugiendum eſſe exiſtimo. Porrò duplicem uſum præſtabit, Conſolidæ majoris radix cocta contuſa, & Saccharo condita, ulcera glutinabit, ac materiam in thorace relictam expectorabit, manè ac veſperi ſumpta. Si largior ſanguis exſpuatur, remedium iſtud Elidæo adſcriptum locum interdum habebit.

Conſolidæ radix cocta, contuſa, & Saccharo condita, ulcera glutinat ac expectorationem juvat.

Elidæi electuarium ſanguinē ſiſtens.

℞. *Seminis Hyoſcyami albi* ʒij.
Boli Armeni præparati ʒj.
Syrupi Violarum,
Conſervæ Roſarum veteris ana ℥ij.

Doſis ſit ʒj. bis in die, quamdiu neceſſitas poſtulare, ac prudentiſſimo Medico expedire videbitur.

Quod reliquum eſt, improbare non poſſum, quod Trallianus *Cap.* 1. *Lib.* 7. de lapide Hæmatite ſcriptum reliquit, ſicut etiam de lacte. Æger quieti ſtudeat tam animi quàm corporis, neque ita ſit de recuperanda valetudine ſollicitus, ut remedijs ſe nimis onerari, ac penè obrui velit. Monachij 15. Martij 1605.

Lapis Hæmatites.

Ægrot⁹ de ſua valetudine malè ſollicitus eſt, ſi remedijs nimis onerari ac penè obrui velit.

CONSULTATIO XV.

PHTHISEOS PERICULUM.

IN MATRONA NOBILI.

*

Xoris tuæ affectum dolenter intellexi, ſanè à ſuſpicione Phthiſeos tabiſque immunis non eſt, ut rectè Medicus veſter timet. Urinæ, quas miſiſti, ſufficiens indicium, ſicut & aliorum pectoris affectuum non præbent. Interim remedia, quæ patienti pro pectoris emundatione & ulterioris mali præcautione utilia cenſeo, paucis enarro.

Urinæ pectoris affectuum ſufficiens indiciū non præbent.

Primò

Primò à cibis ſalſis acidis, aromate multo conditis, durioris & difficilioris concoctionis abſtineat, pullos, carnem vitulinam, hœdinam, & ſimilia ſubſtituat. potus ſit vinum Neccaricum aquâ, in qua Liquiritia & Saccharum candi ſit incoctum, parte tertia per-mixtum: quòd ſi verò præſens Medicus febriculam adeſſe animad-vertat, loco vini ſubſtituatur aqua ex decoctione Hordei crudi, Li-quiritiæ, pauci Aniſi, & Cinnamomi parata.

Secundò, ſi diarrhœa vel alvi fluxus nullus adſit, viréſque ſufficienter conſtent, ſuadeo: ut lenem hanc & laxantem potiun-culam ſumat.

Potio purgans pectoralis.

℞. *Foliorum Senæ ſelectæ* ʒij.
Agarici trochiſcati ʒiß.
Seminis Aniſi,
Zinziberis ana ℈j.
Radicis Liquiritiæ ʒiß.
Paſſularum ℥ß.
Decoquantur in *ſ. q. aquæ* ad ℥iijß. ſtent per noctem. manè fiat colatura, in qua diſſolve
Mannæ Calabrinæ ℥.ß.
Oxymellis ſimplicis ℥j.
Miſce fiat potio.

Quæ potiuncula purgans, ſi parùm aut nihil operetur, poſt tres aut quatuor dies repeti conſultò poterit. Purgatione ſic per-acta juſculum alterans porrigatur ſequens per 15. vel 16. dies con-tinuatum.

Hydromel Vi-noſum alterans pectorale.

℞. *Veronicæ*,
Hederæ terreſtris ana Mj.
Scabioſæ,
Farfaræ ana Mß.
Coque in ℔iß. *aquæ* (addendo
Mellis ℥jß. donec quarta pars fuerit ab-ſumpta. in fine adde *Vini albi* ℥v. circiter, ſténtque ita per quatuor horas. tandem cola per pannum. de colatura dentur pro vice ℥vj. calidæ.

Porrò pulverem ſequentem à me conſcriptum ita accipiat. ſumatur ovum recens coctum, lac ab illo & albumen ſeparetur, effundatur, de pulvere ℈j. inijciatur, & cum vitello benè mix-tum ægra totum aſſumat, manè horâ unâ vel alterâ poſt ebibitum brodium alteratum; ſed advertendum eſt, ſi pulvis iſte diarrhœam induxerit, ab illo abſtinendum erit: quòd ſi verò unam aut al-

teram

teram tantummodo ſedem effecerit, alternis diebus tantùm potri- gatur. pulvis ſic ſe habet.

Agaricus cum ovo forbili acceptus per dies multos pectus expurgat.

R. *Agarici albiſſimi crudi* ʒß.
Fiat pulvis.

Hoc pulvere decem aut duodecim vicibus ita ut dictum exhibito, juſculóque alterato ebibito, alius pulvis utilis erit.

Pulvis pectoralis ſiccans.

R. *Florum Sulphuris* ʒiß.
Diaireos tabulatæ ʒß.
Miſce fiat pulvis.
Doſis ʒj. in ovo cocto recenti & tremulo, ſingulis diebus manè horâ ſextâ exhibendus.

Cremor hordei in phthiſi cibus accommodus.

Electuarium catarrhos ſiſtens.

Denique electuarium annotatum à me eſt, de quo ægra horâ decubitûs ad noctem ʒß. alternis diebus devorabit, cœna priùs frugali exiſtente. Nec obliviſcetur, ut ſingulis diebus cremore hordei utatur tanquam cibo ad hunc affectum appropriatiſſimo. electuarium hoc eſt.

R. *Conſervæ Roſarum Damaſcenarum veteris* ℥iij.
Olibani pulveriſati ʒß.
Nucis moſchatæ raſæ,
Boli Armeni præparati ana grana xv.
Syrupi è Jujubis q. ſ.
Miſce fiat Electuarium.

Monachij 30. Maij. 1609.

CONSULTATIO XVI.

PHTHISIS ET VLCVS PULMONUM SORDIDUM.

IN QUODAM VIRO NOBILI.

Ulcera pulmonum præcipuè cava ſordida ac antiqua incurabilia ſunt.

Cùm ulcera pulmonum ferè omnia, præcipuè cava, ſordida, quæque in vetuſtatem inciderunt, cujuſmodi eſt, quod Nobilis Dominus patitur, vix unquam arte humana ſanari ſolent, ut Medici omnes docent, ipſaque experientia teſtatum facit; idcirco in eam curam poſthac ſedulò in-

dulò incumbet; ut vita ei quàm diutiſſimè, ac commodiſſimè cum moleſtia qua fieri poſſit minima, protrahatur.

Auxilia eò pertinentia petenda non ſunt neque à medicamentis alvum ducentibus, cùm purgatus abunde jam ſit, neque ſudorem cientibus, multò minùs à ſanguinis miſſione; ſed ab alimentis corpori renutriendo, ulceri blandè detergendo, ac ſputo promovendo idoneis; deinde à remedijs nonnullis morbum hunc vi quadam ſibi propriâ curare valentibus.

Cura ſeu intentio curandi Phthiſin.

In cibis vitentur ſalſa, acria, acida; carnes ſint gallinarum, pullorum, hœdorum, vitulorum, vervecum. concedantur & gammari, ſeu cancri fluviatiles vocati, inter alios piſces trutæ, thymali, percæ, lucij, reliqui omittantur. Quotidie veniat in uſum hordeum ad diſſolutionem coctum, cum jure gallinæ, vel aliarum carnium, interdum etiam cum lacte amygdalino: præſtabit id per pannum ſetaceum percolatum bibere manè jentaculi loco, vel etiam in cœna ad primam menſam: nullum cibi genus erit accommodatius huic ægro, ac proinde nullo die omittatur.

Ptiſana Accōmodatiſſimum cibi genus in Phthiſi.

Potus ſit vinum Neccaricum maturum, dilutum aquâ cui aliquid radicis Liquiritiæ ſit incoctum. de hoc hauſtus unus ſumatur, reliquus potus per aliquod tempus erit decoctum Ligni Guajaci hunc in modum paratum.

Decoctum Ligni pro potu ordinario in Phthiſi.

℞. *Scobis ligni Guajaci* ℥iij.

Coque in menſuris hoſtratibus tribus, vel ℔ix. *aquæ fontanæ*, ad tertiæ partis conſumptionem. decoctum colatum repone, *ligno* rurſus affunde tantundem, & coque ut antea. deinde utrumque decoctum confunde, aſſerva in vaſe fictili vitreato, in eóque macera *herbæ Veronicæ*. Mj. bibatur aſſiduè, ad prandium & cœnam; conceditur tamen vini hauſtulus.

Vbi alvus officium non fecerit, edantur in prima menſa caricæ pingues tres vel quatuor, pruna dulcia cocta ac Saccharo benè dulcorata. interdum etiam loco Sacchari aliquid Mannæ in eorum jure liquetur, ſed raro id fiat; ne in alvi profluvium incidat, morbo huic periculoſum. Securiores erunt lenientes clyſteres ex jure carnium cum Saccharo & oleo, ſuppoſitoria quoque ex melle confecta.

Alvi fluxus, ſymptoma periculoſum in hoc affectu.

Inter medicamenta laudo cùm ulceri detergendo ac ficcando, calori item hectico temperando, modíſque omnibus convenientiſſimum Saccharum Roſatum vulgò dictum, haberi præſtantiſſimum poterit Ulmæ, ubi ejus libras minimùm decem vel duodecim ſibi comparet;

Saccharum Roſaceum Ulmenſe. & ejus uſus in hoc affectu.

comparet; ac manè ℥j. edat, veſperi quoque horâ decubitûs, hoc eſt longè à cœna, quæ parca omnino ſit, tantundem, ſi ventriculus ferat. præſtiterit verò id vetus eſſe anno nempe præterito factum. Celeberrimum porrò eſt remedium & à graviſſimis Medicis tam antiquis quàm neotericis decantatum pulvis hunc in modum paratus.

Pulvis in Phthiſi celeberrimus.

R. *Papaveris albi* ʒx.
Gummi Arabici,
Mucilaginis Tragacanthi ana ʒij.
Seminum Portulacæ,
Althææ,
Malvæ ana ʒv.
Cucurbitæ,
Melonum,
Citrulli,
Cucumeris mundatorum ana ʒvij.
Spodij,
Succi Liquiritiæ ana ʒiij.
Penidiorum ad pondus omnium.

Fiat pulvis, de quo capiat ʒij. quotidie cum *Syrupo de Jujubis.* item conſpergantur eodem pulvere hordeata, amygdalata, & alia fercula jurulenta his ſimilia.

Fercula omnia pulvere hoc conſpergi poſſunt.

Multa adhuc utilia ac tuta in medium hîc adducere poſſemus, ſed ut iſtis menſes duos vel tres patienter utatur ſuadeo, plura ſuo tempore propoſiturus volente Deo, qui gratiâ ſuâ cœleſti præſtò nobis eſſe perpetuò dignetur. Amen.

Monachij 6. Julij 1605.

* * *

CON-

CONSULTATIO XVII.

PURULENTA EXSPUITIO, TUSSIS, FEBRIS HECTICA, ET TOTIUS CORPORIS EXTENUATIO.

PRO

FOEMINA ILLUSTRI.

*

EX Relatione oretenus facta, habito ſimul omnium circumſtantiarum examine, intelligo: Pulmones in Dominatione Veſtra purulentam ac ulceroſam materiam quotidie cumulare, cujus quidem pars per tuſſim ex pectore reijci ſoleat; pars tamen remanens, ulterioris ulcerationis cauſa perpetua exiſtat; unde depravata eventilatione vitali fonti debita, cor incaleſcit, corpus exſiccatur, ac macies ſubſequitur.

Pars puris in pulmonib⁹ remanens ulterioris exulcerationis eſt cauſa perpetua.

Remedia quæ in hoc affectu proficua fore exiſtimo, in eo præcipuè conſiſtunt, ut pectus & pulmones debitè emundentur: corpus extenuatum reſtauretur: nec non calor ille extraneus emendetur extinguatúrque. in quem finem

Inter cibos vitabit Dominatio Veſtra quæ ſalita nimis, aut ſale condita, aut fumo indurata ſunt. item acetoſa, lacticinia & paſtilia pleraque. Ptiſana ſeu cremor hordei ſequenti modo paratus laudatiſſimè in ſimilibus affectibus adhibetur.

Coquitur hordeum in aqua communi ad horas ſex vel ſeptem, poſtea in mortario lapideo teritur, & cremor per pannum colatur & exprimitur; indè in bono gallinæ juſculo diſſolutus iterum coquitur, donec ad conſiſtentiam mediocrem inſtar contuſi tenuis redigitur, aromatizando interim cum confectione Manûs Chriſti ſimplici vel etiam, ſi placet, perlata ad ℥iij. vel amplius; De hoc cremore Dominatio Veſtra ſingulis diebus manè ad uncias circiter octo adſumat, & iterum dein ſomno indulgeat, quantum lubet; Nec porrò inutile fore cenſeo, ſi eâdem ptiſanâ immediatè etiam ante cœnam quotidie vel certè frequenter uteretur Dominatio Veſtra. Diebus abſtinentiæ à carne, loco brodij gallinæ ad diſſolutionem cremoris, uti dictum, neceſſarij, emulſione utatur conſimili.

Cremor ptiſanæ ejúsque parandi modus accomodatiſſimus tum cum brodio gallinæ & manus Chriſti, tum cum emulſionibus Amygdalarum & feminis Melonum.

S 2

confimili. Accipiantur ſemina Melonum & Cucurbitæ ana ℥ß. Amygdalarum dulciũ depilatarum N°. xv. vel xx. Contundantur ſimul & fiat emulſio cum aqua comuni, in qua parùm Liquiritiæ ſit incoctũ; attamen neceſſarium erit, ut impoſterum diebus Veneris & Sabbathi carnem & ex his parata edulia comedat, licentiam à parocho ſuo, inſinuata hac mea opinione, facilè impetrabit. Potum quod attinet, abſtinebit Dominatio Veſtra à vino acido & auſtero; proderit Neccaricum album benè maturum ad dimidiam ferè partē tali aqua mixtũ. Recipe Hordei mundi excorticati cochleare unum, Sacchari albiſſimi pulveriſati ℥ß. coquantur in libris tribus aquæ ad ſubſidentiam trium digitorum, ſervetur pro uſu.

Potus ſeu aqua cocta.

Manè poſtquam Dominatio Veſtra è lecto ſurrexerit ℥ß. Sacchari Roſacei, uti etiam ante introitum lecti ad noctem devorabit; quamobrem ſuadeo, ut Dominatio Veſtra Sacchari hujus Roſacei quantitatem aliquam ſibi ipſa conficiat, durat ad annos duos & ampliùs, medicamentum ad hos affectus planè eximium. Alvus ſi non correſpondeat, leni clyſmate ſollicitari poterit. Accipe brodij carnis quartam menſuræ partem circiter, in hoc diſſolve Sacchari communis ℥iß. vel ℥ij. Butyri recentis, vel olei Amygdalarum dulcium vel Olivarum ℥ij. vel ℥ijß. vitelli ovi N°. j. ſalis parùm. Miſce. Medicamenta purgantia nō ſuadeo,alvi etenim fluxus & diarrhœa magnum ſemper periculum in ſimilibus affectibus minitantur.

Sacchari Roſacei uſus maximus.

Clyſma lene.

Hiſce remedijs per quatuor ſeptimanas ita continuatis, ad lac tandem aſininum Dominatio Veſtra devenire debebit; aſina autem non nimis ſit ſenex, & à gravidatione interea præſervetur. manè itaque ad conclave, ubi Dominatio Veſtra decumbit, aſina deducatur, lac in vas mundum ſeptem vel octo unciarum capax, cui tamen priùs Sacchari ℥ß. fuerit indita, excipiatur; atque ita ℥vj. lactis Dominæ Patienti calidè propinentur; verùm ut lac in ſuo tepore, donec ſtatim adſumatur, meliùs conſervetur, ſuadeo ut vaſculum priùs calefiat, vel in aqua calida imponatur tam diu, ut commodè lac in illud ex aſina emulgeri poſſit. ab epoto lacte ſomno iterum indulgeat, à cibis verò & prandio ſaltem ad quinque horas abſtineat. In cœna præter juſculum hordeaceum benè coctum & pullum admittat pauca, præterea à vino abſtineat, ſed ejus loco aquâ coctâ utatur ex Hordeo Saccharo & pauco Cinnamomo paratâ. Peractâ cœnâ, horâ dein circitèr nonâ lac aſininum, eo, quo ſuprà dictum eſt, modo & quantitate denuo ſumat; atque in hac cura per ſeptimanas itidem quatuor perſeveret; niſi forſan alia ſymptomata ſupervenientia hanc methodum impedirent; in quo caſu conſilium Medici præſentis ſequatur. Interim tamen neceſſarium non duco, ut tempore menſtuorum Dominatio Veſtra ptiſanâ aut lacte, aut etiam

Lac aſininum & ejus præparandi ac potandi modus.

Nec tempore menſtruorum ptiſanâ abſtinendum.

Saccharo

Saccharo Roſaceo abſtineat. D e u s ter Optimus, Maximus gratiâ ſuâ adſiſtat. de ulteriori eventu & medicamentorum horum effectu admoneri potero. Monachij 8. Junij 1602.

CONSULTATIO XVIII.

PECTORIS ULCUS CUM PURIS EXSPUITIONE, TUSSI DIUTURNA, SINE FEBRI ET TABE.

PRO

FOEMINA ILLUSTRI.

*

UT Illuſtris Dominatio Veſtra nôrit originem & cauſam tuſſis diuturnæ; præterea quibus medijs illa tolli vel imminui poſſit, dico, quòd ulcus in pectore non ſolùm jam ante aliquot annos ortum ſit, tum ſcilicet, quando apoſtema inibi rumpebatur, ſed etiam adhuc perſiſtat. hoc internum ulcus haud aliter, ac ſi externum foret, pus quotidie ſuppeditat, quod neceſſariò per aſperam arteriam unà cum tuſſi dein excernitur. quapropter Illuſtris Dominatio Veſtra pus illud, quod tota præcedente nocte, in pectoris ulcerata parte congeſtum eſt, communiter manè primùm, tuſſi adjuvante, exſpuit: quippe niſi hoc ita fieret, atque adeò pus in pectore cumulatum ſubſiſteret, reſpiratio neceſſariò paulatim ex toto impediretur. Quòd verò pulmones illæſi, ac Illuſtris Dominatio Veſtra nec phthiſica, nec hectica ſit, certum eſt: & facilè exinde cognoſcitur, ſi initium & origo hujus morbi perpendatur: qui magno dolore pungitivo ſtatim à principio Illuſtrem Dominam invaſit; Cùm verò pulmones ſenſu tactûs careant (uti etiam omnes pulmonum morbi nunquam dolores conjunctos habent) erit proinde iſte non pulmonum, ſed pectoris tantummodo affectus. Atque hujus porrò opinionis meæ certum eſt argumentum, quòd Illuſtris Domina ſit ſine omni febricula, nec emacietur quidquam. Itaque ſtante hac veritate, conſignabo brèviter remedia, quibus, auxiliante D e o, prædictum ulcùs ſanari, & tuſſis ex fundamento tolli poſſit.

Pus ex pectore ſæpe exſpuitur illæſis pulmonibus.

Morbi pulmonum nunquam dolores conjunctos habent

Medicamenta huc ſpectantia, mundificantia, & ſiccantia eſſe oportet, qualia erunt herbæ à me præſcriptæ pro potu, pulvis, pilulæ, ſyrupus, ac potio demum purgans, ita ſcilicet adhibenda. Primò poſtquam Illuſtris Dominatio Veſtra domum pervenit, pilulas omnes una vice deglutiet, horis duabus ante prandium.

Pilulæ.

R. *Maſſæ pilularum Maſtichinarum* ℈iijß.
Formentur pilulæ N°. xviij.

Altero die mediam partem ſyrupi accipiat, brodio carnis vel piſorum diſſolutam; pari pacto tertia die procedat; ſed ſyrupus hic ſumatur manè, ita, ut Illuſtris Domina dormiat inſuper ſi poſſit, maneatque uſque ad tempus prandij jejuna.

Syrupus præparans.

R. *Syrupi de Betonica* ℥j.
Mellis Roſati,
Oxymellis ſimplicis ana ℥iß.
Miſce pro duabus vicibus.

Venæſectio.

Interim dum ſecunda vice ſumit ſyrupum, vena aperiatur hepatica brachij dextri, ſanguine ad uncias octo vel novem emiſſo. Quarto die purgationem inſtituat manè, ac iterum per horam ſuperdormiat.

Potio purgans pectoralis.

R. *Foliorum Senæ* ℥ij.
Agarici præparati ℈ijß.
Seminis Aniſi,
Zinziberis ana ℈j.
Radicis Liquiritiæ ʒß.
Paſſularum ℥ß.
Decóque in *aquæ Boraginis* ℔ß. ad tertias, manè
dilue in colatura
Mannæ ℥ijß.
Oxymellis ſimplicis,
Syrupi de Hyſſopo ana ℥ij.
Miſce fiat potio.

Hiſce ita peractis, accipiatur ſeptima pars herbarum inferiùs præſcriptarum, affundatur aquæ ℔jß. & ſimul cochlearia duo mellis, bulliant ad parvum ignem, ſpatio horæ quadrantis bonæ, in fine addendo vini quantitatem. reponantur dein omnia in cellam vinariam benè cooperta, ac refrigerata demum colentur. herbæ iſtæ ſunt.

Hydromel cũ Hedera terreſtri paratum, optimum in ulcere pectoris auxilium.

R. *Hederæ terreſtris recentis*,
Veronicæ ana Miiij.
Miſce ad chartam.

De hac colatura Illuſtris Dominatio Veſtra ſingulis diebus hauſtum faciat, manè & ad veſperas, horis duabus ante cœnam, continuando

continuando per quatuordecim dies. poſthæc ſequentem pulverem accipiat, eo qui ſequitur modo.

℞. *Florum Sulphuris lotorum* ℥ij.
Sacchari candi ʒvj.
Radicis Ireos ℥ij.
Miſce fiat pulvis, doſis ʒj. cum ovo recenti.

Pulvis pectoralis ſiccans.

Hic inquam pulvis ovo recenti uni vel duobus, vitello ſcilicet benè commixtus, manè horâ circitèr ſextâ, pondere aurei unius, deglutiatur, jejunando dein usque ad prandium: continuabitur hic pulvis donec plenè fuerit abſumptus, aſſumendo plerumque quotidie, vel dies ſubinde interponendo in quiete.

Inter cibos vitabit Illuſtris Dominatio Veſtra omne id, quod acre eſt, acidum, concoctúque difficile; item aromata, piſces & carnes ſale conditas, rapas, olera, poma & pyra cruda. hypocauſta præcalida, intenſum frigus, ſummopere nocent.

CONSULTATIO XIX.

MACIES ET EXTENUATIO CORPORIS, CUM TUSSI, PRÆCEDENTE SANGUINIS SPUTO, EX VENA IN LARYNGE, COMITANTIBUS FREQUENTIBUS CATARRHIS.

PRO

REVERENDO ET NOBILI QUODAM DOMINO.

Affectus præter naturam, de quibus propulſandis ſoliciti eſſe hoc tempore potiſſimùm debemus, duo ſunt: tuſſis nimirum, & corporis extenuatio, quam virium imbecillitas ſequitur. Cùm verò de horum ſignis, cauſis, & remedijs, tum à clariſſimo Domino Oetheo in ſuis conſultationibus doctè & copioſè ſcriptum, tùm à me quoque coràm diverſis temporibus abunde eſt actum: reliquum nunc ſolùm videtur, ut cùm Reverendæ Dominationi Tuæ, poſt ſuum à nobis diſceſſum, ipſe adeſſe nequeam, potiora duntaxat magíſque neceſſaria, & ad hos affectus removendos, & ad alia mala prohibenda,

benda, ita ante oculos ponam; ut ſimul atque ſcriptum hoc inſpexerit; quod cibi aut medicamenti genus vel adhibendum, vel fugiendum ſit, facilè perſpicere queat, nec in tanto medicaminum & alimentorum delectu dubia interdum hæreat. Omiſſis igitur Curativis quas vocant intentionibus, à cauſa morbi, à morbo, à ſymptomatibus, locóque affecto deſumptis, quas perſequi longum foret; quid duo hæc ſymptomata requirant dicturus, priùs Reverendum & Nobilem Dominum admonitum vellem, ut, cùm affectus hi, quibus adhuc detinetur, periculo non vacent, aliáque majora mala minentur, hæc artis Medicæ præcepta accuratiſſimè obſervet, & præ oculis habeat, eorum quæ ab Hippocrate 15. & 16. Sect. 7. Aphor. ſcripta ſunt, nunquàm immemor.

Ante omnia autem gracilitati ſeu maciei corporis, quæ magis urgere videtur, quamprimum, ne corpus à ſiccitate conſumatur, proſpiciendum erit; id verò bona victûs ratione, quæ in longis morbis potiſſima curationis pars eſt habenda, commodiſſimè fieri poterit. Victus ergo talis eſto.

Victûs ratio. Aër in calore & frigore ſit temperatus, & ratione tuſſis ad ſiccum tendat, non ſit paluſtris, ventoſus, nebuloſus, pulverulentus, fumidus, aut nocturnus, à quo diligenter cavendum erit, uti etiam à radijs ſolaribus, qui & tuſſi & calori, qui ſæpe adeſſe ſolet, noxius eſt.

De motu & quiete ſciendum, hoc tempore quietem magis ex uſu eſſe, quàm corporis agitationem; ubi verò corpus renutrituin fuerit, omniſque caloris expers, modicam deambulationem, aut vectationem, ſine corporis concuſſione aut defatigatione, interdum ante cibum non inutilem fore cenſeo. Hoc verò tempore, exercitij loco, lenibus frictionibus ſit contentus, præcipuè manè ante cibum. Crura autem, femora, brachia, ipſúmque dorſum deorſum fricentur. A balneis ſudorificis penitus eſt abſtinendum.

Somno indulgeat nocturno, at ſtatim quieti à cœna minimè ſeſe tradat, ſed horam interponat, quæ deambulationi leni tribuatur, niſi calor aut imbecillitas prohibeat; à meridiano autem ſomno cavendum eſt, niſi ex longis vigilijs nocturnis reſolutæ vires hunc neceſſariò requirant.

Alvum lenem eſſe confert, non tamen validioribus proritanda eſt; ſed glandes, aut emollientes clyſteres ſufficere debent.

Ab immodicis animi affectibus, quantùm fieri poteſt, abſtinendum. Omnes igitur cauſas iræ, triſtitiæ, curarum & ſolicitudinum abſcindat, nec negotijs præſertim arduis implicetur, ſed hilarem ac quietam vitam diligenter agere ſtudeat.

Circa

Circa alimenta inprimis opera danda eſt, ut nunquam ventriculus, intempeſtivè verò potiſſimùm, cibo aut potu gravetur, aut cruditatibus repleatur. In horum autem delectu magna diligentia utendum erit, ne quid minùs idoneum ingeratur, aut quod utile eſſet, negligatur. Idcirco præcipua alimenta in triplicem ordinem redacta ſubſcribam, ut quid bonum, quid mediocre, quidque malum ſit, ſeorſim appareat. Bonis autem ſemper utatur, malis nunquam, mediocribus interdum.

Bona. Panis eligatur ex optima tritici farina, benè fermentatus, non penitus à furfure mundatus, modicè ſalitus, non durus aut vetus, nec etiam nimis recens. Carnes laudantur pullorum, gallinaceorum, caponum, perdicum, phaſianorum, avicularum montanarum; addo ego hœdinas, & gallinarum juvenum. Optimi ſunt vitelli ovorum recentium & ſorbilium aut tremulorum. Piſces ſaxatiles ſint ut funduli, truttæ, cancri fluviatiles. Jura prædictarum carnium magnopere conferunt, ſuadeóque, ut elixis magis, quàm aſſis veſcatur, frequentiſſimè autem ſorbeat, & loco juſculi, hordei cremore, ſeu ptiſanâ ita paratâ. Hordeum integrum coquatur in aqua communi, ut molleſcat & aperiatur. deinde contunditur, & ſuccus omnis per ſetaceum aut linteolum rarum tranſmittitur, cui additur lac amygdalinum cum jure pulli paratum, & ſimul coquuntur, ad formam ſeu conſiſtentiam ægroti palato acceptiorem, addito Saccharo candidiſſimo, vel ejus loco confectione Manus Chriſti perlata; ubi verò calor vel ſitis adfuerit, loco amygdalini lactis, emulſio ſeminum communium majorum ex uſu eſſe poterit. Lac etiam amygdalinum per ſe cum Saccharo utile erit, ut & caprinum. Veſcatur etiam granis hordei benè ad mollitiem coctis, in aliquo prædictarum carnium juſculo. Fructus utiles erunt piſtacia, nuclei pinei, paſſulæ, palmulæ, cibebæ, amygdalæ dulces, pruna Damaſcena aquæ incócta cum ſaccharo, aut melle. Potus ſit vinum tenue, albi coloris, minimè vaporoſum aut auſterum. Aqua mulſa ex optimo melle parata; Verùm hæc hyeme magis, quàm æſtate conferet, in qua vinum quoque diluendum eſt.

Hordeatum.

Mediocria. Concedi interdum poteſt caro leporina, cuniculi, vervecis, anniculi bovis, ſuis in ſylvis nutriti, vitulina. Piſces etiam lucij dicti, porculi. Jus cicerum rubrorum, carnis vervecinæ, vitulinæ; oryza lacti amygdalino incocta. Fructus mediocres ſunt caricæ, ceraſa auſtera, melopepones, nuces regales, avellanæ, pyra, Cotonéa, Armeniaca fraga. Olera interdum conceſſa ſunt, Lactuca, Beta, Portulaca. Vinum dulce &

commune, Melicratum, quod Medonem dicimus, infeſtanti tuſſi interdum conceditur.

Mala. Prorſus vitanda ſunt panis calidus, malè coctus, carnes omnes præter dictas ut agni, anſeris, anatis, aquatilium avium, cerebrum, pulmo, hepar, cor, extremitatésque animalium, præterquam in ſputo ſanguinis, in quo pedes medicamenti ratio-nem ſubeunt, uti pulmo vulpis in tuſſi. Ova dura, frixa. Fructus, mala Perſica, caſtaneæ, ceraſa; olera omnia, præter dicta, ſic legumina. Vinum novum, craſſum, turbidum, forte. Atque de victûs ratione hæc ſatis. Sequitur, ut quid à Pharmacia tertio artis Medicæ inſtrumento auxilij petendum ſit, breviter attingam, omiſsâ, cujus uſus nullus hîc eſt, Chirurgiâ.

De medicamentis ego ſic ſentio: cùm Reverenda Tua Dominatio ab his magnopere abhorreat, ita ut etiam jucundiſſima ſibi nauſeam pariant, quæ ex pharmacopœiorum officina petuntur; opera danda eſt, ut quæ adhibentur præſidia, alimenti rationem unà cum facultate medicamenti obtineant. Inter quæ, cùm lacte nihil ſit præſtantius, ad ejus uſum Reverendam Tuam Dominationem magnopere ſemper ſum hortatus. Nunc verò idem ita ſuadeo, ut nullo modo omittendum, ſed admodum neceſſarium eſſe remedium afferam. Mirificam ejus utilitatem non ſolùm multa experientia quotidie oſtendit, verùm etiam Hippocratis & Galeni & poſt hos omnium Medicorum authoritas, qui omnes uno ore lac extenuatis, exhauſtis, atque tabidis optimum eſſe teſtantur. cujus rei rationem reddere facillimum eſt; cùm languido & gracili corpori, boni ſucci, ac quod citò diſtribuatur, alimentum neceſſarium ſit, quis dubitabit, lac ipſum, cùm poſt concoctionem in bonum ſuccum, videlicet ſanguinem, mutetur, huic utiliſſimum eſſe? Nocet quidem lac capite dolentibus, febriculoſis, & quibus hypochondria ſunt elata, ac murmurantia, nec non ſiticuloſis; ſanis etiam hypochondria attollit, & caput ferit, atque in frigidiore ventriculo aceſcit, in calidiore nidorulentum ſit. Verùm quia Reverenda Dominatio Tua horum affectuum nulli eſt ſubjecta, non eſt, quòd à lacte mali quidquam metuamus. Nam quicquid noxæ afferri poſſet, huic bellè occurretur cautelis jam dicendis. Ante omnia venter mollis eſto, & excrementis vacuus ventriculus. idcirco leniente clyſtere aut Mannæ ℥ij. in decocto pectorali diſſolutis, & manè hauſtis, alvus prorītanda, antequam ad lactis uſum perveniatur.

Lac extenuatis optimum.

Lac quibus non profit.

Lactis aſſumendi modus.

Quantitas circa initium moderata ſit, nec 4. uncias multùm excedat, procedente tempore, ubi Reverenda Dominatio Tua aſſueta fuerit, & lacte delectari cœperit, quantitas adaugeatur. Poſt ejus

ejus aſſumptionem quieſcat non dormiat, nec alia nutrimenta ſtatim ingerat, præſertim vinum, ne in ventriculo corrumpatur, aut ad caput evaporet.

Hora aſſumptionis matutina ſit, ita, ut jentaculi vicem ſuppleat; ſemel enim in die ſumptum ſufficiet, calidum autem ſit, & jam mulctum adſtanti animali ocyſſimè hauriatur, addito aut mellis tepidi & cocti pauxillo, aut melle Roſato, aut (quod gratius erit) Saccharo. Omnium autem convenientiſſimum eſt aſininum, eò quòd maximè tenue ac ſeroſum ſit, ob idque cæteris magis abſtergat & faciliùs in corpus digeratur, & minimè coaguletur. Verùm, quia ab hoc, ſicut etiam à muliebri plerique abhorrent, caprinum eligat Reverenda Tua Dominatio, quod inter humanum & aſininum medium eſſe in craſſitie & pinguedine cenſetur: quo utatur per 20. aut 30. dies, & ultrà, niſi ſupradictorum aliquid impediat. Eſt enim cibus medicinalis utrique affectui extenuationi ſcilicet & tuſſi omnium utiliſſimus: in quo omnes intentiones hoc tempore potiſſimùm habendæ uno tempore perficiuntur, cùm ratione diverſarum partium refrigeret, humectet, abſtergat, conglutinet, & nutriat. Lactis ſelectio.

Secundum remedium, quod itidem abſtergendi, nutriendi, & refrigerandi facultatem obtinet; atque in hoc caſu ſaluberrimum erit, eſt Ptiſana eo modo, quo ſuprà in ordine bonorum alimentorum adnotavi, parata. Hæc citra omnem curam quovis tempore, manè & ſerò, die noctúque, præſente & abſente febre tutiſſimè atque utiliſſimè Reverendæ Dominationi Tuæ exhiberi poterit. Idcirco, ùt diligentiſſimè aſſumat, fideliter conſulo. Habent hæc duo Lac & Ptiſana rationem cibi ſeu alimenti, potûs, & medicamenti. Ptiſana.

Tertium, quod valde familiare Reverendæ Tuæ Dominationi eſſe vellem, eſt conſerva Roſarum, per ſe poſt cœnam in ingreſſu lecti ſumpta, aut in ptiſana, aut aqua hordei bibita, de cujus mira efficacia habetur hiſtoria apud Avicennam omnibus notiſſima. Quæ recens eſt magis refrigerat, vetus adſtringit, quovis tempore ſumi poteſt tutò, & per totum annum continuari. ſi ex multo ipſius uſu conſtrictio accideret, poteſt ſyrupus de Hyſſopo per aliquot dies præſertim hyeme ejus loco uſurpari, qui ad educendam in pectore contentam materiam eſt efficaciſſimus. Conſerva Roſarum.

Laudatur etiam à Medicis mellis uſus, tum quòd alijs medicamentis pectus juvantibus admixtum, vehiculi loco eſt, tum etiam quòd per ſe abſtergendi ac mundificandi facultate conſtat. Ego hac hyeme urgente tuſſi, nulla præſente febre, aut ſiti, hydromel ſeu aquam mulſam ex optimi mellis parte una, & aquæ fontanæ par- Mellis uſus.

tibus 8. diligenter paratam utiliſſimè in cœna, loco vini, bibi poſſe cenſeo. Cui ſi paululum Hyſſopi, Capillorum Veneris, & radicis Ireos incoqueretur, & ejus hauſtus manè loco lactis & ſerò circa ingreſſum lecti calidus biberetur, expurgando pectori magnopere conferret. Atque in æſtate à melle penitus abſtinendum, Reverendæ Dominationi Tuæ conſultum duco atque affirmo.

Præter hæc multæ ſunt ac variæ medicamentorum expurgando pectori utilium formulæ, quæ cùm quòd medicamenti duntaxat naturam habent, à quibus maximè abhorrere Reverendam Tuam Dominationem ſcio, tum verò quòd à Clariſſimo Domino Oetheo ſub plurimis formis ſunt propoſitæ, hoc loco omittentur. Neceſſitate verò cogente, ad illa confugiendum, quæ & jucundiora ſint, & minùs ventriculum ad nauſeam ſubvertant. Hujuſmodi ſunt hi trochiſci, quos Pharmacopœius ſic paret.

Trochiſci pectorales.

℞. *Sacchari albiſſimi* ℥iß.
Gummi Tragacanthi ʒj.
Arabici grana xv.
Amyli ʒj. *grana* xv.
Iridis Florentinæ albiſſimæ ʒß.
Cum *aqua Roſarum* fiant trochiſci.

Hi interdiu, & quovis tempore in ore teneri poſſunt, ut per ſe liquefacti deorſum labantur, & etiam, ſi fieri poſſet, ptiſanæ, juſculis, aliiſque cibis addi.

Quòd ſi catarrhus tenuis adeſſet, à quo ingens tuſſis ſine multa ſpuitione oreretur, tales orbiculi parentur.

Orbiculi pectorales.

℞. *Boli Armeni præparati & loti aquâ Roſarum* ʒiij.
Gummi Tragacanthi,
Arabici ana ʒiß.
Sacchari Candi ℥j.
Cum *Syrupo de papavere* q. ſ. formentur orbiculi.

Quibus utatur modo ſuprà dicto, quovis tempore. Poſſet fieri linctus injucundus hoc modo.

Linctus ad tuſſim.

℞. *Loch de Pſyllio ſimplicis* ℥j. paratur autem ex *mucilaginis Pſyllij* ʒj. *& Sacchari* ℥vj. ſecundùm artem.
Syrupi de Liquiritia,
Acetoſi ſimplicis ana ℥ß.
Boli Armeni præparati ℈ij.
Miſce.

Vrgente tuſſi ſumatur lambendo paulatim, nec ſtatim à cibo.

Quòd

Quòd ſi vigiliæ etiam ob tuſſis vehementiam infeſtent, non injucundum atque utiliſſimum foret, ſumere vel per ſe vel unà cum ſaccharo Roſato in ingreſſu lecti ʒj. medicamenti, quod à Galeno Diacodion dicitur, & ex ſolis capitibus Papaveris & Saccharo paratur, hunc in modum.

Diacodion ſaccharinum.

R. *Capitum Papaveris albi*, quæ medioeris ſint magnitudinis, nec nimis vel viridia vel matura, neque in paludoſo ſolo collecta, numero viij. infunde in ℔iß. *aquæ fontanæ* aut *pluvialis* per horas 24. coquantur lento igne ad tertias. fiat colatura cum expreſſione, de qua capiat quantum libet, & adde *Sacchari optimi*, non mellis, ut Galenus, mediam partem, coquatur ad formam electuarij, aut ad ſolidiorem formam inſtar Manus Chriſti.

Conſolidæ majoris conditum ſeu conſerva, in hoc caſu ubi tuſſis moleſta eſt, præſtantiſſima eſſet, manè & veſperi, ſola vel cum Saccharo Roſato ad ʒj. vel duas frequenter devorata.

Magnopere etiam confert aqua Alchimillæ ſeu Leontopodij in balneo Mariæ per alembicum deſtillata, cujus ſingulo manè ℥ij. aut ſolæ, aut cum conſerva Roſarum, aut Symphyti, Conſolidæ majoris, aut alterius ex prædictis ebibantur.

In uſu quoq; eſt aqua limacum eodem modo parata, cujus hauſtum cum Diapenidij ſimplicis pauxillo, jejuno ventre calidè ſumptum, egregiè extenuatis commodare vidi.

Atque de medicamentis hæc ſufficiant, quæ uti longâ experientiâ ſunt comprobata, ita ſimpliciſſima & guſtui non injucunda à me proponuntur. Non omnibus autem opus fore confido, ad varietatem tamen copiam non deeſſe volui. Vnum ſupereſt, ut præſervandis ab ulcere pulmonibus & jam ulceratis (quod ſciam) accommodatiſſimum. Quod cùm ego ſemper ad tuſſim, aſtma, pectoris verò & pulmonum vitia quàm plurima, præſertim verò in hoc caſu efficaciſſimum deprehenderim, meritò magni facio, & Tuæ Reverendæ Dominationi nunc revelo. eſt autem hoc. Sulphur artificioſè ab omni immunditie, malignitate & noxa depuratum, & purgatum, eo, quem alibi tradam, modo, cujus ſi drachma cum Saccharo per ſe vel cum ſyrupo de ſucco Scabioſæ, vel cum juſculo, vel quovis alio linctu, ſucco, aut aqua pectorali manè aut poſt cœnam quotidie ſumatur, pulmones à putredine defendit, mundat, ſanátque, ſi fieri poteſt, tuſſim mitigat, ſputum facilitat, omnemque anhelitûs difficultatem ſedat, ac totum corpus à putredine vindicat. Ita ut vel unicum hoc præſidium Reverendæ Dominationi Tuæ & ad præſentes affectus propulſandos, & ad majora mala prohibenda ſatis eſſe (per DEI gratiam) poſſit.

Sulphur pectus juvat.

De ſputi ſanguinei curatione & præſervatione, nec non de peſtis remedijs, quæ ſecretiora ſunt, alibi diligenter conſcripta habebit à me Reverenda Dominatio Tua, quæ omnia Deus Optimus Maximus, qui verè languidos ſanat, ad priſtinam valetudinem recuperandam Reverendæ Tuæ Dominationi ſaluberrima & efficaciſſima eſſe concedat.

CONSULTATIO XX.

ANIMI DELIQUIUM EX CACOCHYMIA VISCERUM PRIMÆ ET SECUNDÆ COCTIONIS.

PRO

EQUITE QUODAM PERILLUSTRI.

Perilluſtris & ſtrenuus Eques videtur temperaturâ corporis ferè moderatâ, quod cùm alia multa, tum verò potiſſimùm habitus ejus inter carnoſum valde & gracilem medius, ſtaturâque neque procera neque humilis, functionum omnium præſtantia teſtatum faciunt: etſi enim cor paulò calidius, pectus hirſutum, animi robur, terroríſque expers arguunt, ab hepate tamen minùs calido probè attemperari, planè cenſendum eſt.

Hepatis minùs calidi argumenta.

Hepar autem minùs calidum declarat præter alia venarum anguſtia, ac pituitoſi humoris uberior quàm bilis in corpore redundantia, ac collectio; capitis nonnullam ſiccitatem nativam præmaturum calvitium, præſertim cùm id magnum non ſit, declarat.

In peregrinationibus, Principum aulis, militia, errata in vict° ratione vitari non poſſunt.

Verùm cùm in vivendi ratione domi, foríſque errata non pauca admiſerit, quæ & adoleſcentiæ conſueta ferè ſunt, & in peregrinationibus, Principum aulis, & militia vitari vix poſſunt; hinc factum eſt, ut hebetato calore, vitiatíſque primâ & ſecundâ coctionibus, corpus excrementitijs humoribus, potiſſimùm verò ventriculus, meſenterium & hepatis cavitas repleretur; unde & febres putridæ olim exortæ, creber item pituitæ vomitus, & per alvum fluentem dejectio. ad eandem ventriculi & cæterarum partium

nutritioni

nutritioni famulantium repletionem, impuritatémque referri debet animi deliquium, quo menſe Junio proximè præterito, cum levi ſudore extrémarúmq; corporis partium frigore, fuit correptus: neque enim ſymptoma illud ſyncope vera fuit, multò minùs ad epilepſiam referendum eſt, cùm & mente conſtiterit, loquendíque uſum, aliquem ſaltem, retinuerit, omnium, quæ ſibi acciderant, recordatus.

Cæterùm ab humorum copia gravante, enatum ſymptoma illud fuiſſe, à reſolutione verò nequaquam, demonſtratione alia non indiget: quando id ſanatio ab evacuatione ſubſecuta ſatis ſuperque oſtendit. Venio igitur ad auxilia, quæ abs me petuntur, præcavendo impoſterum huic malo idonea, cujus recurſum Illuſtris Vir vel ob id veretur, quòd & copioſam pituitam ore reijciat, & caput vaporibus ſibi facilè repleri, & tenebricoſum quid præ oculis ſubinde obſervari ſentiat, haud immeritò ſuſpectum. Primum ſit cauta, ac caſtigata ratio vivendi, ſine qua nemo neſcit, omnia alia ſupervacanea eſſe remedia: in hac potiſſima, quorum admonendus videtur, hæc ſunto. Aërem vitet ventoſum, nebuloſum, nocturnum, ac ſolis æſtum. In cibis abſtineat à ſatietate, nedum à repletione, crapula. carnibus utatur caponum, gallinarum, pullorum tam gallinaceorum quàm columbinorum, phaſeanorum, perdicum, avium ſylveſtrium & in dumis degentium, hœdi, vervecis, vitulorum, lepuſculorum, & id genus alijs laudabilibus: à porcina, bovina, anſerina & anatina abſtineat, ſicuti à capitibus, pedibus, pulmone, corde, epate, & inteſtinis animalium omnium. piſcium uſus rarior eſto, híque ſint thymali, truttæ, percæ, lucij minores, aliíque ſquamoſi & ſaxatiles: gambari & oſtreæ omittantur. caſeus, lacticinia, frumentacea, ac paſticea, omniáque in ſartagine frixa, ac pinguia, itèm legumina, excepto piſorum & cicerum jure, & hordeo ad diſſolutionem decocto vitanda. ex fructibus ficuum recentium & uvarum duntaxat uſus permittitur, at valde moderatus: pyra & poma cocta conceduntur, cruda minimè: inter olera Cichorium coctum, Borâgo, Endivia locum habeant, Lactuca nnnquam vel rariùs, in ſummo ſcilicet æſtatis fervore: Cappares cum aceto paſſulato moderatè ſumere liceбit. juſculis carnium aliquid Petroſelini, Fœniculi, Ocymi, Anethi, Thymi, Hyſſopi ad ſaporis gratiam convenienter incoquetur: Salviâ item, Roremarino, & Majoranâ carnes aſſandæ configi poterunt, lardo nequaquam: Raphanus, Sinapi, Cæpe, Allia excludantur: in aromatis modus ne excedatur: panem, ex farina tritici à furfuribus non planè mundata, conficere præſtaret, recens valde non eſto. Potus ſit vinum clarum, maturũ, montanũ, duos años non excedens; ſed nec integro recentius,

Victûs ratio niſi cauta & caſtigata ſit, omnia alia remedia ſunt ſupervacanea.

centius, lymphatũ mediocriter aquâ ſimplici optimâ, vel unica ebullitione coctâ, vel infuſo pane correctâ. A ſomno interdiu caveat, niſi nox inquieta fuerit. Corpus quotidie exerceat, ſed cibo inventriculo jam concocto, idque abſque fatigatione. Alvi excrementa quotidie, ſemel ſaltem, deponere ſtudeat, & naturam manè & veſperi ſedi inſidens ad excretionem bis invitet quotidie. Quòd ſi ventrem ſicciorem experiatur, cum Betis vel Spinachijs vocatis, Prunis item dulcibus cum multo Saccharo in aqua coctis, Paſſulis quoque majoribus exemptis acinis, in prima menſa ſumptis, emolliat. Veneri modus quoque ſtatuendus; illa verò minùs pertimeſcenda eſt, quam & ſtimulus præceſſerit, & laſſitudo non ſequatur. Animi affectibus frænum inijciatur, & quantùm fieri poterit, rationis in auxilium vocato imperio reſiſtatur.

Secundum auxilium à pharmacia petendum: ſuadeo igitur, ut in patriam reverſus, ubi dies aliquot quieverit, corpus univerſum ab humorum vitioſorum, qui ſuperſunt, reliquijs repurgetur: indè robori primarijs partibus adijciendo, atque adeò univerſæ valetudini confirmandæ operam navet ſedulam, remediorum eò maximè pertinentium formulas, quæ hîc ſubijcientur, ſecutus.

R. *Pulveris Senæ præparatæ* ℥iß.

Sorbeatur ex juſculo pulli vel vervecis q. ſ. duabus horis ante prandium. ſequenti die, ubi nihil obſtiterit, vena dextri brachij baſilica ſecetur, fluántque ſanguinis unciæ circiter ſeptem vel octo. deinde apozema, quod ſequitur, offeratur.

Sanguinis miſſio.

Apozema purgans leniens deobſtruens.

R. *Paſſularum* ℥vj.
Foliorum Senæ ℥iß.
Seminis Aniſi ʒß.
Radicum Fœniculi,
Cichorij,
Bugloſſi ana ℥iij.
Liquiritiæ ʒj.
Enulæ campanæ ʒß.
Coquantur in ſ. q.ª *aquæ* ad libram unam, in colatura dilue
Mellis Roſati,
Oxymellis ſimplicis ana ℥iij.
Miſce ad tres doſes.

Manè offeratur tribus diebus continuis, & ſomnum rurſus ineat. Indè purgans tale paretur.

Bolus ex Hiera Pachij.

R. *Specierum Hieræ Pachij* ʒj.
Aloës Soccotrinæ,
Rhabarbari electi ana ℈j.

Specierum

Specierum Diagalangæ grana v.
Fiat bolus.

Cum aqua Cinnamomi, quinque horis ante prandium devorandus. quieſcat uno die, & ſequenti triduo prædictum Apozema repetat, poſtmodum hanc, quæ ſequitur, potionem aſſumat.

Potio purgans.

℞. *Foliorum Senæ* ℥ß.
Agarici præparati ʒij.
Zingiberis ℈j.
Florum Boraginis,
Anthos ana Pj.
Decoquantur in *aquæ Boraginis* ℥x. ad medietatis conſumptionem, ſtent per noctem, manè fiat colatura, de qua
℞. ℥iiij. adde
Mannæ ℥iß.
Pulveris Rhabarbari electi & vino albo tribus horis antè irrorati ℈iiij.
Fiat potio.

Sumatur horâ matutinâ, & ſomno per horam indulgeatur. His peractis, laudo ac planè conſulo, ut aquam Tetuccij, ceu ventriculo totique inferiori ventri eluendo, calefaciendo, corroborandóq; inprimis accomodatã, ſex vel ſeptem diebus potet, ſed alternis; pondere, quod ipſius aquæ facilior & tardior exitus edocebit; injecto intermiſſionis die clyſtere ex eadem aqua cum Sacharo & oleo Amygdalarum dulcium & amararum parato. Corpore hunc in modum perpurgato, ex uſu erit ad partium omnium principum confirmationem, electuarium hoc gratiſſimum.

Aqua Tetucciana ventriculo totíque inferiori ventri eluendo calefaciendo corroborandóque utilis.

Electuarium corroborans gratum.

℞. *Conſervæ Roſarum Damaſcenarum & rubearum ana* ℥ij.
Conſervæ florum Anthos ℥vj.
Corticum extimorum Citri abjecta carne, Sacharo conditorum & inciſorum ℥ijß.
Zingiberis conditi & inciſi ℥ß.
Specierum aromaticarum Roſatarum,
Caryophyllorum inciſorum ana ʒij.
Margaritarum præparatarum,
Eboris præparati ana ʒj.
Miſce fiat cum *jure Conſervæ corticum Citri* electuarium. doſis ſit ℥j. horis quatuor ante prandium. Eadem præſtabunt morſelli, non minùs guſtui ſuaves, ſic parati.

Morſelli corroborantes ſtomachum.

R. *Cinnamomi acuti* ℥ij.
Zingiberis albi pulveriſati ℥j.
Caryophyllorum,
Galangæ,
Piperis longi ana ℥ß. ʒj.
Cardamomi ʒij.
Nucis moſchatæ ʒvj.
Macis ʒij.
Ireos Florentinæ ℥ß.
Singula per ſe terantur groſſo modo, de quibus
R ℥iß. adde *Sacchari* ℔j.
Fiant morſelli cum albumine ovi.

His remedijs roborantibus alternatim tota hyeme quotidie aſſumptis, accedente ſuperiùs deſcripta victûs ratione, inprimis verò DEI Optimi Maximi favore, integra ac firma valetudine fruetur. Verùm cùm verendum ſit, ut artis Medicæ legibus præceptiſq; omnibus traditis, tam arctè ſe obſtringere in hac præſertim florenti ætate velit, atque etiam poſſit; idcirco plethoram quoque omnem, & cacochymiam totius anni decurſu effugere, omníque Medicorum conſuetudine, ac medicamentorum uſu in univerſum carere haud poterit; proximo igitur Vere, menſe nimirum Aprili, corpus hunc in modum rurſus evacuare conſilium eſto.

Purgatio Verna.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis*,
Pulveris Senæ præparatæ ana ʒj.
Miſce cum *aqua Cinnamomi* fiat bolus, duabus horis ante prandium offerendus.

Secundo die quieſcat: tertio ſanguinis è dextri brachij vena communi mittat, quantum præſenti Medico expedire videbitur: quarto apozema tale porrigatur.

Apozema deobſtruens mundificans.

R. *Herbarum Cichorij cum toto*,
Boraginis,
Buglоſſi ana Mij.
Betonicæ,
Fumariæ ana Mj.
Menthæ,
Meliſſæ ana Mß.
Foliorum Senæ ʒj.
Fiat decoctio in ſ. q. *aquæ* ad ℥viij. in quibus dilue
Oxymellis ſimplicis,
Mellis Roſati,

Syrupi

Syrupi de Betonica,

E Lupulis ana ℥ß.

Fiat potio ad duas doſes.

His aſſumptis, porrigatur bolus iſte.

R. *Specierum Hieræ Pachij*, — Bolus ex Hiera Pachij.

Pulveris Senæ,

Rhabarbari ana ℈ij.

Miſce cum *aqua Cinnamomi* fiat bolus.

Quieſcat poſtridie, ac deinde apozema repetat triduo, vel ſi moleſtum non ſit, quatriduo. ſequenti die tali pharmaco purgetur.

R. *Foliorum Senæ* ℥iij. — Purgans potio catholica.

Agarici ʒij.

Zingiberis ℈ß.

Seminis Aniſi ʒß.

Florum cordialium ana Pj.

Paſſularum ℥ß.

Infundantur in *aqua* & poſt decem horas coquantur, & fiat colatura, in cujus ℥iiiiß. infunde

Rhabarbari electi vino albo irrorati ʒij.

Cinnamomi grana V.

Squinanthos grana iij.

Stent per noctem, manè fiat expreſſio, & addantur

Mannæ ℥ij.

Oxymellis ſimplicis ℥j.

Fiat potio offerenda in aurora, ut moris eſt.

His omnibus uſurpatis, triduo quieti dato; Si evaporationes in caput ſubvolare ſolitæ, necdum diſparuerint, atque etiam hiberno tempore ſubinde moleſtæ fuerint, cum crebra illa ſalivæ & pituitæ ſpuitione, conſultum omnino fore exiſtimaverim, repetito aquæ Tetuceij potu, eodem quem ſuperiùs deſcripſimus modo, ad aliud præſidium, quo caput, ventriculus, ac nutritoriæ partes primariæ ſtrenuè roborari queant, tranſire. cujusmodi eſt lignum Saſſafras facultate aromatica cordi totíque corpori grata & accepta præditum, quo ſimul & obſtructiones à craſſis humoribus, ſi quæ ſubſunt, expedientur, ſeroſitates verò ad corporis ambitum diffuſæ, per cutim ſudore vel madore ſaltem vacuabuntur. erit autem hæc ejus ſumendi ratio.

Lignum Saſſafras facultate aromatica cordi totíque corpori grata præditum.

R. *Ligni Saſſafras redolentis & ſelecti in tenuem ſcobem redacti, & craſſè limati* ℥ß. — Decoctum Saſſafras.

Ponatur in cucurbitam vitream aut aliud vas fictile vitreatum, anguſti oris, affunde *aquæ fontis* ℔vj. vas probè tegatur, occludatúrque, ne exſpirare vis ligni poſſit, coquatur in duplici vaſe, ſeu balneo Mariæ vocato, ſex horarum ſpatio; deinde ubi refrixerit *aqua*, per linteolum colata uſui ſervetur, in fictili pariter vitreato & clauſo. *Ligno* verò ſemel decocto, rurſus affunde *aquæ* ℔vj. & eodem coquatur modo, & coletur.

Prioris decocti manè, quatuor horis ante prandium ℥viij. cum ℥ß. Sacchari albiſſimi pulveriſati calidè exhibeantur; per horulam ſomno indulgeatur; vel eo non obrepente, ſine ſudoris provocatione, quieti locus detur. poſt horam elapſam ſudet, vel mador, corpore paulò magis tecto, blandè eliciatur, atque ad cutem impellatur, omni tamen vitatâ moleſtiâ. tertiâ, ab hauſto decocto, horâ, deterſa cute è lecto ſurgat: quartâ prandium ſumatur frugale & parcum, uti ferè in uſu Guajaci apponi ſolet, paulò tamen largius, neque in cœna carnes ſubtrahantur; ciborum genera uti vulgò notiſſima non adſcribo. Potus ſit vinum media parte vel tertia ſaltem ſecundarij decocti dilutum. Veſperi non eſt, quòd ſudet, vel etiam decoctum ſumat, matutino potu contentus. ſemel ſaltem in hebdomade alvus ducatur pulvere Senæ Montagnanæ ad ʒj. vel ſeſquidrachmam. Alijs diebus, ſi ventrem ſicciorem experiatur, clyſtere ex Malva, Mercuriali, Althæa, Furfuribus, Amygdalarum oleo, & Saccharo rubro emolliatur.

Decocto Saſſafras modus utendi, & exin ſudandi methodus.

In hac hydrotica curatione dies 25. vel 30. perſeveret, domiſe continens vitato frigore; poſtmodum à medicamentis deſiſtere poterit, ſolis roborantibus exceptis: electuario nempe ſuperiùs deſcripto & morſellis, quorum uſus uti jucundus, ita admodum utilis eſt futurus, idcóque longo tempore continuandus. Quòd ſi verò, in ſex rebus nonnaturalibus, ſe errorem aliquem commiſiſſe agnoverit, per quem crudiorem ac vitioſum ſuccum in ventriculo collectum, ſuſpicio ſit; tunc caſtigata vivendi ratione, & cibi parcitate emendare, & ventriculum gravatum Hierâ ſimplici Galeni, vel pilulis Maſtichinis Conciliatoris detergere non negligat; pulverem quoque Senæ Montagnanæ ceu capiti inprimis profuturum familiarem ac commendatum habeat. à validioribus medicamentis, niſi magna urgeat neceſſitas, me conſultore, perpetuò abſtinebit. Faxit Deus, ut hæc omnia ſalutaria experiatur; ac valetudine rebúſque omnibus ſecundis ad annos Neſtoreos fruatur. ex pago Spa. 15. Auguſt. 1598.

Medicamenta validiora omnia ſuſpecta.

CON-

CONSULTATIO XXI.

PALPITATIO CORDIS OB FLATUS.

IN

VIRO ORGANISTA CELEBERRIMO.

✶

Palpitatio, quam Dominatio Veſtra circa os ſuperius ventriculi & partim in ipſo corde experitur, à vaporoſa & flatuoſa materia excitatur, quæ dum naturæ moleſta eſt & contraria, ab expultrice facultate vitali per arterias ſummis viribus propellitur; unde peractis coctionibus, flatibúſque diſſipatis, palpitatio illa circa os ventriculi ſuperius, atque etiam ipſum cor & arterias (ob magnum conſenſum quem cor cum ore ventriculi communem habet) denuo ceſſat. *Palpitationis cauſa.*

Inter remedia ad hunc affectum commoda primum & præcipuum eſt frugalitas in cibo & potu, præſertim in cœna. proſcribantur cibi omnes duræ concoctionis, utpote carnes duriores, piſces ſaliti fumo indurati, lacticinia omnia, paſtilia, ova duriora, caſeus, gambari, fructus horarij, allium, raphanus &c. potus ordinarius talis eſto.

Potus ordinarius ex decocto Saſſafras.

R. *Aquæ fontanæ* ℔ ix.
Cinnamomi optimi ℥ß.
Ligni Saſſafras raſparati ℥j.
Indantur in vas benè clauſum, quod dein immergatur *aquæ calidæ*, ubi horis quatuor vel quinque bulliant.

Porrò ſuadeo ut ante hyemem Dominatio Veſtra ſtomachum medicamentis leniter expurgantibus, quæ non debilitent ſed confortent magis, evacuet; in hunc finem ſequens electuarium proderit.

Bolus ex Hiera.

R. *Aloës Roſatæ*,
Specierum Hieræ ſimplicis ana ℈ij.
Miſce cum *aqua Cinnamomi* fiat bolus in nebulis duabus horis ante prandium dandus.

R. *Mellis Roſati* ℥jß. detur cum bolo.

Secundò potiuncula digeſtiva ſeu ſyrupus præſcriptus conducet.

Potio digeſtiva.

R. *Mellis Roſati,*
Juris Zinziberis,
Syrupi è corticibus Citri,
Oxymellis ſimplicis ana ℥ß.
Aquæ Betonicæ,
Meliſſæ,
Menthæ,
Boraginis ana ℥vj.
Miſce. adde
Aquæ Cinnamomi guttas vj. *vel* viij.
Fiat potio ter repetenda.
Tribus diebus continuis manè, ac inſuper ſomnus ineatur, ſi fieri poſſit.

Tertiò potio purgans aſſumatur.

R. *Foliorum Senæ electæ* ℥iij.
Radicis Polypodij ʒjß.
Agarici præparati ʒj.
Seminis Aniſi,
Zinziberis ana ʒß.
Paſſularum ℥ß.
Florum Cordialium ana ℈j.
Decoquantur in *aquæ Boraginis* ℥viij. ad tertiæ partis conſumptionem. Stent per noctem, manè fiat colatura, de qua
R. ℥iijß. adde

Potio purgans detergẽs.

Mannæ,
Mellis Roſati ſolutivi ana ℥jß.
Oxymellis ſimplicis ʒvj.
Adde *aquæ Cinnamomi* guttas x. vel xij.
Miſce fiat potio manè calida ebibenda. poſt horas tres vel quatuor brodium carnis vel piſorum ſuperbibatur.

Hoc Medicamentum ſi per vomitum reijceretur, conſultum ducerem, ut ſequenti die vel non ita diu poſtea denuo repeteretur.

Quartò pro corroboratione ventriculi, ipsáque concoctione promovenda tragéa ſequens accommoda eſt.

Tragéa ſtomachũ corroborans.

R. *Seminis Coriandri præparati* ʒß.
Cinnamomi,
Specierum aromaticarum Roſatarum,

Zinziberis

Zinziberis,
Macis,
Santali Citrini,
Rubri ana ℈j.
Confectionis manus Chriſti ℥iiijß.
Miſce fiat tragéa. poſt menſam pondere ʒj. vel amplius aſſumenda, cum pane biſcocto & aquâ ſuperiùs deſcriptâ madido.

Denique rotulæ ordinatæ ſunt, ad hunc affectum percommodæ, è quibus unum aut alterum manè jejunus uti etiam ante cœnam Dominus Patiens aſſumere poterit.

Rotulæ corroborantes caput & ſtomachum.

R. *Specierum aromaticarum Roſatarum* ʒiij.
Diambræ,
Diamargariti calidi ana ʒj.
Sacchari albiſſimi in aqua Roſarum ſoluti ℥v.
Fiant rotulæ pondere ʒß.

Cæterùm & pilulas præſcripſi, quæ pro expurgatione & corroboratione ventriculi inſerviunt; è quibus aliquoties per annum 15. 20. 30. aut plures cum Melle Roſato aſſumere poterit. pilulæ iſtæ ſunt.

Pilulæ ſtomachicæ expurgantes & corroborantes.

R. *Aloës Roſatæ* ℥iijß.
Pilularum Maſtichinarum ʒß.
Cum *aqua Cinnamomi*,
Fiant pilulæ pondere grani j.

Quæ omnia DEUS benedicat. Monachij. 3. Octobris 1606.

THO-

THOMÆ MERMANNI

CONSULTATIONUM ET RESPONSIONUM

LIBER TERTIUS.

DE VENTRICULI ET INTESTINORUM VITIJS.

CONSULTATIO I.

SALIVA COPIOSA EX VENTRICULI MALA COCTIONE, ET HEPATIS INTEMPERIE CALIDA.

IN VIRO NOBILI.

*

ORis humiditas & ſaliva copioſa in Dominatione veſtra non ex capite omnino decidit, ſed potiſſimùm ex ventriculo (cujus orificium ſuperius ritè non occluditur) aſcendit. Cauſa hujus aſcendentis humiditatis, oriſque ventriculi non occluſi, licèt varia ſit, præcipua tamen conſiſtit in depravata coctione ejusdem ventriculi, hepatis venarúmque meſaraicarum calore præter naturā, quo melior cibi potúsque ſuccus (chylum vocant) nimiùm calefit, & quaſi aduritur. unde evaporatio inprimis multa, ventriculi debilitas, ac tandem impuritas & obſtructio meſenterij, hepatis, atque lienis ſubſequitur; quippe uti vinum recens, dum adhuc in vaſe ebullit ac fermentat, plurimum ſpumæ, aëriſque pervaſis orificium propellit, ita quoque in publicis coctionibus & fermen-

Saliva copioſa non ex capite omnino, ſed potiſſimùm ex ventriculo aſcendit.

Fermentatiões corporis noſtri fermentationibus vini recentis in dolio aſſimilantur.

fermentationibus ob viſcerum internorum calidiorem intemperiem depravatámque eorundem ebullitionem contingunt ſaliva oris plurima, eructationes multæ, crebri faucium ardores, & ſubinde dolores colici vehementes; aliáque accidentia præter naturam plura.

Quæ omnia eum in finem commemoro, ut Dominatio Veſtra partim affectûs ſui originem magis calleat, partim ne in exſiccatione humoris à capite defluentis ſit nimiùm ſollicita; licèt cerebrum à viſcerum inferiorum ebullitionibus, tot tantíſque evaporationibus multùm patiatur, atque exin catarrhis ſubinde & defluxionibus ſit obnoxium. Proinde etiam ſuadeo, ut Dominatio Veſtra à cura ſudorifera ex Ligno Sancto, Saſſafras ſeu Salſapariglia facta (qualis cæteroquin in catarrhis exſiccandis adhiberi ſolet) abſtineat. Cæterùm licèt hic affectus aliquando ob dyſcraſiam viſcerum (dum ventriculus præter naturam debilis & frigidus calida, hepar debitò calidius refrigerantia medicamenta expoſcit) curatu ſit difficilis, eò tamen in Dominatione Veſtra proceſſiſſe non videtur, ut optima victûs ratione, aliisque medicamentis emendari, vitáque favente Numine in multos annos commodè prorogari nequeat.

In cibis vitentur omnia quæ mucoſa ſunt, & difficilis concoctionis, utpote caro ſuilla, bubula, vaccina, niſi hæc valde juvenis & tenera ſit: piſces & caro ſale condita, fumóve indurata: lacticinia, farinacea non fermentata, paſtilia, caſeoſa, fructus horarij crudi, legumina utplurimùm nocent. è contra caro vitulina, caponum, gallinarum, avium excepto anſere & anate, illarúmque quæ in aquis degunt, proſunt. inter herbacea Spinachia, præcipuè Borago & Bugloſſum; uti Lactuca, & Cichorium coctum tempore æſtatis concedi poſſunt. Victûs ratio.

Potus (cujus hìc multum intereſt) ſit vinum Neccaricum vetus, vel in defectu hujus Auſtriacum vetus, dilutum tamen cum aqua ſequenti: Accipe aquæ menſuram unam, coque & ſine aliquantulùm ebullire, indè frigefiat, imponantúrque duo bona fruſtula panis ſiliginei, ita ut colorem exinde ſubflavum & vires extrahat. Quòd ſi verò vinum bonum & congruum Nobilis Vir habere non poſſit, ſuadeo ut ſequentem aquam habeat pro potu ordinario.

Aqua cocta pro potu ordinario.

℞. *Seminis Fœniculi* ℥j.
Coquantur in duabus menſuris aquæ fontis per quadrantem, indè injectis Cinnamomi optimi parùm inciſi ℥vj. amove ab igne, váſque clauſum repone, donec frigeſcat,

tandem duo vel tria fruſtula panis ſiliginei impone, ibique permitte.

Talis aqua meo judicio magis prodeſſet, quàm vinum ſubacidum. Vina dulcia turbida vehementer nocent. cereviſia nigra benè defæcata & clara, concedi poteſt, niſi ſtomachum vel inteſtina diſtentet, quo in caſu etiam ab illa abſtinendum. Interim ſibi perſuaſum habeat, omnem potum qualemcunque, ſi quantitate excedat, obeſſe, cùm ſtomachum laxet, debitam ejus conſtrictionem impediat, ac ſputationes frequentes producat. Corporis exercitium & balnea uti poſt cibi aſſumptionem periculoſa ſunt, ita ventriculo vacuo & concoctione peracta commendantur.

Potus copioſus ſputationes frequêtes producit & auget.

Atque hæc eſt victûs ratio, quam nobili Viro omni modo inculcatam velim. hac enim obſervata, alijs remedijs multis non indigebit; interim tamen cùm ventriculus multa & cruda ſcateat humiditate, conſulo, ut pilulas Aloëticas ſtomachicas ſingulis quatuordecim diebus ad ℥ß. pro vice aſſumat, quas, ſi parùm operarentur, eadem doſi ſequenti die reaſſumere poterit. Suadeo quoque, ut ſingulis diebus trageá aliquâ poſt paſtum pro corroboratione & exſiccatione ventriculi utatur. Plura non addo, cùm iſta hoc tempore ſufficere videantur. imminente verò verno tempore ſi admonear alia præſcripturus. Monachij 15. Junij 1603.

CONSULTATIO II.

IMBECILLITAS VENTRICULI, ET CALORIS NATIVI PENURIA &c.

PRO

SERENISSIMO QUODAM PRINCIPE.

Quandoquidem de ſtatu Valetudinis, ac præcipuè de affectibus præter naturam Serenitatem Suam affligentibus ſententiam noſtrã diffusè coràm expoſuimus, idcirca non eſt, cur longo ſermone eam hoc loco repetamus.

Meminerit Serenitas Sua, nos omnia illa valetudinis incommoda, quæ nobis enarravit, ad unam caloris inopiam, quam varia in vivendi ratione commiſſa errata attulerunt, retuliſſe. Nemo enim

Caloris inopia omniũ malorũ origo.

enim vel mediocriter in arte Medica verſatus dubitârit, ventriculum à moderata ſua temperie ad frigidiorem prolapſum, concoctioníſque alimentorum probè obeundæ minùs quàm olim idoneum cruditates committere, flatus progignere, aſſiduè excrementitiorum humorum copiam inſignem colligere; quo & viſcera obſtruuntur & venoſum genus, cùm à jecore corrigi nequeant, ſanguine crudo & pituitoſo repletur, ac cerebro deſtillationum materia ſuppeditatur. Hinc languor corporis totius, ſpirituum penuria, ac nervorum ad extremos manuum digitos pertinentium anguſtia, refrigeratio, ac torpor.

His malis ut in tempore occurratur, priuſquam ſcilicet in cachexiam, hydropem, vel tabem deſinant (quod Deus avertat) humillimè Suam Celſitudinem monuimus; opus omnino fore, primùm victûs ratione paulò accuratiore, ac deinde auxilijs nonnullis, quorum uſu ventriculus, ac venter totus inferior planè deterſus moderatè calefiat, priſtinùmque ſuum robur recuperet. Propoſita autem inter complura alia fuit aqua Tetuccij vocata, quæ ex Hetruria adfertur alvum deijciens ſine virium jactura, calefaciendo ventri ac flatibus diſcutiendis aptiſſima, decem vel duodecim diebus alternis pota, quâ non mediocriter adjutum iri Serenitatem Suam confidimus. cùm autem medicamenta penè omnia ſumma cum difficultate ſumere poſſit, opera ſedula danda erit, ut ea ſeligantur, quæ minima cum moleſtia, ac nullo cum faſtidio primam corporis regionem vacuent, atque aquæ iſti medicatæ, quò promptè eluatur, viam præparent.

Aqua Tetucciana alvum deijcit ſine virium jactura, calefacit ventrem & flatus diſcutit.

Cæterùm cùm Scammoniata, aliáque id genus fortiora in exigua doſi porrigi ſolita, ceu ventriculo incommoda probare non poſſimus, Rhabarbari ſelecti extractum, cujus Sereniſſimus Princeps mentionem fecit, facilè admittimus, & nequaquam cum fæculenti vini liquore, ut Paracelſus jubet; paratum. placet autem quem Geſnerus tradit extrahendi modus, ita ſe habens.

Rhabarbari extractum cum ſuccoBoraginis & Bugloſſi.

R. *Rhabarbari electi fragmentoſi* ℔j.
Minutim incide, & craſſiuſculè tere, & affunde *ſucci depurati Boraginis & Bugloſſi ana* ℔ij. relinque per 24. horas, poſtea coque ad lentum ignem, donec exſtet & emineat *Rhabarbarum*, exprime deinde fortiter, & expreſſam decoctionem per laneum colatorium tranſmitte, & exprime, ut ſubſtantia in colatorio remaneat, colaturam coque ad mellis conſiſtentiam, adjectâ *Sacchari optimi* ℥j. quidam in Balneo Mariæ ad

 ſpiſſitudinem

ſpiſſitudinem coquunt ne aduratur, quod præſtat, quemadmodum & in duplici vaſe. detur degglutiendum cum gutta *olei Cinnamomi* & *Aniſi* admixtum & azymo involutum, faciendo periculum in doſi à ℈ij.

Sed quoniam Rhabarbarum per ſe parùm purgat, præſertim decoctum, veremur, quòd alvum movere, quantùm res poſtulat, extractum hoc poſſit; proinde vino aliquo medicato ſimpliciſſimo, quod palato ingratum non eſſet, contenti ad Tetuccianam procederemus; conſtaret id ex ſola Sena Alexandrina ſelecta addito Zinzibere & comâ Abſinthij vino infuſis, vel ſi guſtui Abſinthium minùs arrideret, loco ejus Carduus benedictus, Salvia, Roſmarinus, Ceterach, Lingua cervina, ac cortices Tamariſci ſumerentur. Corpore per ejuſmodi vinum ſæpius aſſumptum purgato, quiete unius diei interpoſitâ, aqua Tetucciana à ℔ vj. uſque ad ℔ viij. (plùs minùs) more Italico conſueto convenientiſſimè potaretur diebus alternis, clyſtere die intermiſſionis ex eadem aqua cum Saccharo & oleo Amygdalarum amararum injecto.

Vinum medicatum ſimpliciſſimum.

His peractis, ſi necdum reſtitutus ſibi, ac planè ex ſententia habere videbitur Sereniſſimus Princeps, de thermis, aliiſque remedijs inſtitui poterit deliberatio. Interea temporis ſuademus, ut in ventriculi regione continuò geſtet emplaſtrum ex Ladani puriſſimi partibus duabus, Ceræ parte una, & Maſtiches pauxillo confectum. eo nativus calor inſtaurabitur, robúrque ventriculo non pœnitendum adijcietur. Eundem uſum præſtabit, ac caput unà roborabit confectio Imperatoris vocata, palato gratiſſima, cujus hæc eſt deſcriptio.

Emplaſtrum ſtomachale nativum calorem reſtaurans.

Morſelli Imperatoris.

℞. *Cinnamomi recentis* ℥iij.
Zinziberis ℥j.
Caryophyllorum,
Galangæ,
Piperis longi ana ℥j. ʒj.
Cardamomi ʒij.
Nucis moſchatæ ʒvj.
Macis ℈ij.
Ireos Florentinæ ℥ß.

Omnia incidantur groſſo modo, de quibus ſumito ℥jß. adde ℔ß. *Sacchari*, fiant morſelli cum albumine ovi.

Commendamus quoque Zinziber, Calamum aromaticum, ac Helenium conditum, quorum unum, quòd maximè placuit, manè jejuno ventre, atque interdum veſpere deguſtari poterit. Monachij 12. Junij 1601.

C O N-

CONSULTATIO III.

COCTIO IMPERFECTA; CORPORIS EXTENUATIO, FLATUUM COPIA.

PRO PRINCIPE QUADAM SERENISSIMA GRAVIDA.

*

Corporis affectus, quibus Sereniſſima Princeps in hac gravidatione detinetur, utpote decolor facies, corporis extenuatio, flatuum copia, ventris nimis maturè magna intumeſcentia, ſitis continua, omnes tanquam ex una radice oriuntur; mala nempe, tarda, & imperfecta ventriculi coctione, ob quam multæ cruditates, humoréſque præter naturam in toto corpore ſubnaſcuntur; & quamvis aliquid boni ſanguinis generetur, trahitur illud tamen à fœtu in ſui alimoniam; unde neceſſum eſt, gravidæ corpus nutrimento deſtitutum gracileſcere, atque faciei colorem immutari in pejus. Neque dubitandum eſt, quòd præter bonum ſanguinem etiam vitioſus confluat verſus uterum, fœtui tam quoad nutritionem, quàm vires non parùm noxius, qui cùm & unà flatus ſuſcitet, ventrem nimis & immaturè extendit.

Gravidationis morboſæ deſcriptio.

Quòd ſi meditemur, ex qua cauſa ventriculus Sereniſſimæ Principis malè coquat, atque illa, quæ divinus & antiquiſſimus Hippocrates *Lib.6. Epidem. Sect.4.* ſcribit: (*illos nempe, quibus ventriculus præter naturam calidus eſt, extrinſecus carnes habere frigidas, graciléſque eſſe, ex defectu ſolummodo boni, & perfecti ſanguinis*) ſedulò expendamus; non parùm ſanè de tali aliquo calore præter naturam in ventriculo (immo & in hepate quoque) Sereniſſimæ Principis exiſtente ſuſpicamur: cujus quidem ſitis continua ſufficiens præbet indicium. Si quis verò dubitaret, an ventriculus in Sereniſſima Principe præcalidus eſſe poſſet, quoniam à flatibus Sereniſſima perpetuò infeſtatur, & calor ille præſuppoſitus flatus meritò diſſipare, & conſumere deberet, præcipuè cùm flatus eſſe non poſſint, ubi ma-

Quibus ventriculus calidus eſt, extrinſecus carnes habent frigidas & graciles.

gnus calor, vel frigus intenſum adeſt; huic reſpondemus, quòd à nobis, hoc loci non aliquis calor ventriculi urens, vel febrilis intemperies, ſed calor præter naturam, & extraneus intelligatur talis, qui ad coctiones, & conſumptionem humiditatum, ex quibus poſtea flatus exoriuntur, inutilis ſit, atque coctiones malè, & infeliciter peragat malorum ſcilicet ſuccorum procreator. calor enim, ut Medici nôrunt, ad hoc, ut omnium totius corporis præcipuum ſit inſtrumentum, naturalis, ſuavis, & mediocris eſſe debet; ſecus ſi fiat, boni exin efficitur nihil. Interim hanc aliâſque depravatæ concoctionis cauſas Suæ Serenitatis Medicos dudum agnoviſſe, atque remedia congrua inſtituiſſe nîl dubitamus; attamen cum clementiſſimè nobis injunctum fuerit, ut noſtram quoque opinionem hîc ſubijceremus, paucis id præſtare voluimus judicio Clariſſimorum Suæ Serenitatis Medicorum meritò ſubijciendam.

Calor ventriculi extraneus, coctiões turbat, flatus gignit.

Calor naturalis, corporis præcipuum inſtrumentum, ſuavis eſt, mediocris &c.

Primò exiſtimamus tum ad humorum expurgationem tum flatuum imminutionem ſequentem purgatiunculam congruam fore.

Potio purgans pro gravida.

R. *Mannæ* ℥ij.
Diſſolve in *aqua Plantaginis* q. ſ. adde
Rhabarbari electi ʒj.
Pulveris corticum Myrobalanorum citrinarum ℈j.
Syrupi Myrtini ʒß.
Miſce fiat potio.

Balſamus embryonum, ſæpius adhibitus, ſuſpectus nobis eſt aliquatenus, qua de cauſa nunquam niſi ex conſilio Medicorum adhibendus. Ad flatus diſcutiendos inſerviet optimè pulvis ex Zedoaria, Ebore, Succino albo, corticibus Aurantiorum, Oculis cancrorũ præparatis, & quantũ in cuſpide cultri capi poteſt unà cum brodio caponis manè aſſumptus. Eundem in finem utile erit Electuarium, caſtaneæ magnitudine, manè & ſerò devoratum ſequens.

Balſamus embryonum ſæpius adhibitus in gravidis ſuſpectus eſt.

Pulvis ad flatus diſcutiendos in gravidis.

Electuarium ad flatus in gravida.

R. *Conſervæ florum Roriſmarini* ℥ij.
Roſarum Damaſcenarum ℥j.
Corticum exteriorum Citri conditorum abjectâ pulpâ carnosâ minutim inciſorum ʒx.
Raſuræ Eboris,
Nucis Moſchatæ raſæ,
Margaritarum præparatarum ana ℈j.
Specierum aromaticarum Roſatarum ʒß.
Diambræ ℈ß.
Miſce cum momento *Julapij Roſati* fiat electuarium.

Rotulæ

Rotulæ ex ſpeciebus Diarhodon Abbatis, Diamargariti frigidi ana part. æq. cum Saccharo in aqua Roſarum diſſoluto factæ, atque ſubinde una alteráve deglutita proderunt. Nuclei Perſicorum aliquot manè comeſti flatus quoque diſcutiunt. In vino ordinario pro potu cortices Citri, vel folia Salviæ infuſa ſummopere quoque huic affectui reſiſtunt, præcipuè verò huc faciunt cortices Citri in ore ſæpe & diu detenti maſticati, ac demum deglutiti. Exteriùs Sua Serenitas utiliter emplaſtrum ſibi apponi curabit, quod ex Ladano, olei Nucis Moſchatæ, coagulo leporis, & lapide Ætite compoſitum eſt; vel panem parùm toſtum, vino, & aromatibus Cinnamomo, Caryophyllis, Maſtiche, Roſis rubris, Corallis, ſemine Myrtillorum & ſpeciebus Diarhodon Abbatis aſperſum. Pari pacto, immo magis confortat fœtum, ſi fruſtum carnis vitulinæ ſemiaſſatum, & dictis aromatis conſperſum ventri apponatur.

Rotulæ ad idē.

Cortices Citri in ore maſticati & deglutiti flatus diſcutiunt.

Emplaſtrum in gravida ad flatus diſcutiendos.

Partu tandem enixo (quod ut feliciter cedat, à DEO Optimo Maximo ardenter exoramus) acidulæ proderunt, corpore priùs, uti decet, benè purgato; proderunt autem Schwalbacenſes, vel Griesbacenſes, vel Bruzzenſes, quarum optio judicio Medicorum Suæ Serenitatis à nobis lubenter, uti omnia alia, quæ hactenus attulimus, permittuntur &c. Monachij 2. Auguſti 1605.

Acidulæ ad hepatis & ventriculi calorem temperandum.

CONSULTATIO IV.

TARDA VENTRICULI COCTIO, UNA CUM FLATUUM PROVENTU.

PRO

VIRO ILLUSTRI.

Ad Medicum amicum.

AD binas litteras tuas uno tempore reſponſurus, non utar excuſatione, cur ſeriùs id faciam, quando pro noſtra neceſſitudine mutua, tuæque naturæ facilitate putem licuiſſe mihi tecum eſſe negligenti in re ſaltem, quæ moram facilè pateretur. licèt negligentiæ tardi-tatem meam nemo facilè adſcripſerit, cui graviſſimæ occupatio-nes,

nes, animíque moleſtiæ, quæ ab aliquo tempore me undique circumvolârunt, perſpectæ ſint, & cognitæ. Verùm aliquando uti alijs miſerijs, ita dabit DEUS his quoque finem. Venio jam ad litteras tuas. Illuſtrem Dominum noſtrum communem ægrum flatibus copioſis ſolitísque evaporationibus aliquando divexari ſcribis. Flatuum cauſam, quam vulgò ſtatuant Medici, quamque Galenus multis in locis tradat, notum eſt. Unum mihi notatu dignum videtur, quod LeonardusJacchinus diligenter monet, non temerè ſcilicet eſſe admittendam eorum ſententiam, qui ſine diſcrimine affirmant, tepida eſſe, quæ flatus gignant, quando & calor auctior eorum cauſa eſſe poſſit, modò tantus non ſit, ut vaporem extenuatum diſcutere valeat.

Calor auctior, flatuum cauſa eſſe poteſt.

De cauſis tantam copiam flatuum in Illuſtri hoc Viro procreantibus ita ſentio. Ventriculus frigidior alimenti plus debitò appetens, idque perfectè non concoquens, humores pituitoſos, craſſos colligit, id quod exeuntia teſtantur, dum vel blando enemate leviter ſtimulatâ naturâ, plurima craſſa, viſcida prodire perpetuò conſpiciuntur. Calor hepatis & meſenterij ſatis vegetus atque paulò intenſior, quem tum alia, tum verò urinæ aduſtionibus plenæ, ac tinctæ arguunt, dum in pituitam viſcidam agit, eámque totam evincere nequit, magnam ejus partem in halituoſum ſpiritum ſolvit, qui niſi per ſuperiora, inferioráque excluderetur, vel ventriculi inflationem, vel majora mala facilè inveheret.

Flatus quomodo fiant?

Ad hoc verò plurima facere corporis otium conſuetique exercitij intermiſſionem non immeritò ſuſpicari licet; dum enim Illuſtris Dominus intra parietes ſe continet, vitamque ſedentariam agit, quis dubitat, pauco corpus ejus nutrimento egere, cùm pauca admodum fiat attractio, atque diſſipatio? Mirum igitur videri non debet, ſi in victu pleniori, ciborúmque valde nutrientium uſu humores ſuperflui coacerventur, quæ nec vomitu nec per alvum excluſis flatibus atque evaporationibus materiam ſuppeditent. Quòd verò nuper flatus ac fæces ſolitis fœtidiores fuerint, id, niſi ab aſſumptis fœtorem aliàs inducentibus proveniat (cujusmodi ſunt Allium, Erucæ, Porri, Ova aliáque innumera &c.) indigeſtioni ex ſententia Avicennæ non tamen conſummatæ, vel (ut Rhaſis loquitur) digeſtionis debilitati adſcribendum eſt. Teſtatur hoc Alexandri quoque authoritas, qui *Primo problematum* humana ſtercora alijs fœtidiora ſcribit, quòd homines varijs, ac multis cibis veſcantur, eósque malè concoquant, animalium verò ſylveſtrium fæces, quòd ſimplicioribus alimentis vivant, & multùm exerceantur, longè minùs fœtere.

Fœtor fæcum indigeſtionis debilitati adſcribendus eſt.

Fæces hominũ cur fœtidiores ſint animãtium brutorũ?

Efficit

Efficit quoque graveolentiam putrefactio, ut Philoſophi & Medici teſtantur, nec non ciborum in inferiori ventre corruptela, ut voluit Gal. 1. *de Sympt. Cauſis, Cap.* 4.

Fœtorem quo que inducit putrefactio, ciborumque in inferiori ventre corruptela.

Omnes hæ tres cauſæ in Illuſtri Domino noſtro concurrere poſſunt, ſcilicet debilis coctio, putrefactio, & ciborum corruptela. Verùm non omni tempore, unde raró etiam fœtor ille excrementorum obſervatur. De putrefactione tamen cautè apud Illuſtrem Dominationem ſuam loquendum eſt, ne cùm alioquin nimis ſit ſolicitus, pernicioſam aliquam ſibi imaginetur putredinem; quando de tali hîc putrefactione loquor, quæ ſi valde non excedit, in latitudine ſanitatis reperitur, actionéſque manifeſtè non lædit.

Medicus in explicatione cauſarum apud magnatesalióſque ſuſpicioſos cautè loquatur.

Cùm hæc ita ſe habeant, non difficulter vel ipſemet Dominus Illuſtris intelliget ad moleſtias haſce profligandas duo potiſſimùm opera requiri; materiæ ſcilicet genitæ evacuationem, & ejuſdem, ne rurſum coacervetur, præcautionem. Materia genita eſt pituita craſſa, viſcoſa; omnium optimè ex inteſtinis extergetur ſolito enemate, ex brevioribus intervallis hoc eſt decimo vel duodecimo quoque die tota hac hyeme ad vernum uſque tempus; ſi verò id ſatis non eſſet, leve aliquod medicamentum, palatóque non ingratum commendo, quod craſſos & retorridos humores blandè, ac ſine agitatione expurgaret. cujusmodi eſſent paſſulæ laxantes hunc ferè in modum paratæ.

Paſſulæ laxantes.

℞. *Foliorum Senæ ſelectæ* ℥ij.
Radicum Polypodij querni,
Cinnamomi,
Zinziberis
Caryophyllorum ana ℈ij.
Florum Boraginis,
Bugloſſi ana ℙij.
Decoquantur in ℔ij. *aquæ* ad medietatis conſumptionem colaturæ expreſſæ adde
Sacchari ℥ix.
Rurſum coquantur ad formã julap. cui indantur *Paſſularũ vino albo lotarũ* ℥vj. reponantur ad fictile. earũ capiantur Cochlearia duo magna,immediatè ante prandiũ, ſuperbibatur jus caponis, vel,ſi haberi poſſit,pulli. ſi vim earũ ſegniorẽ experiatur, repetantur ante cœnã, vel die ſequenti, medicamentũ eſt ſuave, mihíque valde uſitatũ, diverſimodè tamẽ pro diverſitate affectuũ paratũ.

Quòd ſi verò electuarium gratius fuerit, cum decocto deſcripto è paſſulis pulpa extrahi, pérque ſetaceum rubrum tranſmitti, ac Saccharo pòſt ad electuarij formam inſpiſſari poterit, cujus

Paſſulatum ſeu potiùs Electuarium paſſulatum.

℥ij. ex cochleari facilè ſumentur. Hæc ad pituitæ ſeu cauſæ materialis ablationem ſatis eſſe poſſe exiſtimo.

Ad novum verò proventum ejus prohibendum procuranda inprimis optima ventriculi concoctio, vitando ea, quæ pituitoſa ſunt, difficultérque concoquuntur; de quibus, cùm aliàs à nobis abundè ſint expoſita, errorémque in ijs nullum admitti perſuaſum habeam, nihil ſcribam ampliùs; unum duntaxat ab Illuſtri Domino petens, ut nimirum alimentis nonnihil adimat, ad corporis exercitationem multum adijciat: omnino enim exercere ſe, debito tamen tempore, ac modo, debebit quotidie vel domum ambulando, vel, cùm tempeſtas arridebit, foras exſpatiando, ſub ſereno tranquillóque cælo. Hinc nativus calor diſtribuetur, ſanguinis fuligines per cutis ſpiracula vacuabuntur, membra externa nutrimentum ab internis attrahent potentiùs, nec tanta poſthac in ventre ſupervacaneorum humorum copia redundabit. Veriſſimum autem eſt, quod Celſus ſcribit: *Ignavia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam ſenectam, hic longam adoleſcentiam reddit.* Ad jecoris calorem nonnihil fortè excedentem temperandum placerent Cichorij radîces Sacchаro conditæ, quæ & hepar recreabunt, & ventriculum lædere non poterunt, ſaporis verò & odoris gratiâ quarta illis pars corticum Citri Sacchаro conditorum adijciatur.

Detractio alimẽti & majus exercitium, humorum proventum impedit.

Ignavia corpus hebetat, labor firmat.

Hepatis calorem temperant Cichorij radices conditæ.

Tragéæ groſſæ, aliorúmque carminantium loco ſemen Coriandri præparatũ, ſemen item Aniſi Sacchаro leviter incruſtati ſubſtituantur pari pondere, eorúmque uſus nec immoderatus ſit, nec aſſiduus. De potiuncula illa ex aquis deſtillatis cum ſucco Limonum ſic ſentio, eam ſcilicet mederi ſymptomati, hoc eſt, prohibere evaporationem, ac proinde in ventriculo mundo ſubinde concedi poſſe; ſed cautè, & non niſi in æſtate urgente ſiti, ne ſcilicet pituita altiùs impingatur. De faciendis in Vere proximo, ſi ex toto non revaluerit Illuſtris Dominus, ſuo tempore conferemus, vel ego ad vos excurram coram tecum diligenter deliberaturus, vel tamen (quod malim) jámque in te recepiſti, nos hîc inviſes. cogita interea de uſu aquarum Aponitanarum, quem ego corpori probè mundando, atque ventriculo inprimis roborando convenientiſſimum fore ſperarem. Ante omnia verò Illuſtrem Dominum ad deponendas curas, nimiámque ſolicitudinem etiam atque etiam meo nomine horteris, ſi qua minùs ad voluntatem ipſius eveniant, commendet ea Divino Numini, patientiáque levius faciat, quod corrigere nefas eſt. De affinis tui affectu tecum planè ſentio, putóque materiam Oxymellite ſcyllitico incidendam & extenuandam, ac deinde Hierâ Pacchij extirpãdã, ſi modo vires ejuſce ſint, quæ validioris medicamẽti vim perferre queant. Vale, Mon. 2. Feb. An. 1600.

Limonata, uti vocant, impuro ventriculo cautè adhibenda.

Aquæ Aponitanæ.

CON-

CONSULTATIO V.

VENTRICULI PRAVA COCTIO, ALIAQUE ACCIDENTIA EX PENURIA CALORIS NATIVI.

PRO VIRO ILLVSTRI.

*

OMnia valetudinis tuæ incommoda probè intellexi, ac diligenter perpendi; ſed vix inveni morboſum in te affectum qui uſque adeò ſit notabilis, multò minùs periculoſus: excepto forſan renum calculo, ac urinæ ſtillicidio. Virum te quinquagenarium poſt multa & longa equeſtria itinera, poſt aſſiduas capitis & animi labores à calore naturali paulatim deſtitui, & per conſequens memoriam in te, auditum, omnéſque alios ſenſus tum internos tum externos imminui, mirum non eſt, nec præter naturam: res naturales omnes, ut noſti, terminum habent durationis, & ad interitum vergunt omnia. Interim iminutio caloris nativi (qui omnium operationum in homine cenſetur opifex) lentæ & imperfectæ coctionis in ventriculo cauſa eſt, atque adeò unica radix, ex qua omnia dein incommoda valetudinis tuæ ſuccreſcunt.

Res naturales omnes terminum habent durationis.

Nam pituita in ventriculo copioſè genita, dum poſtea in maſſam ſanguineam diſtribuitur, neceſſariò varios affectus à phlegmate dependentes producit; hinc cerebri intemperies frigida, & exin ſenſuum omnium hebetudo: hinc vertigo, catarrhi: hinc pectoris repletio unà cũ tuſſi & multo ſputo ſuboriuntur. prædictũ quoque phlegma in ventriculo cumulatum, appetitum tibi adimit, &, dum ob moram ſalſedinem induit, ſiticuloſum reddit: partim verò dum in vaporoſum flatum reſolvitur, ac in ſuperiore parte ventriculi detinetur, ardorem ſtomachi, de quo conquereris, producit.

Phlegma copioſum multorum ac variorum ſymptomatum cauſa.

Fit porrò, ut ventriculus flatuum multitudine gravatus ſeſe aperiat, ructúsque & ſputa multa unà cum ſcreatu emittat; ubi ſedulò notabis, copioſum hoc ſputum non à capite ſolùm (uti plerique putant)

Sputa copioſa plerumque ex ſtomacho.

putant) ſed magna ex parte ex ſtomacho per gulam ſeſe effundere.

Quoniam verò præter ſtomachi debilitatem hepar à natura calidius nactus es, haud mirum, phlegma in prima coctione abundè generatum, & tranſmiſſum hepati (ubi peccata chylificationis corrigi non poſſunt) perpetuam materiam obſtructionibus ſuppetere, atque adeò majoris incaleſcentiæ tum in hepate tum in renibus, ut qui plerumque hepatis intemperiem æmulantur, cauſam exiſtere. ex quo tandem etiam humore viſcoſo phlegmatico aduſto calculus renum enaſcitur, magno ſæpe cum dolore per anguſtias ureterum in veſicam perreptans: ubi ſi ſubſiſtit, urina ut difficulter vel etiam guttatim reddatur, occaſionem præbet.

Hepatis calidioris effectus præter naturam.

Cæterùm quamvis in tali ſtatu valetudinis nunc conſtitutus ſis, minimè tamen dubitandum eſt, quin aſpirante Numine optimis adhibitis remediis vita diutiſſimè protrahi poſſit. Inſtrumenta quibus utitur ars Medica tria ſunt: diæta, ſeu victûs ratio, medicamentorum uſus, & chirurgia. in diæta ſeu victûs ratione primò occurrit aër, qui, ubi moratur Dominatio tua, incommodus eſt, frigidus ſcilicet & horridus: interim cùm locum, hoc tempore, mutare non poſſis, vitabis omnem aërem frigidiorem præcipuè turbidum pluvioſum & ventis nimis agitatum, quantùm potes & ratio muneris tui permittit. hypocauſta calidiora uti etiam aër nocturnus valde obſunt. De cibo & potu ſciendum eſt, & probè advertendum, omnem ſuperfluitatem maximè eſſe nocivam, convivia omnia proſcribenda, cœnam temperatiorem prandio eſſe debere: tota etenim cura in eo conſiſtit, ut ventriculus non obruatur, ſed coctionis ſuæ munus, eo quo fieri poteſt meliori modo, perfectè obeat. itaque quæ difficulter concoquuntur, aut ſi quæ crudum glutinoſum & ſanguinem melancholicum generare poſſunt, omittenda ſunt. Lacticinia, paſtilia, farinacea, frixa, ova dura; albumina ovorum, caro ſuilla, bovina, cervina, ſalita, fumo indurata, piſces omnes, præterquam lucij parvi, trutæ, thymali, percæ, & funduli prohibentur. limaces nunquam, gambari ſeu cancri raró admittuntur. ab aromatis abſtinendum excepta Mace in pauca quantitate adhibita. rapæ, olera, evitanda, uti etiam acetaria cruda. herbacea ex Spinachia & Boragine ſubinde conceduntur; nec obſunt pruna dulcia ſaccharo benè inſperſa, uvæ paſſæ minores & majores ac paucæ amygdalæ aſſumpta.

Potus erit vinum Neccaricum, ſed mixtum quarta vel etiam tertia parte cum aqua, cui poſtquam ebullierit, & denuo refrixerit, panis injectus ſit cibarius, ita ut coloratior & ſapidior exin reddatur. inter prandium & cœnam à potu quantùm fieri poteſt, erit abſtinendum: pro arcenda ſiti fruſtulum pomi Aurantij, vel uvæ paſſæ, vel ceraſa

Remedia ad ſitim fallendā.

ceraſa acida condita in ore aliquamdiu detenta inſervient. cœna nõ inſtituatur niſi peracta concoctione & à prandio elapſis horis ſeptem; quòd ſi contingeret, ut nec tũ concoctio abſoluta videretur, differẽda erit adhuc aliquamdiu ciborum aſſumptio. Præterea optimum ſi foret ſemel aut bis in hebdomade cœnam intermittere, & nihil niſi juſculum hordeaceum benè coctum, vel juſculum ex vitello ovi, vel contuſum accipere; & ſi fieri poſſet, à potu omnino abſtinere, ad hoc ut, in quo cardo rei vertitur, ventriculus omnia ritè concoquat, & cruditatibus non obruatur.

Optimum eſt ſemel aut bis in hebdomade cœnam ex toto intermittere.

Corporis Exercitium adeò neceſſarium eſt, ut nulla die intermitti debeat; in quem finem ante menſam ſemper ſeſe exerceat Dominatio tua vel deambulationibus, ſi tempus faveat, vel ſi tempeſtas turbida & pluvioſa hoc impediat, domi ligna ſecando, vel ſimili aliquo ſibi grato opificio ſe moderatè occupet.

Medicamentorum uſu Dominatio tua ex toto carere non poteſt, ſive illa ſint evacuantia, alterantia, aut corroborantia: ac proinde ſuaſor ſum, ut bis in anno Veris ſcilicet tempore & Autumni potiuncula aliqua purgante corpus evacuet. tempore verno ſequenti utaris.

Purgans potio Verno tempore ordinaria.

R. *Foliorum Senæ electæ* ℥ß.
Seminis Aniſi,
Zinziberis ana ℈ij.
Paſſularum ℥ß.
Florum cordialium ana Pj.
Decoque in ℥viij. *aquæ fontis* ad tertiæ partis conſumptionem, ſtent per noctem, manè fiat colatura, & in ℥iiij. diſſolve
Mannæ,
Mellis Roſati laxativi ana ℥jß.
Miſce fiat potio.
Ebibatur manè calidè priùs bene commixta, poſtea ſi placet, per horam unam ſomno iterum indulgeatur; ac tandem juſculum gallinæ non ſalitum hauriatur.

Laxante hoc aſſumpto, ſyrupum in tres partes diviſum, tribus diebus ſucceſſivis, manè, in juſculo pulli, vel gallinæ diſſolutum accipias, ſomnóque denuo pro lubitu inhæreas.

R. *Syrupi de Cichorio cum Rhabarbaro*,
Mellis Roſati ana ℥ij.
Oxymellis ſimplicis ℥jß.
Miſce ad tres doſes.

Syrupus præparans.

Tandem humoribus ita præparatis, potiuncula purgante utaris.

Potio purgans alia magis leniens & detergens.

R. *Foliorum Senæ electæ* ʒij.
Agarici præparati ʒj.
Pulpæ Tamarindorum,
Paſſularum ana ʒij.
Fructuum Sebeſten N°. v.
Radicis Liquiritiæ,
Seminis Aniſi,
Zinziberis ana ʒß.
Florum Boraginis,
Anthos ana ℈j.
Decoquantur in *aquæ fontis* ℥viij. ad tertiæ partis conſumptionem, ſtent per noctem, manè fiat colatura ad ℥iiij. in his diſſolve
Mannæ ℥ij.
Rhabarbari electi jamiam pulveriſati & aquâ Cinnamomi irrorati ℈ij.
Miſce fiat potio.

Tempore Autumni, eadem prorſus methodo ſequentibus remedijs corpus præparabis, & expurgabis.

Potio autumnalis purgans.

R. *Electuarij Diacatholici* ʒv.
Mellis Roſati laxativi,
Mannæ ana ʒx.
Cum *aqua Boraginis* fiat potio.

R. *Syrupi è Boragine*,
Betonicæ,
Mellis Roſati ana ℥iß.
Oxymellis ſimplicis ℥j.
Miſce.

R. *Radicum Polypodij quercini* ʒjß.
Liquiritiæ ʒj.
Foliorum Senæ ʒij.
Tamarindorum,
Paſſularum ana ʒiij.
Florum cordialium ana ℈j.
Decoquantur in *aquæ Boraginis* ℥viij. ad tertiæ partis conſumptionem, ſtent per noctem, manè fiat colatura ad ℥iiij. in his diſſolve
Mannæ,
Mellis Roſati laxativi ana ℥iß.
Electuarij lenitivi Florenzolæ ʒiij.
Miſce.

Quibus

Quibus remedijs corpus ſufficienter purgatum iri equidem ſpero; cùm verò in tam debili ſtomacho dubium non ſit, quin nova ſemper excrementa & cruditates ſubnaſcantur, ex quibus dein renum calculi efformantur, pilularum ſubmitto quantitatem, quibus per intervalla ſtomachum reliquáque viſcera blandè expurgabis.

Electuarium confortans pro corroboratione viſcerum ſimile, aliquoties in ſeptimana aſſumptum profuturum ſpero. Electuarium confortans.

R. *Conſervæ Roſarum Damaſcenarum* ℥iij.
Florum Anthos,
Betonicæ,
Salviæ,
Paralyſeos ana ℥ß.
Specierum aromaticarum Roſatarum ʒiß.
Diambræ,
Eboris præparati,
Succini præparati ana ℈j.
Corticum extimorum Citri conditorum ℥ß.
Calami aromatici conditi ℥ß.
Syrupi Granatorum dulcium q. ſ.
Miſce; fiat Electuarium per modum opiatæ.

Ventriculum corroborabis inunctione ſimili. Inunctio ventriculi corroborans.

R. *Olei Maſtichini*,
Menthæ,
De Abſinthio,
Roſarum ana ℥j.
Nucis Moſchatæ expreſſæ ʒij.
Liquentur ad ignem, & cum pauxillo *ceræ* fiat linimentum.

Pro renum contemperatione inſerviet tale linimentum. Unguentū pro renum contemperatione.

R. *Vnguenti Roſati Meſue*,
Infrigidantis Galeni ana ℥ij.
Miſce.

Chirurgica denique præſidia quod attinet, multis Dominatio tua non indiget; niſi quòd ſuaderem ut tempore Veris in Majo vel Aprili venam tibi medianam vel epaticam ſecare curares, & pro eventilatione aliqua ſanguinem mitteres ad ℥iiij. vel v. DEUS Optimus ſuâ gratiâ adſiſtat. Monachij 11. Maij Anno 1610.

CON-

CONSULTATIO VI.

VENTRICULI INTEMPERIES FRIGIDA CUM COPIOSA PITUITA.

PRO

SERENISSIMA QUADAM PRINCIPE.

Corporis otium, mentis immodica exercitatio, alimentorum varietas, neceſſariò in corpore ſeditiones ac cruditates ſuſcitant.

Monet Hippocrates morbos fieri, cùm cibus laborem labórque cibum ſuperat. Mirum igitur non eſt, Sereniſſimam Dominam in iſto corporis otio, mentis immodica importunáque exercitatione in victu lauto, alimentorúmque Principibus conſueta varietate, ſeditionem quandam in corpore (ut idem Hippocrates loquitur) excitante, ingentem in ventriculo cruditatum ac pituitæ copiam collegiſſe, è qua tanquam è radice dolores, compreſſiones, rheumatiſmi, febriculæ aliáque valetudinis incommoda enata fuerint. Confirmat hoc veriſſimum illud Senis dictum: *ventris impuritas omnium confuſio.* cùm pituita à nativo calore attenuatur, partímque in craſſum vaporem vertitur, à diſtentione ventriculum dolere, in ea præcipuè parte, ubi ſpinæ dorſi annectitur, pectus comprimi, ptyaliſmum quem vomitus non ſequatur oboriri neceſſe eſt; dum pars ejus venas meſenterij conſpurcat, levi concepta putredine febriculam gignit, accedente præſertim bile aliqua, quæ tanquam admotâ face pituitam ſuccendat, id quod urinæ ante evacuationem ſubcrocei coloris ictericium quid minantes arguebant. Quæritur de loco generationis tam abundantis ſubìndéque ſuccreſcentis pituitæ; num in ventriculo gignatur, an aliunde à cerebro nempe in eum defluat? rectè & verè reſpondent Excellentiſſimi DominiDoctores,nimirũ & in ventriculo illã naſci,& àcapite deſcendere; ſed unde iſthæc copia, novúsque poſt remedia prudenter adhibita, colligi iſte cenſendus eſt apparatus? ventriculus complurium annorum decurſu, ob crebras cruditates, omiſsáque corporis exercitia, quibus calorem nativum excitatum, roboratúmque oportuit, ſeipſo factus frigidior, ſuccum ſibi ſimilem frigidum nempe gignit aſſiduè, haud dubiè ex adverſo calidum & bilioſum procreaturus, ſi foret idem calidior.

Ventris impuritas omnium confuſio.

Bilis tanquam admotâ face pituitam ſuccendit.

Ventriculus frigidus copioſæ pituitæ author.

Intemperies

Intemperies itaque frigida tanti pituitæ proventus incuſanda veráque conſtituenda eſt cauſa. quod verò & ventriculi hic morbus crebris cerebri rhevmatiſmis, occaſionem præbeat, nemo inficias iverit, qui, quod ſumma cognatione cum cerebro ventriculus ſit, non ignorat. De ratione, quâ ventriculi vitio caput repleatur pituitâ, de vijs item, quibus excrementa in caput rapiantur, teſte Hippocrate, ac rurſus in ſubjectas partes quaſcunque contigerit, fluant, non eſt hujus loci, ubi cum doctiſſimis viris agitur, diſſerere.

Ventriculus cum cerebro ſumma cognatione conjunctus eſt.

Vnum Sereniſſimam Dominam lubet monere, ne ſcilicet meliuſculè habens ſeipſam impoſterum negligat, ſed corpus & præcipuè ventriculum tantæ ſaburræ feracem ſuſpectum habeat, atque quaſi tempeſtatem à longè adventantem proſpiciens, auxilia, quibus eam effugere poſſit, ex arte, & Methodo ſibi paranda curet.

In topicis atque empyricis præſidijs, ſpem omnem repoſitam habere, planè eſt Principe tantâ prudentia prædita indignum; quin potiùs in eam curam incumbat, ut accurata ac parciore diæta cruditates poſt hac præcaveat, ac ſatis ſupérque per alvum & ventrem purgata, convenienti corporis exercitatione planè neceſſaria vapores per cutis ſpiracula, tanquam vias naturæ beneficio ad id paratas evacuet. Hoc verò tempore, quæ ſuperſunt pituitæ reliquiæ attenuandæ detergendæ, perque idonea loca, per vomitum ſcilicet & ſeceſſum educendæ. Abhórret à medicamentoſis, at ex melle Hiſpanico optimóque aceto coctum Oxymel, aromate aliquo ut Cinnamomo & pauco Zingibere conditum ingratum palato certè non erit. ſi adderetur aliquid juſculi caponis vel gallinæ ad parvulum hauſtum manè porrigendum, incideret pituitam ac detergeret, quam poſt tres quatuórque dies deturbaret feliciter bolus iſte, vel ei non abſimilis.

Principes ſæpè ſuæ curationis momenta in empyricis conſtituunt, ſed inconſultò.

Oxymel gratum.

Bolus laxans.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis Galeni* ℈ijß.
Eleſcophi grana xij.
Cum *aqua Cinnamomi* fiat bolus, nebulis involutus affuſo *jure Zinziberis conditi.*

Tantilla medicamenti moles (niſi fallimur) devoraretur haud difficulter, repeteretúrque bis térve præmiſſo Oxymellite. Nemo eſt rei medicæ adeò imperitus. qui remedium iſtud extergendo, roborando ventriculum, atque adeò liberandis obſtructionibus inprimis accomodatum eſſe non noverit. Aliud valde nobis probatum erit, pulvis Senæ præparatæ Montagnanæ; is juſculo caponis ferventi noctu infundatur, colatum jus manè ſorbetur haud inſuaviter. Vtile quoque, evporiſtum Germanis familiare erit Senam probè electam, & Mechoacæ radicem, nec non ſi placet aliquid

Pulvis Senæ Montagnanæ infuſus.

Turpethi cum Zinzibere & herbulis ac floribus, qui Sereniſſimæ palatò non ſint adverſa infundere, taléque vinum ſæpè ex juſtis, ſed brevibus intervallis, manè poſt ſimplex juſculum ſumere. Continuata iſthæc auxilia, quamdiu Clariſſimis Viris videbitur, accedente rectò cibi potúſque uſu, dolorem ventriculi receſſurum, cæteráque ſymptomata diſpáritura ſperamus ac confidimus. Id ſi non ſucceſſerit, aquam medicatam montis Latini, quam de Tetuccio vocant, nobis hiſce in locis familiarem ex Italia adductam proponimus potandam: ventriculum probè eluet, ac flatibus exploſis bellè roborabit.

Aqua Tetucciana.

Quod reliquum eſt, ſanguinem ſi miſſus adhuc non eſt, mittendum omnino cenſemus, niſi quid prohibeat, obſtétque, quo minùs huic artis inſtrumento locum eſſe præſentes Sereniſſimæ Medici cenſeant; quam Præpotens DEUS incolumem præſtet, ſervétque diutiſſimè. Monachij die 30. Aprilis. Anno 1608.

CONSULTATIO VII.

DE EADEM PRINCIPISSA.

AD

MEDICUM QUENDAM ILLUSTREM.

ILluſtris ac Clariſſime Vir Domine amice obſervande &c. Cùm primum litteras tuas ac conſilium de invaletudine Sereniſſimæ Principis perlegi, protinus in tuam de morbo, cauſis, & remedijs ſententiam conceſſi, ac præcipuè ſcriptum illud tuum accuratum doctúmque mirificè & probavi & dilaudavi. ita ut quod illi adijciam, nihil pœnè occurrat; memini me jam ab annis aliquot elapſis, obſervâſſe, Principis hujus Virginis corpus totum non parùm diſſimile factum, ac proinde temperamentum Principum partium non mediocriter immutatum; pro humida enim craſi nativa, diſcraſiam longè humidiorem ac morboſam inductam eſſe nihil dubito. Calorem quoque naturalem, qui olim vegetior erat, ventriculi præſertim, ob aſſiduam illam cruditatum collectionem, hebetiorem redditum jure optimo ſtatuendum eſt. Prudenter igitur planéque ex arte factum eſt ab Excellentia tua, quod dum oculo medicinam facere cogitabant, priùs in totius corporis proviſionem ſedulò incumbendum cenſuerit.

In porro

In porro agendis ante omnia rectam vivendi rationem ab Excellentia Tua præſcriptam neceſſariam eſſe affirmo, & mecum Viri Clariſſimi Collegæ mei, ſine qua remedia, quantumvis idonea, utilitatem non magnam ſunt allatura. placet quoque venæ ſectio ob phlethoram quandam ſanguinis crudioris in iſto vitæ otio, victúque forte paulò largiori contractam.

In medicamentis commendamus Agaricum Maſtiche correctum, tanquam domeſticum ac blandum; verùm cùm eum in cienda alvo ſatis inefficacem experiar, ut qui cumpluribus diebus continuis ſumptus, doſi unius ſcrupuli, ſemel vel bis duntaxat ventrem laxare ſoleat, idcirco Aloëm Soccotrinam adijcere ſuadeo, nec non pulveris Hieræ ſimplicis Galeni; eſſet profectò hic triumviratus ex Agarici crudi albiſſimi, Aloës Soccotrinæ, ac ſpecierum Hieræ ſimplicis Galeni pari conſtans pondere, Sereniſſimæ Principi maximè commodus ex brevibus intervallis, vel certè menſis unius ſpatio, ſemel atque iterum admiſſus: id quod reor, ut in tanta à medicamentis averſatione ſitis impetraturi. Vbi verò paulò amplius evacuandi occaſio ſe dederit, non diſplicet radicis Mechoacæ pulvis, addito Zinziberis & Cinnamomi momento, convenienter porrigetur tertio quoque menſe vel certò quarto. Proponit Excellentia tua in litteris ſeorſim ad me datis uſum aquæ Tetuccianæ, hujus vires accuratè exponit, meam de illis exquirens ſententiam; verbulo dicam: mihi in corpore iſto pituitoſis excrementis pleno, cruditatúmque atque impuritatum feraciſſimo accomodatius occurrit nihil. quod remedium, ſi therapia aliqua ſudorifera, quam Excellentiſſimi Medici N. N. ſuaſerunt, mox ſequeretur, valetudini univerſæ corporis iſtius apprimè conſultum fore, equidem ſperaverim. Deus Optimus Maximus ei incolumitatem longiſſimam, omniáque fauſta ac ſecunda concedat. Tu Vir Doctiſſime vale, méque quod facis multùm ama, ac Sereniſſimis cum opportunum erit commenda. Rationem Tetuccianam potandi aquam hiſce adjunctam habe, quam ego Sereniſſimæ convenientem fore ſentio: neque enim omnibus idem modus, doſiſque eadem eſt accomodata. ſequitur.

Pilulæ ex Hiera, Agarico & Aloë ad ventriculum commodæ.

Mechoacæ pulvis.

Aqua Tetuccij & Cura ſudorifera.

Ratio potandi aquam Tetuccianam, Eidem Sereniſſimæ Principi obſervanda.

Purgato per idonea medicamenta corpore ac quiete nonnulla unius nempe & alterius diei interpoſita, aquam potare incipiat hunc in modum procedendo. Primùm aquæ ea doſis, quæ ad unam potationem ſatis eſſe videatur, per linteolum mundum percoletur. deinde in cantharo argenteo vel ſtanneo calefiat aquæ calenti impoſita. offerantur 5. vel 6. unciæ ex ſcypho vitreo, inijciendo ei ſalis ℨj. leviter per octavam partem horæ inambulet in conclavi,

deinde tantundem aquæ cum ℈j. ſalis exhauriat. poſt octavam horæ partem ſimilem hauſtum ſumat, at ſine ſale. quod poſt duos primos hauſtus omittendum. pergat bibere ad libras medicinales circiter ſex ſi promptè per alvum elui cæperit, tres tantùm hauſtus inſuper bibat; quod ſi verò difficulter per alvum ſecedat, plus aquæ bibendum atq; ad lib. viij. uſque perveniendum, loco ſalis ℥ij. Mellis Roſati laxativi ſumi poterunt in primo tantùm ſcypho diluendæ, id quod in hoc corpore omnino ſuadeo. ſequenti, hoc eſt, ſecundo die ſub veſperam injiciatur clyſter.

Clyſter ex aqua Tetuccij & alijs paratus.

℞. *Herbæ Malvæ*
Florum Chamomillæ ana Mj.
Seminum Aniſi ℨijß.
Cymini ℨß.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ de Tetuccio* ad ℔j in colatura dilue
Mellis Roſati ℥ijß.
Olei Olivarum ℥iij.
Salis ℨß.
Miſce.

Tertio die potetur aquâ eodem planè modo, quo primo. quartò repetatur enema. ſic pergendo, mutatis ſemper vicibus, donec 8. vel 9. diebus aqua ſit aſſumpta, totidémque clyſteres injecti. Obſervandum aquæ hujus potationem horâ quintâ matutinâ inchoandam, duabus verò horis plùs minùs abſolvendam eſſe, intérque bibendum in hypocauſto modicè inambulando, cavendo ſudorem. quod ſi aqua per alvum non facilè reddatur, plus Mellis Roſati Laxativi primo poculo indendum erit; ſi nimium evacuarè videbitur, minùs Mellis injiciatur. ſi verò hiſcè aqua exturbari non queat, ab ea deſiſtendum, & medicamento purgante, quod illius in ventre retinetur, educendum erit. Animadvertendum præterea eſt, ſi in minori doſi v.g. tribus vel quatuor libris aqua expeditè per alvum effluerct, tunc ultra ttes vel quatuor ſcyphos amplius potandos nō eſſe, poſsétque ſic libris quinque cum dimidia, potatio illius diei abſolvi, poſt redditam aquam in lectulo duabus circiter horis quieſcendum ſine ſomno. exin prandendum valdè parcè. quod toto hujus therapiæ tempore obſervandum. Cibus ſit jus caponis & pullus gallinaceus, vel columbinus elixus. Pro potu ſint ſatis duo vitra vini Neccarici aquâ, cui panis ciborius ſit infuſus, diluta.

* * *

CON-

CONSULTATIO VIII.

PITUITÆ, ET INDE FLATUUM COPIA. IN CORPORE MELANCHOLICO.

PRO

VIRO ILLUSTRI.

Temporis anguſtiâ excluſus, ac epiſtolis in Italiam, aliáque loca hodie ſcribendis occupatus, multis reſpondere de Nobiliſſimi Domino morbo, ejúsque remedijs porrò adhibendis, nequeo: ſed neque longo ſermone opus eſt, ea repetere, quæ in ſcripto meo Germanico diffusè abs me ſunt expoſita. Quæritur hoc tempore de flatibus præcipuè ac pituitæ ſuccreſcentis copia. flatuum cauſa, poſcit remedia illis depellendis idonea. Pituita (haud dubiè) ab alimentorum vitioſa concoctione gignitur;malè autem concoquunt melancholici omnes, ob caloris inopiam, & membrorum principum inæqualem dyſcraſiam. flatus ſine calore non fiunt, ſed infirmior ineſt, quàm qui diſcutere eos poſſit. *Melancholici omnes malè concoquunt.*

Remedia hactenus exhibita multa quidem fuerunt, ſed ferè clementiora omnia & benedicta à claſſicis auctoribus nuncupata; his forte extirpari morbus radicitus non potuit, licet magnam ejus partem ſuſtulerint; ſin animus Domino Patienti eſſet, aliud experiri haud paulò efficaciùs, quod & ante hac ipſi propoſui, ſed uſum ejus non urſi; certus ſum ſine periculo omni ac metu futurum. eſt verò ejuſmodi: Stibij in vitrum hyacinthini coloris, redacti grana vij. in vini malvatici ℥vj. macerentur per noctem, manè dimidia pars vini probè colati porrigatur, repetatúrque uno die interpoſito, ſi placet. *Autimonij infuſio.* Pituitam ac bilem copiâ inſigni abſque moleſtia effatu digna vomitu reijciet. Pauci dies ſunt elapſi, cum tale vinum Nobili Virgini porrexi, cum fructu nequaquaquam pœnitendo, ac ſine virium jactura notabili: ter id adſumpſit, quod & noſter ægrotus abſque periculo (ſat ſcio) faciet. atque hoc dictum ſit de auxilio potenti, ad pituitæ craſſæ, hoc eſt melancholicum ſuccum æmulantis,

ac circa partes ventriculo vicinas hærentis expulſionem atque àver-runcationem,quæ levioribus fortè hucuſque obtineri non potuit. ſed ſi quieſcere hoc tempore, atque à medicamentorum uſu ſuperſedere omnino velit; ut & ipſemet, & Excellentiſſimus Dominus Medicus domeſticus ſcribit, neque id improbo, aut cum majoris mali periculo conjunctum cenſeo, præſertim ſi pilulis Aloëticis, vel Hiera Themiſonis apud Aetium *Lib.6. Cap.9.* commendata uti ſubinde non gravabitur, ſicut & clyſteribus moderatè pituitam abſtergentibus, flatúſque diſcutientibus non valde calidis.

Pilulæ ex Hiera Themiſonis.

Roborando ventriculo ejúſque calori inſtaurando ſine hepatis offenſa opiata hæc, vel ei non abſimilis, commodare non parùm poterit, palato non ingrata.

Electuarium ventriculum roborans calefaciens ſine hepatis noxa.

R. *Conſervæ Roſarum Damaſcenarum* ℥iiijß.
Florum Roriſmarini ℥iijß.
Corticum Citri extimorum Saccharo conditorum & inciſorum ℥jß.
Specierum Lætificantis Galeni ʒj.
Aromaticarum Roſatarum,
Diambræ ana ʒß.
Caryophyllorum inciſorum ʒj
Syrupi è corticibus Citri qß.
Fiat electuarium, inſtar opiatæ. doſis ſit ſemiuncia manè devoranda, ſuperbibendo duas vel tres uncias vini cui Abſinthium vulgare ſit infuſum.

Hactenus de præſidijs morbum ejúſque cauſas præcipuè reſpicientibus; nunc nonnulla ſubijciam ad ſymptomata propulſanda magis accomodata, ad pectoris nimirum preſſuram, dolorémque ventriculi à flatibus ſubinde oboriri ſolitum.

Julapium ſtomachale flatus diſcutiens.

R. *Aquæ Cinnamomi optimi* ℥vj.
Menthæ,
Meliſſæ ana ℥iij.
Olei vitrioli potabilis ritè præparati gutt. xij.
Cinnamomi guttas vj.
Syrupi è Mentha ℥jß.
Miſce. de liquore iſto ſumantur duo vel tria cochlearia, vel etiam quatuor, manè interdum etiam ante cænam. flatus educet, ſicut & pulvis qui ſequitur:

Pulvis ad idem.

R. *Cinnamomi acuti* ʒß.
Zinziberis ʒij.
Seminis Cymini,

Piperis,

Piperis,
Caryophyllorum,
Galangæ ana ℥j.
Sacchari albiſſimi ℔ß.

Omnia pulveriſa & miſce. dimidium cochleare ex juſculo calido ſorbeatur jejuno ventre.

Eundem uſum præſtabit ℈ß. ſpecierum Diagalangæ (omiſſo Liguſtico) eodem modo exhibitus.

Loco iſtorum placet & hoc

R. *Vini optimi deſtillati, hoc eſt, aquæ Vitæ* ℥j. — Aqua vitæ melle dulcificatum.
Mellis Roſati colati ℥vij.

Doſi ℥j. utatur manè probè commixtis.

Nec diſplicet oleum ſeminis Carvi, Aniſi, Fœniculi: eorum tamen uſum velim eſſe rariorem.

Semen Carvi modico Saccharo incruſtatum ſæpius mandere licebit, tempore matutino, & veſperi ante cœnam.

Cùm ventriculus dolore urgetur, inungi utiliter poterit, iſtis oleis:

R. *Olei Amygdalarum amararum,* — Inunctio ad flatus ventris.
Anethini ana ℥ij.
Olei Seminis Aniſi ʒij.

Miſce.

Alijs temporibus ventriculo roborando multùm profuerit tale linimentum:

R. *Olei Nucis Moſchatæ,* — Inunctio corrob. ventriculum.
Menthæ
Abſinthij,
Anethini ana ʒij.
Macis,
Maſtiches,
Caryophyllorum ana ʒß.
Ceræ parùm.

Miſce fiat linimentum.

In victûs ratione quod rurſus moneam, non habeo: vitet ſatietatem, cruditatem, ad menſam non accedat, niſi exercitium corporis præceſſerit: hoc enim ventriculus roboratur teſte Hippocrate & Celſo. Triſtitiam ac cùram deponat, quantùm id fieri poterit. DEUS auxilijs noſtris cæleſtem gratiam benignè adjungat. dictatum celeriter Monachij. 14. Decembris. Anno 1604. — Exercitium debitum ventriculum roborat.

* * *

CON-

CONSULTATIO IX.

DOLOR VENTRICULI, ALIARUMQUE PARTIUM EX FLATIBUS ET PITUITÆ ABUNDANTIA DEPENDENS,

PRO ALIQUA MONIALI.

*

QUod Admodum Reverenda Domina Prioriſſa circa regionem ventriculi dolorem ſentiat vehementem, qui à cartilagine xiphoidis ad gulam, & aliquando in brachia uſque ſe extendit, condolenter intellexi. Equidem exiſtimo talia ex abundante pituita ventriculum obſidente, & exin proveniente copiâ flatuum oriri. Itaque ſuadeo ut pro curatione hujus mali horâ unâ ante cænam ſequentibus utatur pilulis.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis* ℈j.

Cum *Aqua Cinnamomi* fiant pilulæ N°. xv.

In cœna nil præter juſculum gallinæ admittat: altero die manè potiunculam purgantem ebibat tepidè; quam ſi vomuerit parùm refert, cùm multam ſine dubio pituitam ſimul eijciet; interim non improbarem, ut, ſi vomuerit, potiunculam hanc denuo noviter factam reaſſumeret aliquando.

Potiuncula ad dolorem & flatus ſtomahi.

R. *Mannæ* ℥ij.

Diſſolve *in aqua Chamomillæ* ℥jß.

Vini Malvatici ℥j.

Addendo *Olei Amygdalarum amararum recenter expreſſi* ʒiij.

Miſce fiat potio.

Poſt hæc ſyrupum præparantem in tres partes diviſum, tribus diebus continuis, manè unà cum juſculo gallinæ ſumat, maneatque jejuna uſque ad tempus prandij.

Syrupus præparans,

R. *Mellis Roſati*,

Juris Zinziberis conditi ana ℥iij.

Miſce.

Syrupo hoc conſumpto, pillulas conſulo paulò fortius purgantes, & ſummo manè deglutiendas, quibus ſi placet ægra iterum ſuperdormire poterit.

R. *Spe-*

R. *Specierum Hieræ Pachij* ℥j.
Cum *Melle Roſato ſolutivo fiant pilulæ* N°. xv.
Deaurentur.

Indè per aliquot dies quieſcat ægra, ac tandem nodulo laxativo ſequenti utatur.

Vinum medicatum.

R. *Foliorum Senæ electæ* ℥jß.
Agarici crudi minutim inciſi ℥ß.
Zingiberis inciſi,
Specierum Eleſcophi ana ʒij.
Comarum Abſinthij,
Florum Chamæmeli ana ℈j.
Ligentur in linteolo & fiat ſacculus purgans, cui affundatur menſura una ſeu libræ tres *vini Neccarici albi*, ſtent in hoc calido per horam unam, poſtea reponantur in cellam pro uſu.

De hoc vino ſingulis vel alternis diebus (prout nimirum purgatio ſucceſſerit) manè, aſſumpto priùs gallinæ juſculo, uncias circiter ſex vel ſeptem bibat ægra tepidè, horâ circiter ſextâ matutinâ.

Tandem conſultum quoque erit, ut Reverenda Domina Prioriſſa, poſtquam ſufficienter purgata eſt, pro corroboratione & flatuum diſcuſſione ſimilibus utatur rotulis.

Rotulæ contra flatulentias.

R. *Sacchari albiſſimi* ℔ß.
Diſſoluti in *aqua Menthæ & Cinnamomi* & cum ʒj. *Olei Seminis Aniſi*
Fiant rotulæ pondere ʒj.

Diæta erit exacta. Lacticinia, paſtilia inhibentur: juſcula gallinarum, caro pullorum vitulorum &c. conceduntur: vinum Neccaricum pro potu inſerviat, cereviſiâ & aquâ prorſus abdicatâ. Monachij 13. Auguſti.
Anno 1607.

CONSULTATIO X.

VOMITUS FREQUENS PITUITÆ, OB VENTRICULI INTEMPERIEM FRIGIDAM, EJUSDEMQUE DEBILITATEM.

Vomitum, quem Illuſtris Domina ſæpenumerò multis diebus continuis patitur, majori ex parte pituitoſum, dubium non eſt à ventriculi frigida intemperie, ſeu caloris nativi inopiâ laborante, nec non ab aſſumptis varijs unicâ refectione ciborum generibus, quorum pars aliqua coctionem ſubterfugit, procedere, cùm Domina ſit corpore cætera ſano, ac nullius primarij viſceris læſionem ullam præſeferente. Etſi autem vomitus iſte magnopere moleſtus non eſt; & valetudini conducere magis quàm officere videtur, præſtaret tamen coctionem perfectiùs celebrari, atque ea ratione humorum, qui vomitu reijciendi ſunt, apparatum nullum colligi; ne fortè temporis ſucceſſu expultrice facultate ignaviori redditâ, ventriculi dolorem ac diſtenſionem, vel, per viſcera & ſanguinem diſtributi, obſtructiones, febres, aliáque valetudinis incommoda progignat. Nolim autem medicamentis calidis ac validis aſſumptis calorem ampliùs hebetari, ſed victûs ratione cauta, magíſque accurata, quidquid eſt vitij, emendari. Ciborum verò delectus is ferè conveniens erit, qui Domino Marito eſt à me diffusè perſcriptus; unum duntaxat admoneo, & ſuadeo, ut cœna brevi & frugali utatur, unico ferculo, vel duobus ad ſummum contenta, à bellarijs aliiſque dulcibus, in poſtrema menſa apponi ſolitis, abſtineat. Ad medicamenta quod attinet, laudo, ut quater in anno hanc aſſumat potiunculam.

Calida medicamenta & valida, ventriculi calorem imbecillem ampliùs hebetant.

Potio purgans valde delicata.

R. *Pulveris Senæ præparatæ* ℨvjß.

Coquantur in juſculi pulli macri ℥x. ad tertiæ partis conſumptionem, ſtent per noctem, manè colentur ſine expreſſione.

Colaturæ R. ℥vj. adde

Oxymellis ſimplicis ex Melle optimo parati ℥ß.

Fiat potio capienda quatuor horis ante prandium.

Præterea

Præterea ſingulis menſibus, haſce pilulas duabus duntaxat ante prandium horis, magno cum valetudinis emolumento devorabit.

Pilulæ ſtomachicæ.

R. *Aloës Roſatæ* ℈ij.
Maſſæ pilularum Maſtichinarum ℈j.
Specierum Diagalangæ grana v.
Cum *aqua Menthæ* formentur pilulæ N°. xv. deaurentur. capiat ex cochleari affuſo jure Zinziberis conditi.

Præter leves haſce evacuationes laudo, ut verno tempore Saphena dextri, autumno verò ſiniſtri pedis vena ſecetur, ac ſanguis fluat, quantum præſenti Medico ſatis videbitur. In ventriculi regione ceratum geſtet ex Ladani puriſſimi partibus duabus, & Ceræ albæ una paratum, & ſuper alutam diſtenſum. hæc ſatis eſſe ad minuendam paulatim vomitionem, ejúsque materiam præcavendam confido. Datum in pago Spa 16 Auguſti 1598.

Venæ ſectio in pede.

CONSULTATIO XI.

INAPPETENTIA, ET PALPITATIO CORDIS, OB BILEM VENTRICULI ORIFICIO INHÆRENTEM.

PRO

NOBILI FOEMINA.

*

QUamvis in hiſtoria nuper nobis tranſmiſſa, mentio facta non ſit, quî ſe habeant in Dominatione Veſtra pulſus, urinæ, alvi excrementa; tantum tamen intelleximus, quòd duo præcipui Dominationis Veſtræ affectus (qui ſunt potùs cibíque Inappetentia, & dein cordis Palpitatio) unam eandémque agnoſcant originem, humores nempe bilioſos & pituitoſos; illos ſcilicet, qui pauco abhinc tempore acceſſi febrem induxerant; nunc verò ventriculi tunicis ac maximè ori ſeu parti ſuperiori ejuſdem impacti, inappetentiam ſuprà dictam efficiunt. Ac quoniam cum ore ventriculi (ut vulgò notum) maximus eſt cordis conſenſus, ita ut in omnibus morbis, os ventri-

Cordis maximus eſt conſenſus cum ore ventriculi.

culi afficientibus, cor ſimul afficiatur; fit etiam exinde, ut Dominatio Veſtra cordis quoque palpitationem ſuſtineat, ab humoribus prædictis eorundémque exhalationibus dependentem.

Proin niſi cauſa illa fovens, ac humores tum ventriculo aliíſque vicinis concoctionum viſceribus impacti, ſubmoveantur; timendum ſanè erit, ne cor tot impuris pravíſque vaporibus perpetuò obrutum tandem fatiſcat, calidóque ſuo vivifico unà cum hepate paulatim depauperatum, crebras ac periculoſiſſimas Lipothymias ſuſtinere cogatur, aut certè hydropis tandem cauſa neceſſariò exiſtat.

Cor calore depauperatum hydropis initium.

Ex quibus apparet, ſummopere neceſſarium eſſe, ut Dominatio Veſtra ad aſſumenda medicamenta ſeſe perſuaderi ſinat, ſéque præſtet ſedulò obedientem. Scammoneata, licèt in parva quantitate adhiberi ſoleant, nullo modo probo, ſed Hieram, Agaricum, Rhabarbarum, Senam, Mannam laudo; & placerent mihi pilulæ ſequentes.

Scammoneata ſuſpecta.

Pilulæ ſtomachicæ.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis recenter diſpenſatarum* ℥ij.
Agarici præparati,
Rhabarbari electi ana ℥j.
Miſce fiat maſſa cum *aqua Menthæ*.

Doſis ſit ʒj. offerenda in pilulis xxx. vel quot ægræ placuerint. deaurentur. item

R. *Mellis Roſati ſimplicis*,
Oxymellis ſimplicis ana ℥j.
Dentur cum pilulis.

Pilulas verò has, bis in ſeptimana, Dominatio Veſtra devorabit; quibus ita bis acceptis, potiunculam ſequentem adſumat.

Potio purgans bilem & pituitam.

R. *Foliorum Senæ* ℥ij.
Agarici præparati ʒj.
Zinziberis,
Seminis Aniſi ana ℈j.
Macis ℈ß.
Paſſularum ℥ß.
Florum cordialium ana Pj.
Omnia decoquantur in ſufficienti quantitate *aquæ Boraginis* ad tertias, poſt 6. vel 8. horas colentur, de colatura R. ℥iiij. his infunde
Rhabarbari electi ʒj.
Cinnamomi pulveriſati ℈ß.
Stent per noctem, manè colentur cum valida expreſſione, adde

Mannæ

Mannæ ℥ij.
Oxymellis ſimplicis ʒvj.
Miſce fiat potio.

Hanc potiunculam (poſtquam bis, uti dictum, pilulis uſa eſt) adhibeat; quam ſi evomat, parùm intereſt, quia etiam per vomitum debita & congrua fiet evacuatio; interim tamen repeti deberet iterum ſequenti die. quâ proinde ſemel debitè acceptâ, ſuadeo, ut venam in manu ſiniſtra, ſalvatellam vocant, incidi ſibi curet, ac ſanguinis quantitatem aliquam, pro virium conſtitutione, emittat.

Venæ ſectio ex ſalvatella.

His ita peractis, aliquoties ſcilicet pilulis aſſumptis, ac potiunculâ illâ ad minimum bis adhibitâ, vinum denique medicatum tali modo parari poterit.

Vinum medicatum purgans cum aqua Boraginis lymphatum.

R. *Foliorum Senæ electæ* ʒvj.
Agarici præparati ʒij.
Radicis Mechoacæ optimæ ℥ß.
Zinziberis inciſi ʒj.
Florum Boraginis,
Bugloſſi ana ℈ij.
Comarum Abſinthij vulgaris Mß.
Radicum Cichorij recentis ℥ß.

Ligata in ſyndone infundantur in ℔ij. *vini albi*, adde *Boraginis aquâ deſtillatâ*. ℔ß. ſtent in loco calido per noctē denique aſſerventur in cella vinaria; manè porrigatur hauſtus v. vel vj. unciarum, poſt aſſumptum juſculum.

Victûs quod attinet rationem, non dubito quòd ſufficienter ſit informata; præcipuè autem cavebit lacticinia, paſtilia, frixa, caſeoſa, & ſimilia; fructus item recentes, omniáque, quæ flatus & cruditates generant. Monachij 3. Septembris 1603.

Victûs ratio.

* * *

CONSULTATIO XII.

ANOREXIA, SINGULTUS, NAUSEA, FEBRICULA NOCTURNA.

PRO SERENISSIMA PRINCIPE.

Ad Collegam Medicum.

Quæ Sereniſſimæ ac Clementiſſimæ Dominæ noſtræ de communi conſilio obtuliſti remedia, conſulta admodum accommodatáque fuêre, mihíque eo nomine probantur quàm maximè: diſplicet verò, ac dolet, affectus corporis, quibus conflictatur, ita contumaces eſſe, ut præſidijs quantumvis efficacibus nec dum cedere velint.

De Anorexiæ, Singultûs, Nauſeæ, Febriculæ nocturnæ, ac totius corporis languoris cauſis non eſt, quòd ſcribam hoc tempore, repetiturus alioquin, quæ cùm aliàs ſæpe ſæpiùs, tum proximè noſtris inconſultationibus, ceu indubitata uno ore conſtituimus. Cauſam pituitam eſſe craſſam, glutinoſam, ac multam nemo negaverit: mirari autem quis poſſet, quî ſuccorum peccantium apparatum in tanta cibi parcitate colligere, collectúmque absque noxa manifeſta, ac querela effatu digna circumferre, atque in ſinu (ut ſic loquar) geſtare tot menſes, ne annos dicam, Princeps potuerit. Verùm qui vitam ejus antè actam, otioſam illam, ac ſedentariam, aſſiduam mentis occupationem, ac fatigationem perſpectam habet, ac cognitam, is facilè intelliget nativo calore ſopito, atque unà cum ſpiritibus à ventriculo, ac reliquis viſceribus nutritioni dicatis avocato, atque ad cerebrum magna in parte accerſito improbas, imperfectásq; concoctiones quotidie factas, cruditatúmque indè proventum ingentem coacervari planè debuiſſe; cùm præſertim alimentis Celſitudo Sua victitaverit minimè euchymis, ſed vitioſis ferè ac ſæpe crudis. Innocentes autem fuiſſe humores iſti videri hactenus potuerunt,

Mentis occupationes ventriculo calorem & ſpiritus detrahunt.

donec

donec adſtrictâ per admiſſum in templo frigus cute atque prohibitâ fuliginum abundantium vacuatione ac perſpiratu, febriculam, concepta putredine excitârunt. ſic *cauſam mortis* (quod Fernelius annotavit) *multos annos circumferimus ignari, ac ſæpius interiùs ſordeſcit, quod ſplendeſcit exteriùs.* Mihi ſanè animus dudum præſagivit, optimam Principem hac vivendi ratione, omni ferè corporis exercitatione animíque recreatione ac hilaritate carente, incolumem diu nequaquam futuram, atque morbo difficili, cujuſmodi hic certò eſt, tandem implicandam eſſe, atque hinc toties melioris diætæ mentio injecta. Occurrere nempe frequenter mihi ſolebat Marſilij illud Ficini: *ſub dio vivere, ſub tecto putreſcere.* Spero tamen, Deo Optimo Maximo favente, Dominam noſtram ex malis hiſce & eluctaturam brevi, atque impoſterum valetudini ſuæ meliùs conſulturam.

Mortis cauſam multos annos circumferimus ignari, ac ſæpiùs interiùs ſordeſcit, quod ſplendeſcit exteriùs.

Sub dio vivere, ſub tecto putreſcere.

Ad remedia quod attinet, cùm inter nos conveniat, ac conſtet, ventriculi atque ſtomachi fibras pituitâ infarctas non craſsâ modò, ſed quæ putreſcens aliena qualitate infecta ſit, quámque Natura averſetur, ac venæ in ſe vix trahant: idcirco ſpem in Tettuciana aqua, purgato rurſus corpore, tribus vel quatuor alternis diebus potata non exiguam collocaverim. Eam verò ad reſiduæ materiæ coctionem ac ventriculi corroborationem ac putredinis correctionem, rectiſſimè ſequeretur Abſinthij ac Chamædryos uſus hunc ferè in modum.

℞. *Aquæ Boraginis & Bugloſſæ* (humectantes ſunt cum partium tenuitate) *ana* ℔ß.
His incoque ad tertias
Foliorum Abſinthij vulgaris,
Chamædryos ana Mj.
Dulcorentur *Rhodomelle.*
Doſis ſint duæ unceolæ ſummo manè ſumendæ, ut ſomnus rurſus ineatur.

Abſinthij & Chamædryos decoctum ad pituitæ putreſcentis correctionem ſervit.

Quanta vis Abſinthio ſit ſuo tempore adhibito, in revocanda amiſſa appetentia, coctionéque ventriculi juvanda, nemo eſt qui neſcit. Non negligantur interim clyſteres alvum emollientes ac modicè abſtergentes: quarto quoque die, vel intervallo etiam longiore placeret, omiſſis aliquamdiu validioribus, medicamentum ex Rhabarbaro, hac vel ſimili formula paratum.

Abſinthium appetentiam & coctionem juvat.

℞. *Radicum Cichorij recentis,*
Bugloſſi ana ℥vj.
Galangæ ℈j.
Seminum Aniſi,
Fœniculi ana ℥ij.

Paſſulatum evacuans deobſtruens, ventriculum & jecur roborans.

Foliorum

Foliorum Meliſſæ,
Menthæ,
Florum Boraginis,
Bugloſſi,
Roriſmarini ana Mß.
Corticum Citri ℥iß.
Schænanthi ℈j.
Foliorum Senæ ℥ß.

Coquantur in *aquæ Boraginis*, *Bugloſſi ana* ℔j. ad tertiæ partis conſumptionem, poſt horas x. colentur, colaturæ ℔j. infunde
Rhabarbari electi pulveriſati ℥ß.
Cinnamomi acuti ℈ij.

Quieſcat nocte tota, manè coletur cum expreſſione, adde *pulpæ Paſſularum extractæ cum vino* ℥ij. *Sacchari albiſſimi* quantum fuerit ſatis, fiat electuarium inſtar Opiatæ, doſis ſit ℥j. duabus ante prandium horis.

Sine moleſtia evacuabit, obſtructiones, quæ non deſunt expediet, ventriculum ac jecur roborabit.

Victûs ratio. In victûs ratione, quod ego moneam vos viros in arte Medica exercitatiſſimos juxtà atque oculatiſſimos, non habeo. haud dubiè cibus paucus ac valde nutriens, cujus commendatione multa opus non ſit, conveniens fuerit. Contuſa, hordeata, juſcula in quibus ovorum conquaſſata vitella, paucus panis intritus fuerit, ſorbeantur. Memini Sereniſſimam olim dum utero gereret ac lipothymijs vexaretur, pauciſſimo cibo aliquot ſeptimanis vixiſſe, nulla inſigni virium proſtratione, quòd paucis Natura contenta. ſi carnes averſetur, piſciculi ſaxatiles apponantur, ſuaviter aceto, & Arantiorum ſucco conditi. ex ſalitis quoque illis, qui ex Italia afferuntur (Sardellas vulgò appellant) unus & alter concedantur, præter cappares vel pauculas olivas. raphani momento, ſi haberi poſſit, non abhorruerim. Verùm ut ſimul hæc apponi menſæ queant, ita ſimul, magnáque copia devorari minimè velim. placet in cibis allij modicum, & recens Fœniculi ſemen, aceto ut moris eſt, conditum, tam ante quàm poſt cibum. Vinum merum, quando nec ſapit, neque explendæ ſiti idoneum, neque capiti infirmo tutum, ventriculo verò cibis vacuo ac ſenſibili ob acrimoniæ ſuæ metum ſuſpectum ſit, aquâ cui aliquid de ligno Saſſafras optimo incoctum ſit, largè diluendum cenſeo: id enim vi ſua aromatica roborabit, appetentiã (quæ ſingularis prærogativa huic ligno adſcribitur) excitabit &

Natura paucis contenta.

Pituitoſis acetoſa conveniunt.

Saſſafras decoctum roborat, & appetitum facit.

obſtru-

obſtructiones expediet. Habes doctiſſime Collega,quæ mihi in mentẽ venêre de Sanctæ Noſtræ Dominæ valetudine ad te ſcribenda &c. Sereniſſimi Ducis Maximiliani nuptiæ ſucceſſerunt ex ſententia. Nancei 9. Febr. 1595.

CONSULTATIO XIII.

CRUDITAS ET ARDOR STOMACHI.

PRO PRINCIPE QUODAM SERENISSIMO.

✱

OMnia incommoda, quibus Sereniſſimus Princeps hoc anno potiſſimùm affligitur, ex eadem radice enaſcuntur, nempe ex defectu bonæ coctionis in ventriculo peragendæ. Veteres ſtomachum, regem compellârunt: nam uti reſpublica malè adminiſtratur, ubi rex aut primus miniſter officium ſuum non facit; ita in corporis œconomia benè res agi non poteſt, ubi ventriculus officio deeſt ſuo. Ab alijs coquo aſſimilatur ſtomachus, quandoquidem toti corpori alimentum parat: qui cùm inutili cibo oneratur, mirum non eſt, ſi munus chylificationis malè peragit, robore etiam naturaliter ſibi debito paulatim deficiente. Cæterùm ſtomachus Sereniſſimi Principis à natura frigidiuſculus eſt, & facilè frigidas humiditates cumulat, ex quibus vapores orti ventriculum diſtendendo dolorem faciunt; quin & eædem humiditates ventriculum refrigerando retardant concoctionem, atque relaxando ſtomachum excitant oxyregmiam vulgò den Sood dictam; fit autem hæc, quando ventriculi orificium non occluditur, & vinum corrumpitur, aceſcítque. hinc quoque dum ſaliva & cruda humiditas per gulam in os aſcendit, multa oritur exſpuitio. quòd ſi de humiditate quidpiam in arteriam aſperam illabatur, tuſſis excitatur, apud aliquos non ſine periculo ſuffocationis.

Stomachus rex compellatur; ab alijs coquus.

Ardoris ſtomachi cauſa.

Atque hoc multi imperiti Medici catarrhum vocant, cùm tamen non ſit à capite humiditatum deſcenſus, ſed potiùs à ventriculo aſcenſus, ſaltem potiſſima & maxima ex parte: non enim negaverim, in

Humiditates & catarrhi ſeu rhevmatiſminon ſemper à capite, ſed à ſtomacho proveniunt.

verim, in tam copioſo humiditatis proventu, etiam aliquid ex capite, quod facilè ab hiante ſtomacho offenditur, ſtillare.

In ſumma: ventriculi cruditas incuſanda hîc eſt,tanquam fons & origo omnium accidentium. ſed unde cruditas tam frequens tam diuturna? reſpondeo: ex erroribus commiſſis in victûs ratione præcipuè verò in alimentorum quantitate. inter alia non parùm nocet prandium inter & cœnam bibere: omittenda in alimentis ſaccharata, aliàque dulcia. cibi item duræ ſubſtantiæ, lacticinia, cibi varij, ac diverſorum generum. Plurimùm incommodant vigiliæ, obeſt, nimis manè ſurgere; curæ, triſtitia, lectio ac ſcriptio nimia ac intempeſtiva, intermiſſio exercitij corporei nocent, atque ſtomachum & calorem naturalem diſtrahunt.

Stomachum debilitantes cauſæ.

Verùm quo modo affectus hi percurandi? reſpondeo: poſſe, adjuvante Deo,adhibitâ diligentiâ aliquâ,& ſanitatis ſtudio. at quibus remedijs? præcautione & omiſſione cauſarum ſuprà dictarum. qua de cauſa brevis inſtructio proximè ſubſequetur.

Remedia quod attinet, quæſtio occurrit, an conſultum, obſervata bona victûs ratione, tempori adhuc aliquid tribuere, præterquam quòd Sereniſſimus Princeps pilulas leviuſculas ſumat & clyſmata domeſtica admittat? Equidem ſperarem, ſi Sereniſſimus Princeps potiunculam benè laxantem acciperet, ac dein ſe meliùs obſervaret, præcipuos affectus diſparituros eſſe: exercitia tempeſtiva eſſe deberent, nempe facta concoctione, hoc eſt, ante & non poſt menſam: labor enim cibum præcedere debet. poſt purgationem non inconvenienter emplaſtrum aliquod pro roborando calore ventriculi adponeretur. Item rotulæ ad ardorem ſtomachi appropriatæ, neceſſariæ erunt.

Exercitia menſam ſemper præcedant.

Quòd ſi verò malum hoc radicitus tolli debeat, corpus exquiſitè purgandum erit; aqua de Tettucio ac inſuper acidulæ potandæ. atque hæc cura poſt dies caniculares incipi, & ante feſtum Divi Michaëlis finiri poterit. 1608.

* * *

CON-

CONSULTATIO XIV.

ARDOR STOMACHI VULGO Der Sood.

PRO

SERENISSIMO QUODAM PRINCIPE.

Moleſtus ardor, quem Sereniſſimus Princeps in gula ac faucibus experiri ſolet, Germanis der Sood nuncupatus, à vapore acri è ventriculo exſurgente ſuſcitatur. vaporem hunc arbitror ego planéque perſuaſum habeo, nequaquam à calida cauſa, ut vulgus exiſtimat, progigni, ſed cruditatis potiùs ſobolem eſſe, ex ſtomachi ſeu oris ventriculi hiatu, & vini fluctuantis ac corrupti acore enaſcentem. Ardoris ſtomachi cauſæ.

Affectus hic, ut quotidiana obſervatione didici, ijs potiſſimùm familiaris eſſe conſuevit, qui & vini potu præſertim largiori prandium claudunt, & mox à cibo vel equitando, vel alio validiore motu intempeſtivè corpus exercent; ut propterea à noſtratibus equitum morbus non impropriè paſſim appelletur. fit autem & ſine importuno exercitio ſpleneticis nonnullis, deinde ijs etiam, qui multo potu utuntur, ac cibis valde humectantibus ventriculum exſolvunt, & quaſi porrigando, ut Galenus loquitur, laxiorem, ingeſtæque alimoniæ complexui ineptum reddunt. Ardor ſtomachi quibus familiaris?

Quemadmodum autem vinum in vaſe minimè clauſo faciliùs aceſcit, quàm in obturato, ita & in ventriculo noſtro laxato largiùs aſſumptum, exſolutis, dum concoctio fit, partibus tenuioribus aceti naturam quodammodo aſſumere, rationi conſentaneum eſt; atque hinc fit, ut inſigni ſua acrimonia, quam à parte calidiore remanente obtinet, per os ventriculi atque œſophagum, loca nempe nervoſa, ſensúque exquiſito prædita evaporans moleſti ardoris roſioníſque ſenſum inducat, hominémque mirè divexet; donec concoctione peracta, alimenta ad inteſtina deſcendant, ac ventriculus liber vacuúsque reddatur; etſi autem affectus magnopere pertimeſcendus non videtur, dolorificus tamen eſt, ſucceſsúque temporis alijs gravioribus malis inferendis opportunus.

Curatio ejus duplex eſt, una palliativa, quam vulgus proponit mitigatorijs duntaxat contenta, altera verò ad cauſam mali reſpiciens: de hac primo loco, de illa inferiùs dicemus. Cùm ſymptoma hoc à ventriculi laxioris multáque humiditate madentis vi-

Cura.

tio dependeat, nemo eſt, qui non intelligat, in eam curam Medico eſſe incumbendum: primùm ne humiditas illa indies augeatur; deinde, ut quæ præſens eſt, idoneis auxilijs abſumatur; tertiò ut viſceri tonus ac robur priſtinum reſtituatur. Primum accuratior & frugalior vivendi ratio præſtabit, quæ vel ſola moleſtiam hanc diſcutere, atque impoſterum præcavere queat; interim verò hîc diligenter obſervandum, ne prandium vel cœna potu vel liquore, ſed cibo rebúsque ſolidis finiatur, cujuſmodi ſunt Cotonéa ſaccharo condita, ac ſemen Coriandri aceto maceratum; & ſaccharo incruſtatum; quin & quieſcendum à paſtu, atque à corporis motu omni paulò vehementiori omnino cavendum, quouſque alimenta ingeſta majori ſaltem ex parte fuerint in ventriculo confecta.

Hiera Themiſonis & Pachij.

In medicamentis commendo Sereniſſimo Principi Hieram Themiſonis deſcriptam à Galeno *Lib 8. De Compoſ. Medicamentorum*, quam Sua Serenitas crebriùs in anno convenientiſſimam ſumet, ex intervallis, quæ doctiſſimo ſuo medico præſenti juſta & neceſſaria videbuntur, bolo ex ea formato, vel catapotijs, additis interdum ſpeciebus Hieræ Pachij, cùm ſcilicet largiori evacuatione opus fuerit.

Aqua Tettuciana.

præter hæc placeret ſummopere aqua Tettuciana, quæ in Hetruria ſcaturit, atque in omnibus penè Italiæ pharmacopolijs in uſum ægrotantium aſſervatur, eo qui ſeorſim deſcribitur modo potata. Vtutur illâ feliciſſimè quotannis, tempore verno & autumnali, Sereniſſimus N.N. compluréſque alij cùm hîc Monachij, tum Auguſtæ Vindelicorum; adfertur ad nos nullo cum defectu, viribus planè integris. Verùm illius uſui exquiſita corporis purgatio omnino fuerit præmittenda: ventriculus per eam extergetur, ſiccabitur,

Emplaſtrum ſtomachale.

calefiet, ac confirmabitur. In topicis conducet emplaſtrum ex Ladani partibus duabus, ceræ una addita Maſtiche parùm, in ipſa regione ventriculi geſtum.

Ad ſymptomatis ſeu præſentis paroxyſmi mitigationem, quam palliativam curam nuncupavi, ex uſu erunt complura auxilia, acritudinem vaporis obtundentia: ſicut enim acetum quantumvis acre admixtis dulcibus, multóque humore miteſcit; ita & præſens af-

Ardoris ſtomachi auxilia palliativa.

fectus ſimilibus quoque præſidijs ac præterea diſcuſſorijs nonnullis ad tempus ſaltem aliquod ſedatur. Laudantur itaque Saccharum, Amygdala, Siliquæ vulgò S. Johanns-Brod dictæ, Glycyrrhiza maſticata, nuclei Ceraſorum, vel nuces juglandes aſſatæ, grana aliquot Thuris albi devorata, Diatragacanthum frigidum, hauſtus

aquæ calidæ; ſyrupus Violatus delinctus. commendatur creta cum ſaccharo in tabellas redacta, mihi tamen etſi humorem abſorbeat atque imbibere poſſit, alijs nominibus ſuſpecta; inprimis probantur morſelli ſeu tabellæ hunc in modum concinnatæ, quas Sereniſſimo Principi familiares eſſe velim.

Creta in ardore ſtomachi ab alijs commendata, ſuſpecta eſt.

Morſelli ad ardorem ſtomachi

℞. *Zedoariæ*,
Maſtiches,
Granorum Paradiſi ana ʒj.
Nucis Moſchatæ,
Cinnamomi acuti ana ʒß.
Zingiberis albi ℈j.
Sacchari candi ℥iij.

Cum *aqua Lactucæ* fiat confectio in morſellis.

Doctor Mermannus ſolitus eſt dicere, nihil melius eſſe in hoc affectu, quàm ſalivâ jejuni hominis ventriculum inungere. id eſt. ſobriè vivere. ita ex M. S. D. Seehauſeri, qui olim apud eundem Mermannum praxin exercebat.

CONSULTATIO XV.

CHOLERA ET EJUS PRÆSERVATIO.

PRO

VIRO RELIGIOSO.

ADmodum Reverendus Pater N. annos natus circiter ſexaginta quinque, multis annis, per intervalla incerta, conſuevit diro ventriculi & inteſtinorum dolore ſubitò corripi cum vomitu humoris bilioſi mixti ac corrupti; diarrhœa ejuſdem materiæ plerumque ſubſequente, urinis craſſis rubicundis, febrilibus ardoribus, virium languore, quamquam ſolum alvi profluvium ſine vomitu ad dies aliquot moleſtare conſuevit. Communiter bilis per univerſum corporis habitum ex paroxyſmi impetu, & febrilis ardoris vehementia delata vel ſparſa cutim afficit colore citrino vel ſubcroceo in albo oculorum primùm apparente. Quæ ubi acciderunt, Sua Reverentia plurimùm ſemper ſublevata fuit ex potione, litterâ A. ſignata, quæ

Hiſtoria accidentium.

materiam peccantem non tantùm leniter educere conſuevit, ſed etiam impetum corruptorum humorum demulcere potuit. indè graviora ſymptomata plerumque remiſſiora facta ſunt, adhibitis interim vires roborantibus tam internis datis ſorbitionibus, quàm topicis vel externis adhibitis.

Hanc paſſionem cholericam dictam magna ex parte præcedunt laſſitudo ſpontanea, & quaſi membrorum quædam perfractio ac gravitas, nauſea, faſtidium, ſtomachi à cibo preſſura, ad omnia munia obeunda tædium quoddam. Quæ cùm Sua Reverentia diutiùs animadverteret diligentiùs, potuit materia morbifica educi prædictâ vel conſimili potione leviter purgante (vehementioribus enim non indiget) antequam in tam dirum paroxyſmum erumperet, talíque ratione graviora ſymptomata devitare. potio litterâ A. ſignata.

Potiuncula bilioſos humores leniter evacuans.

R. *Radicum Cichorij*,
Polypodij,
Corticum Myrobalanorum Chebularum,
Citrinarum,
Agarici trochiſcati ana ℥jß.
Foliorum Senæ electæ ℥vj.
Paſſularum mundatarum ℥ß.
Seminis Aniſi,
Corticum Citri ana ʒß.
Macis ℈j.
Anthos Pj.

Coquantur *in aqua fontis* q. ſ. ad fortis expreſſionis remanentiam ℥viij. decocti hujus R. ℥iiij. in ijs diſſolve *Mannæ* ℥vj. *Syrupi de Cichoreo cum Rhabarbaro* ℥ß.

Fiat hauſtus colatus, qui jejuno ſtomacho calidus potetur.

Is plerumque feliciſſimam operationem ſortitus eſt, materia copioſiore exiſtente. conformis potio tertia die aliquando fuit exhibita. hujus loco aliquando ſumpſit ſyrupum de Cichorio cum Rhabarbaro ad ℥iß. in decocto foliorum Senæ ʒiij. florum Violarum Mß. Macis ℈j. vel

R. *Syrupi de Cichoreo cum Rhabarbaro* ℥ß.
Electuarij de ſucco Roſarum ʒij.
Pulveris Mechoacæ ℈ijß.
Juſculi carnium ℥iiij.

Vinum medicamentoſum bilem per urinas expellens.

Poſt purgationem conſuevit bibere dilutum Centaurij minoris Mj. Abſinthij Romani, Trifolij aurei ana Mß. radicis Cichorij ℥ß. corticis Citri ʒj. in petia ligatis, in vini albi menſura una civili, & aquæ fontanæ

fontanæ quartario uno,ſimul diluendo in prandio, & cœna cyathum. Ea ratione quod reliquum erat bilioſi & corrupti humoris paulatim per urinam educebatur. Humorum coctionem non per ſyrupos, ſed potiùs per rectam ac convenientem victûs rationem moliti ſumus.

Initio paroxyſmorum vel primis diebus nihil convenientius erat, quàm ſorbitiones ex hordeo benè cocto, quòd mediocriter nutrirent, & humorum acrimoniam plurimùm contemperarent, ſæpius exhibere; ijs adjungebantur ratione virium proſtratarum juſcula caponum, gallinarum contuſa, ſorbitiones ex ovis recentibus, præſertim ubi febris affligeret, juſcula, paſſulata, pruna Vngarica cocta. Pro potu aliquando Julepi ex ſyrupis Granatorum, Acetoſitatis Citri, mivâ Cydoniorum, conſervâ Roſarum in aqua fontis dilutis. interdum aqua decoctionis hordei integri, Paſſularum, Cinnamomi, Saſſafras &c. Defædatio coloris cutis aliquando per ſe ablata eſt, maturiùs tamen, ubi in lecto factæ ſunt exſudationes, vel in balneo aëreo, & ijs quæ hepar roborare valent. & hæc de anteactis. Conſtantiæ 26 Junij. 1603.

RESPONSIO.

Remedia à Doctiſſimo Medico Domino Chriſtophoro Sandholzero ad dirum ventriculi & inteſtinorum dolorem, quo Reverendus Pater ſubinde corripitur, urgente neceſſitate prudenter ac cum felici ſucceſſu feliciter adhibita meritò probanda ſunt & commendanda. De ratione tam grave ac terrificum malum præcavendi impoſterum hæc mea eſt, quæ requiritur, ſententia. Laſſitudo ſpontanea, quæ affectum præcedere ſolet, cacochymiam in corpore congeſtam ſignificat. Itaque in eam curam erit incumbendum, ne vitioſi ſucci poſthac colligantur, collecti verò ſi qui fuerint, idoneis auxilijs evacuentur. Primum præſtabit vivendi ratio accurata. Alterum à pharmacia & chirurgia petendum.

In victu moneo, ut præter alimentorum coctu difficilium abſtinentiam, quæ non minimam ſibi præſervationis partem vendicat, corpus tempeſtivè exerceatur quotidie. neque enim ſatis fuerit ſemel duntaxat integra hebdomade corpus exercuiſſe, quod bono Patri occupationibus detento vix concedi intelligo. Nôſſe oportet quod Hippocrates docet: *morbos in corpore noſtro progigni, cùm vel alimentum laborem ſuperat, vel labor alimentum.* quàm magni verò ſit momenti ad bonam valetudinem tum conſervandam, tum verò etiam, ubi amiſſa eſt, recuperandam exercitatio corporis, id præter Hippocratem & Galenum pulchrè Celſus Medicus elegantiſſimus conſcriptum reliquit his verbis: quæ in gratiam Reverendi Patris libet

Exercitij corporei neceſſitas autoritate firmatur.

libet adſcribere. *Ignavia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit.* item albi: *Si quis ſtomacho laborat, legere clarè debet, poſt lectionem ambulare, tum pilâ vel armis, alióque genere, quo ſuperior pars moveatur, exerceri.*

Inter evacuantia vitioſos humores, qui vel per errata in victûs ratione commiſſa, vel per infelices ventriculi & hepatis coctiones ſuccreſcunt, probamus alvum ducentia clementiora, hoc eſt, quæ ſine moleſtia ac ventriculi læſione corpus per ventrem expurgant, placéntque inter cætera, quæ hîc ſubijciemus.

℞. *Specierum Hieræ ſimplicis* ℈ij.
Aloës lotæ ℈j.
Miſce & cum *aqua Boraginis* fiat bolus. porrigendus duabus horis ante prandium nebulis involutus.

Menſtrua purgatio.

Sequenti verò manè, (niſi alvus largiter fluat) potio offeratur.
℞. *Mannæ* ℥ij.
Diſſolvantur in *aquæ Boraginis* ℥iiij. adde
Pulveris Rhabarbari vino albo irrorati ʒj.
Aquæ Cinnamomi guttas aliquot.

Hæc ſingulis menſibus, vel certè ſæpius in anno aſſumpta ad præcavenda gravia illa ſymptomata non parùm ſanè valebunt. ad iſtas evacuationes venæ ſectionem addo, quam Reverendo Patri magnopere in viridi illa ſenecta profuturam aſſeveranter ſtatuo, ac planè confido bis in anno adhibitam verno ſcilicet tempore, quo baſilica dextri brachij, atque autumnali, quo eadem ſiniſtri brachij tundenda eſt: vacuandus, quantùm vires judicio præſentis Medici commodè perferre queant. Hiſce auxilijs Reverendus Pater à recurſu graviſſimi illius ſymptomatis DEO favente præſervabitur. Monachij 10. Decembris 1603.

Sanguinis miſſio.

* * *

CON-

CONSULTATIO XVI.

DOLOR COLICUS, CUM METU EPILEPSIÆ.

AEger abſtineat à vino, aquâ, cui pullus & Cinnamomum incocta ſint, utatur in duplici vaſe paratâ. Cibus ſit jus capi vel gallinæ cum pane. Clyſteres repetantur, ſi opus ſit, etiam bis in die una, omittendo Hieram. potionem ex Rhabarbaro & Manna ſimiliter repetat, præmiſſis pridie horâ unâ ante cœnam, paucis pilulis Aloëticis, nimirum ex ʒß. ſpecierum Hieræ ſimplicis paratis. Oleum item Amygdalarum dulcium & amararum (ſi flatus ſubſint) cum Manna ex aqua Chamæmeli offerantur. Ad doloris mitigationem, corpore jam ſatis purgato, proderit juſculum pulli, in quo pugillus florum Chamæmeli bullierit, item pulvis corticum Arantiorum ex juſculo.

Si flatus infeſtant poſt ſufficientem purgationem enemata conducent ex olei Chamæmelini, Anethini, Amygdalarum dulcium & vini Malvatici ana ℥iiij. parata.

Exteriùs ventri imponatur pannus laneus oleo Chamæmelino & Amygdalarum imbutus; calidiora vitanda cenſeo. Præcavendæ Epilepſiæ inſervit hæc antidotus.

℞. *Aquæ Ceraſorum nigrorum* ℥iiij. — Mixtura in metu Epilepſiæ.
Florum Tiliæ,
Cardui Mariæ ana ℥ij.
Cornu Cervi uſti & loti ʒij.
Manus Chriſti perlatæ ℥ß.
Miſce. dentur duo cochlearia 24. horarum ſpatio.

CONSULTATIO XVII.

COLICA PASSIO.

PRO

VIRO NOBILI.

*

Clariſſimi Domini Doctoris Seelmanni Conſilium, quod Latino idiomate de præſervatione hujus affectûs conſcripſit, placet mihi quàm maximè; laudat inibi vinum Rhenanum bonum moderatè potum, quod tamen apud nos cùm haberi non poſſit, & affectus iſtiuſmodi originem ſuam à potu vini traxerit, ipsique artuum dolores ab illius uſu non parùm exacerbari ſoleant, ſuaderem equidem, ut Patiens à vino aliquamdiu (ad dimidium ſcilicet annum) abſtineret, contentus ſolummodo aquâ aliquâ coctâ, hoc præcipuè tempore dum dolores urgent. Si impoſterum cereviſiâ nigrâ (de alba experimentum nullum habeo) benè fermentatâ & defæcatâ Bavaricâ uti vellet, non obfuturam ſperarem.

Vinum improbatur in Colica.

Quod ad ſtomachi dorſi & crurum dolores modò affligentes attinet, ſatis in nupero ſcripto mentem meam explicavi, hoc unicum nunc addo, neceſſarium eſſe, ut Patiens brodium pullorum pro potu habeat, clyſmata leviora ſubinde admittat, pilulas ex Hiera, Aloë Roſata ad veſperas deglutiat, ac manè ſubſequenti potiunculam ex Manna & Rhabarbaro adſumat; atque iſthæc ſæpius reiterari debent, tum ut corpus ritè evacuetur, tum cauſa & radix illa, à qua tot recidivæ enaſcuntur, penitus evellatur.

In Colica brodium pullorũ pro potu laudatur.

Quòd ſi verò Patiens potiunculam ex Manna & Rhabarbaro ſæpius tentatam, ſemper ſine fructu reijciat, ad electuarium redeat, quo aliàs commodè uſus eſt, & ex pulpa Paſſularum, conſerva Roſarum Damaſcenarum & pulvere Rhabarbari optimi conſtat; vel Mannam ſolam ſine Rhabarbaro (quo tamen medicamento vix quidquam melius) ad ℥ij. vel iij. in juſculo caponis diſſolvat. Quod ſi opus erit, additis ℈ß. ſpecierum Eleſcophi, vel priùs per noctem in prædicto jure infusâ ad ʒj. vel ʒjß. radice Mechoacanna

(quæ

(quæ nullius ferè ſaporis eſt) ac additâ demum Mannâ juſculum illud purgans confici & acui poterit. quòd ſi nec iſta corpus ſufficienter moveant, clyſteres crebrò repetiti omnino neceſſarij ſunt.

Balnea & Topica remedia hoc tempore nondum proſunt; urgente tamen dolore pedum, petiæ in oleis Amygdalarum amararum, Chamomillæ, Lumbricorum intinctæ calidè applicari, ut etiam Emplaſtrum ex Ladano & Cera propoſitum ſtomacho admoveri poteſt. DEUS vota noſtra & remedia ſecundet. 4. Februarij. Anno 1603.

CONSULTATIO XVIII.

COLICA AFFECTIO.

PRO

ILLUSTRISSIMA QUADAM FOEMINA.

Ad Medicum Amicum.

Litteras meas gratas Excellentiæ tuæ fuiſſe, gratiſſimum mihi accidit, qui eidem omnibus in rebus, in mea quidem poteſtate poſitis, gratificabor ſemper animo paratiſſimo. Id quod & Illuſtriſſimo Domino Philippo Fuggero perſuaſum velim, quem inter omnes Dominos Fuggeros præcipuè colo; utpote nomini ejus ſingulariter devotus. Doleo Dominam ægrotam ipſius filiam ea medicamenta ſæpiuſculè ſumere non poſſe, quæ in morbo, quo conflictatur, perſanando, alijs præcellere longo uſu didici: curavi multos valde malignâ iſtâ colicâ laborantes, & aliquibus, qui ſatis evacuati non eſſent, malè ceſſiſſe balneum propoſitum obſervavi; quæ cauſa eſt, cur in ſententiam, Dominæ lavacrum expetentis, ægrè ac lento pede veniam. Quòd ſi verò Excellentiæ tuæ corpus probè expurgatum videatur, doloresque tam ventris quàm extremarum partium quieverint, aſſentior, ut lavet vel ex Zellenſibus aquis, vel ex Heilbrunnenſibus noſtris ſalſulis, ſed ſuaviter & quantum vires commodiſſimè perferre queant. Cæterùm quod nuperis litteris meis verbulo innuebam, de Schwalbacenſibus aquis, id etiamnum animo inhæret; atque utinam Domina Comitiſſa acidulis illis vicinior eſſet, ut viribus nondum exolutis bibere eas poſſet: juvaretur illis haud dubiè ſtrenuè, niſi occultus aliquis atque planè indomitus ſubſit affectus.

Balneum ijs, qui ſatis evacuati non ſunt, malè aliquando cedit.

Acidulæ Schwalbacenſes.

Quòd ſi verò meo judicio ac conſilio aliquid tribuet Illuſtriſ-ſima, aliquam aquam acidam per idoneos homines Auguſtam de-ferri curabit. placeret inter alias, illa quæ itinere unius diei propè Tubingam ſcaturit der Grieſbacher Saurbrunn / ego hîc ſatis bonam deguſtavi; apportari poſſet, ſi negotium daretur pluribus hominibus ita diſpoſitis, ut diu noctúque iter facerent: potu ejus matutino ap-petentia revocaretur, ventriculus confirmaretur, ſitis ſedaretur. poſſet fortè & quæ in Ebenhauſen utpote vicinior aliquid efficere, paulò nempe Göppingenſibus Vbrichingenſibus efficacior. Robo-rato ventriculo coctionéque reparata renutriri corpus inciperet, membris externis robur ſenſim accederet. Lavatio ſitim afferre ſolet, cibi appetentiam non item. Præmittat igitur acidulæ po-tum lavationi ex aquis medicatis, non prehendens interim illam domeſticam, quæ ex aqua dulci fit cum fructu, ut ſcribitur. In-terea quoque non diſplicet vinum purgans ſubinde exhibitum, cùm ſine dolore vacuet. Monachij 27. April. 1605.

Acidulæ Ebenhuſianæ.

Scire velim num Illuſtriſſimæ Dominæ artus dolore duntaxat, an verò etiam pareſi ſint affecti?

CONSULTATIO XIX.

COLICA ET EX HAC MOTUS CONVULSIVI, ET METUS PARESIS.

PRO

VIRO ILLUSTRI.

Ad Excellentiſsimos quoſdam Medicos.

EX animo doleo, Illuſtrem Dominum ſolitis doloribus rurſum divexari: eámque recidivam vel ca-cochymiæ nondum ex toto ſublatæ, vel alicui errori in victûs ratione admiſſo adſcribendam cenſeo, non ignarus quàm ex levi occaſione ſoleant ejuſmodi affectus recurrere. Ex-pertus etiam ſum in actu practico, eos ubi radices egerunt, non ita primis ſtatim diebus, ſed vix multis adhibitis præſidijs extirpari. peccantem autem materiam planè eſſe heterogeneam, ex pituita

Colica radices agens difficulter exirpatur.

ſcilicet

ſcilicet cum multa bile permixtam, teſtantur cùm alia multa, tum potiſſimùm exeuntia, vita anteacta, corporiſque temperamentum. Niſi è corpore exactè, pro virium tamen robore expurgentur humores, timendum certè nobis erit, non ſolùm à ſymptomate illo convulſivo, quod nuper eſt paſſus IlluſtrisDominus, verum etiam, ne materia ad corporis extrema feratur, ibique & cruciatus vehementes, & tandem (quod Deus avertat) membrorum pareſin inducat.

Ad curationem quod attinet, probo vehementer, quæ ab E.E. V.V. artificioſè & doctiſſimè hactenus ſunt præſcripta; neque ego is ſum, qui me alicujus rei admonere Vos Viros doctiſſimos, in artiſque uſu exercitatiſſimos, poſſe mihi aſſumam. quia verò ſententiam meam de his, quæ ampliùs facienda videantur, exquiritis, morem geram voluntati veſtræ, & quæ mihi in mentem veniant, extemporali ac tumultuaria hac ſcriptione paucis exponam.

Primùm, Clariſſimi Viri, videretur mihi conſultum, à vini potu aliquamdiu abſtinere, donec ſcilicet & dolores conquieviſſent, nullúmque epilepſiæ ampliùs ſubeſſet periculum. Obſervavi etenim ſimiles dolores vino, in tanta ventriculi & inteſtinorum ſenſibilitate, manifeſtè exacerbari, planéque opus eſſe potu temperato, omníſque acrimoniæ experte. feliciùs igitur conſului, ut pullus dimidius cum quatuor menſuris aquæ in duplici vaſe coqueretur, quatuor horas, atque hac aquâ diligenter percolatâ uterentur deſævientibus doloribus. Eandem Illuſtri Domino tutam imprimis & convenientiſſimam, atque fortaſſis non ingratam fore confido, præſertim ſi pullo aliquid Cinnamomi addatur.

Vinum in Colica ſuſpectum.

Aqua cocta ex pullo convenit in Colica ejúsque patandi modus.

Inter purgantia medicamenta præmiſſis clyſteribus emollientibus & Anodynis, poſt varia per os exhibita ex benedictis parata, atque ſubinde ex pauló fortioribus, nihil tandem inveni præſtantius diluto Rhabarbari cum Manna. Hauſtum ex his duobus, ſimul mixtis, ſemel atque iterum prout occaſio ſuaderet, Domino Illuſtri exhibitum, non neglectis interea enematis levioribus, ſervatóque accurato vivendi modo ſperarem, ipſum facilè perſanaturum. In ingenti verò dolore Oleum ex Amygdalis dulcibus ſelectis recens & ſine igne expreſſum Mannæ in jure pulli diſſolutæ rectiſſimè admiſcebitur, quod Oleum etiam ſolum cum pari portione juris pulli exhibitum mirificè poterit prodeſſe. Ex clyſteribus maximè mihi probantur,qui ex lacte vaccino,oleo Violaceo, melle Violaceo,aut crudo & pauco ſale conficiuntur, addito interdũ electuario lenitivo Floren zolæ. Vbi alv⁹ ſatis fluxiſſet, ventre primíſq; vijs ac cavo hepatis probè repurgatis, ut pro hepatis obſtructione ad aperientia temperatiora veniretur, ſuaderem; placeréntque radices Cichorij, Petroſelini, cum herbis Agrimoniæ,Capillorũ Veneris & Fumariæ infuſa in media

Rhabarbari diluto cum Manna nihil convenientius eſt.

Oleum Amygdalarum dulciũ cum Manna anodynum eſt.

Apozema in Colica.

parte aquæ Cichorij & media vini, ex quo ſumeret hauſtum calidum manè cum ſyrupo de Cichorio cum Rhabarbaro. Hæc ego putaverim veram atque artificioſam eſſe hujus mali profligandi methodum, quam tamen Excellentiſſimorum Virorum cenſuræ ac judicio lubensſubijcio. Monachij 6. Decembris. 1585.

CONSULTATIO XX.

INCEDENDI DIFFICULTAS EX COLICA, UBI VERA CURATIO COLICÆ TRADITUR.

PRO

PUELLA QUINQUENNI.

Qui dolores in compluribus Germaniæ locis latè graſſantes paſſim in extremorum pareſin terminari obſervârit, is ſanè & Clariſſimos Medicos de incedendi impotentia, ſeu difficultate, quâ puella iſta quinque annos nata laborat, ejúsque vera ac methodica curatione rectè ſentire protinùs cogetur. Exortum nempe malum iſtud eſt non à Medicorum lenientibus enematis dolorem ſedare ſatagentium errore neque à ſagarum veneficio, ſed à cacochymia ad crura naturæ beneficio criticè demandatâ. Etſi verò criſis hæc incommoda videri poteſt, tamen ſi ad crebrum ſæviſſimorum dolorum recurſum, atq; ingens periculum Epilepſiæ, quâ plurimos ejuſmodi ægrotantes ſtrangulari contingit, reſpicias, non planè infelix cenſenda erit: præſertim quòd maxima eorum pars, qui membrorum reſolutione iſta corripiuntur, tandem vel ſponte ſua, vel paucis adhibitis auxilijs priſtinæ reſtitui ſoleant valetudini.

Pareſis membrorum in Colica, incommoda quidem criſis eſt, non tamen planè infelix. & cur?

De eſſentia igitur & cauſis affectûs hujus, hæc mea eſt (quæ primo loco petitur) cum Viris Doctiſſimis planè congruens ſententia; nempe originem ejus natam eſſe ab humoribus vitioſis heterogeneis in toto corpore congeſtis, atque partim ad inteſtina effuſis, partim ex venis à ventre diſtantioribus ad extrema membra protruſis. qua verò ratione id fieri poſſit, & ſoleat, hoc loco neque neceſſum eſt, neque temporis anguſtia patitur longo ſermone diſputare: ſatis ſit, quod quotidiana docet experientia, humores quos natura per

ventrem

ventrem omnes repurgare nequierit, ſubinde ad artus, præſertim qui attenuati jam fuerint, atque ab inteſtinis paulò longiùs diſſitis ablegari, unde & pareſes & arthritici dolores excitentur. ut Hippoc. quoque *6. epidem. ſect.4. n.3.* ſcriptum reliquit.

Remedia, de quibus quid ſentiam, ſecundo loco ex me quæritur, placent mihi ac probantur ad unguem, quæ à præſtantiſſimis Viris ſunt decreta. Verùm illud dolendum valde ac calamitoſum, quòd puella medicamentoſa omnia reſpuat, quæ ore ſumenda porriguntur: ſine his enim cùm ob vitioſos humores circa viſcera hærentes (atteſtante faciei pallore) vix integram recuperare ſanitatem poſſe videatur, in eam ſedulò incumbendum erit curam, ut dolis in ſalutem ejus confictis medicamenta cibis ac potu abſcondantur. prodeſſent haud dubiè Paſſulæ tam majores quàm minores infuſo Agarici, Senæ, Mechoacæ imbutæ, ſed nimis ſunt ob Agarici amarorem ingratæ. ego laxando ventri Paſſulas hunc in modum ſimpliciſſimè parari jubeo.

Paſſulæ laxativæ.

℞. *Paſſularum Corinthiacarum vino albo lotarum* ℥vj.
Foliorum Senæ electæ in linteolo ligatæ ℥j. *vel* ℥iß.
Affundatur *aquæ q. ſ.* ut tegantur Paſſulæ, leniter ebulliant, ſtent vaſe probè tecto, in loco calido, quinque vel ſex horis, deinde ſacculo abjecto utere Paſſulis pro ætate & viribus patientis.

Extat quoque in pharmacopolijs noſtris Diaprunis magiſtrale meum palato haud ingratum. Ipſe meis pueris in eadem ferme ætate, cauſaria valetudine utentibus, pilulas Aloëticas minutiſſimas deauratas devorandas interdum porrexi cum vitellis ovorum butyro intritis & leviter coctis, ſicuti & Rhabarbarum in pomo cocto. Pilulis ex ſpeciebus Hieræ, Agarico & Rhabarbaro, item potiuncula ex Manna & Rhabarbaro nihil novi in hoc affectu præſtantius, ſed vereor, ut tam ſæpe aſſumere ea velit, quàm res poſtulabit. id ſi contingat, ad radicem Mechoacæ confugiendum cenſeo: cujus in pulverem redactæ ℈ß. vel paulò amplius ſine difficultate, cum radix odore & ſapore careat, aſſumetur juſculis, aliisque ferculis inſperſus, ídque cum fructu haud pœnitendo, ex intervallis præſertim non admodum longis. convenientiſſimè quoque clyſteriola blandè ventrem laxantia inijcientur. Etenim, ut verbo dicam, ſpem omnem, eámque ferme certam perfectæ ſanationis ſecundùm DEUM in duobus repoſitam habeo auxilijs. Vnum eſt corporis per epicraſin evacuatio, alterum concoctionis optimæ

ſtudium

ſtudium imperatâ exactâ vivendi normâ, à qua ne latum unguem recedat.

Reſtitutâ hiſce præſidijs totius corporis, ac præcipuè viſcerum nutritioni famulantium œconomiâ, crura alimentum quod ſatis ſit, ſuſceptura, ac paulò pòſt motum ac robur ſuum favente DEO abſq; thermis recuperatura magnopere confido, longa nempe obſervatione edoctus, id compluribus alijs meum conſilium ſecutis eveniſſe.

Quod reliquum eſt, unum in victûs ratione moneo, ac modis omnibus ſuadeo, ut ſcilicet, relicto vino, Puellæ aqua aliqua palato non ingrata, ſimúlque ventriculo & viſceribus reliquis non inutilis excogitetur. Conſilij ratio eſt, quòd vinum in hoc genus affectibus humores liquando ac fundendo, nervóſque ac caput lædendo noxium eſſe compertum habeam, & non paucos meo conſilio à vino abſtinentes brachiorum ac crurum pareſi liberatos experientiâ & uſu didicerim. potûs autem idonei qui palato arridere poſſit, hoc eſto exemplum.

Vinum in his affectibus noxium, experientiâ didicit autor.

Decoctum Saſſafras pro potu ordinario.

R. *Ligni Saſſafras craſsè limati* ℈ij.
Cinnamomi acuti confracti ʒiß.
Paſſularum ʒij.
Sacchari candi ℈j.
Affundendo *aquæ fontis* ℔iij. coque in duplici vaſe quatuor vel quinque horis,

Si non ſapiat, non incommodabit ſimplex aqua fontis unica ebullitione cocta, cui refrigeratæ infundantur panis ſecalini benè fermentati, quod ſatis ſit, ut aqua colore fulvo vinum quadantenùs referat. De Sarſæ vel Guajaci decocto nihil dico, quòd ſimilia à Puella admiſſum iri deſperem. roborantium tam intra corpus ſumendorum, quam exteriùs adhibendorum formulas (ne noctuas Athenas) nullas adſcribam, præter unius unguenti mihi uſitati, quo crura ac femora ob caloris & alimenti penuriam infirma & tabeſcentia utiliter inungi quotidie ſperaverim. ejus hæc eſt deſcriptio.

Unguentum ad pareſin vel paralyſin expertum autori.

R. *Unguenti Dialthææ recentis*,
Sevi hircini,
Urſini,
Medullæ ex oſſibus bovinis ana ℥iß.
Piperis longi pulveriſati ʒvj.
Olei vulpini ℥iij.
De Caſtoreo ℥ß.
Vini Tyrolenſis Traminei ℔ij.
Coque ad conſumptionem totius ferè vini.

Sed quia ſine cæleſti favore conſilia humana nihil poſſunt, ad Deum, ad aras ſedulò confugiendum eſt. Monachij 18. Nov. 1603.

CONSVLTATIO XXI.

COLICA, DIARRHOEA BILIOSA, EX DYSCRASIA VISCERVM, VNA CVM DOLORIBVS PODAGRICIS SUBINDE INFESTANTIBUS,

PRO ILLVSTRI DOMINO.

Ad Medicos quoſdam Doctiſſimos.

VT pareā voluntati Illuſtris Domini, ſententiam meam de affectibus præter naturam, quibus ſe affligi ſubinde coràm mihi expoſuit, brevi ac tumultuariâ hâc epiſtolâ explicabo, Veſtræ imprimis æquiſſimæ cenſuræ ſubijciendam. Symptomata, de quibus Illuſtris Dominus conqueritur duo potiſſimùm ſunt: primum torſiones ſcilicet ventris, quibus non rarò Diarrhœa bilioſa, ac pituitoſa implexa eſt; alterum dolores podagrici pedes præcipuè infeſtantes. Vt horum cauſas oſtendam, primum mihi ſumo hepar Illuſtris Dominationis ſuæ ab ortu temperaturâ calidâ præditum, progreſsúque temporis ſe ipſo adhuc calidius factum, bilis flavæ inſignem copiam gignere, id quod exeuntia liquidò teſtantur, deinde ventriculum crebriùs cruditatibus, quas tum negligentior victûs ratio, tum verò etiam immodicus hepatis calor coctionem vitians excitavit, non mediocriter labefactatum oppreſſo nimirum, ac diſſipato bona ex parte calore nativo, coctionis, cæterarúmque actionum opifice; atque hunc in modum crudorum, excrementitiorúmque humorum copia illa inſignis ventriculum refrigerando ſenſim magis ac magis debilitans. Atq; hic heterogeneorum humorum proventus, uti aliorum complurium malorum author, ita & eorum ſymptomatum, quibus Illuſtris Dominus frequenter torquetur, cenſendus eſt: nam & pituita flatus gignit ab alieno calore attenuata, qui vel intra inteſtinorum tunicas concluſi, ea cum dolore ingenti diſtendunt, ac divellunt; vel per inania meſenterij errantes pertinacia ſæpe tormina procreant: quæ

Flatus non per inteſtina tantummodo, ſed per inania Meſenterij errantes, pertinacia ſæpe tormina procreāt.

cùm neq; purgãtibus neque alijs præſidijs cedãt (teſte Hippocrate) in aquam intercutem ſiccam firmari ſolent; bilis verò ipſa inteſtina mordens, erodénſque acrimoniâ ſuâ dolorem inferre non mediocrem poteſt, non ſine ſiti, ac vigilijs. Comitantur ferè meſaraicarum ipſiúſque jecoris infarctus Diarrhœa, diſtributiones imminutæ, febricula, atrophia, ſuccedunt ſæpe numerò & Epilepſia, tetris nimirum in cerebrum delatis vaporibus & membrorum reſolutio; cùm nempe materia ad externa criticè propellitur, ínque nervoſum genus effunditur; mirum itaque non eſt, aliquam ejus partem Naturæ fortioris induſtriâ, ad infirmiores partes, cujuſmodi articuli ſunt, devolvi, doloréſque podagricos, atque interdum & coxendicis excitare. hæc mea eſt de propoſitis ſymptomatis ſententia, quòd haud difficulter extirpari, vel imminui ſaltem poſſe mihi perſuadeo, ſi modò Illuſtris Dominus Medicinæ legibus obligare ſe patiatur, in rebúſque ſex nonnaturalibus haud paulò majorem diligentiam adhibere velit.

Ad victûs igitur rationem quod attinet, novit dudum Illuſtris Dominatio Sua, & cibis boni ſucci, qui facilè concoquantur, opus eſſe, & potu temperato, & parco. Vnum eſt, quod ſine conſcientiæ labe reticere nequeo, mihi ſcilicet vinum generoſum, ac meracius, præſertim liberaliorem uſum non modò ſuſpectum eſſe, verùm etiam vehementer adverſum prorsúsque noxium videri: utpote quod & bilis redundantiam augeat, & hepar non tam calefaciendo, quàm lentore quodã putrido ac ſanie in quãdã ſubſtãtiæ corruptionẽ præcipitare poſſit, quam doctiſſimè Capite 6. Pathologiæ adnotavit Fernelius. Me igitur authore vini hujus uſum, quem Illuſtris Dominatio Sua ventriculo roborando ab aliquo tempore adhibuit, quàm ocyſſimè relinquet, in ejus locum ſubſtituet vel Neccaricum duorum annorum, maturum, ac ſuave, modicè (ſi opus ſit) lymphatum, vel Rhenenſe optimum paulò largiùs dilutum. Ad juvandam coctionem, bilémque expurgandam vinum Abſinthites, quo delectari Illuſtrem Dominum intelligo, non improbo, ſi ejus unicus duntaxat hauſtus ad prandium, non tamen quotidie aſſumatur.

Vinum generoſum libe|rius potum vehementer nocet.

Vinum Abſinthiacum.

Ad medicamentorum rationem quod ſpectat, prudenter hactenus ab illis, quæ à remotis locis trahunt, veréque ſolutiva nuncupantur, abſtinuit, meque conſultore etiam impoſterum abſtinebit. Verùm cùm venter quàm maximè mundus ſervari debeat, ex clementioribus, ſeu benedictis vocatis unum vel alterum ſeligendum erit, quò ſubinde primæ viæ, cùm repletionis alicujus ſuſpicio oborietur, ſine moleſtia extergantur; placéntque inter alia catapotia ex pari Aloës Roſatæ, & Rhabarbari ſelecti portione cum

Pilulæ.

momento

momento Cinnamomi, quorum ℥j. decimo quinto, vel vigeſimo quoque die aſſumatur, toto hoc, quod reliquum eſt, hyemis tempore. Interea clyſteres quoque lenientes, cùm alvus ignavior fuerit, rectiſſimè inijciuntur: in ijs probantur mihi præcipuè, qui ex lacte vaccino, ſaccharo rubeo, oleo Amygdalarum dulcium, & pauxillo ſalis parantur, addito interdum electuario lenitivo Florenzolæ, melle ſimplici deſpumato, Roſato, Violato, nec non ℈ij. vel ℥j. ſpecierum Hieræ ſimplicis prout uſus poſtulare videbitur. Hac ratione Illuſtris Dominus cùm alvus ſit facilis, humoréſque habeat ſequaces, miniméque impactos, commodè, ac ſine moleſtia vacuabitur. Porrò ad hepatis, ventriculi, cæterarúmque partium principum corroborationem non parùm conducet, quæ ſequitur opiata palato haud injucunda.

Clyſter domeſticus.

R. *Electuarij paſſulati inferiùs deſcribendi* ℥iiij.
Conſervæ Roſarum Damaſcenarum,
Radicum Cichorij ſaccharo conditarum ana ℥iß.
Corticum Citri ſaccharo conditorum,
Zinziberis conditi ana ℥ß.
Caryophyllorum inciſorum ℈ij.
Miſce & cum momento *Juleb Roſati* fiat Electuarium.

Electuarium hepar & ventriculũ roborans.

Hujus quotidie caſtaneæ inſtar manè aſſumatur continuò uſq; ad menſem Majum. Electuarij paſſulati talis præparatio eſt.

R. *Paſſularum enucleatarum* ℥iiijß.
Fiſticorum ℥ij. ʒij.
Cuſcutæ ʒiß.
Cinnamomi electi,
Schœnanthi,
Caſſiæ ligneæ ana ℥ß.
Croci ʒij.
Spodij ʒj.
Santali albi & rubri,
Roſarum rubrarum ana ʒiij.
Sacchari albiſſimi in vino odorifero diſſoluti ℔ijß.
Fiat ſ. a. Electuarium.

Menſe Majo ſuadeo, ut Illuſtris Dominus ſectâ venâ, corporéque ſemel atque iterum, decocto modicæ Senæ correctæ, diluto Rhabarbari & Manna repurgato, ad Cellenſes aquas ſe conferat, quæ & ventriculo robur adijcient, & totum corporis habitum bellè contemperabunt, ritè ac conducente diætâ tam in potu quàm in lava-

Thermæ Cellenſes.

tione uſurpatæ: vix aliud invenietur in vicinis partibus remedium, quod huic meritò anteponi queat, præſertim cùm tantopere crebriorum medicamentorum uſum averſetur. Quòd ſi verò ad podagræ præcautionem omnino animus illi eſt ſudoriferam curationem experiri, quandoquidem Chinæ radix ad nos ferè exoleta adfertur, probarem ego Salſæ parilliæ, ac modici ligni Guajaci decoctum, nec formidarem tantilli Guajaci caliditatem magnâ aquæ copiâ (cui incoquendum) caſtigatam, ſic & minùs ventriculo metuendum, & potus redderetur palato aliquantò ſuavior.

China ferè exoleta ad nos deportatur.

Decoctum Salſæ & ligni ſancti ad Podagram.

Verùm hujuſmodi curationes, niſi frugalis admodum victus accedat, corpúsque ſubinde evacuetur, ſæpe plus noxæ, quàm emolumenti afferre, nemo eſt, qui neſcit. Hæc eſt mea de propoſitis ſymptomatibus ſententia, quam ut ab initio dixi vobis cenſendam committo. Valete Viri Doctiſſimi, méque mutuò amare pergite. Monachij.

CONSULTATIO XXII.

COLICA MALIGNA.

PRO ILLUSTRISSIMA COMITISSA.

Ad Medicum Ordinarium.

GRatias Excellentiæ Tuæ Vir Præclariſſime ingentes habeo, quòd in viſendis ægris occupatiſſimus laborem ad me ſcribendi ſuſcipere non ſis gravatus. Vti verò ea in re ſingularem humanitatem non minùs quàm comitatem luculento teſtimonio iſto probâſti, ita & meum in omni officiorum genere ſtudium tibi paratiſſimum perpetuò experiere. Quod Excellentia Tua cæteríque Excellentiſſimi Viri ex ore meo audiverunt, id ipſis nondum puto excidiſſe: me nempe multoties colicos dolores malignos ac pertinaces, quos ſubinde Epilepſia & membrorum pareſis excipere ſolet, clyſteribus ex lacte, & potiunculis ex Manna & Rhabarbaro, præmiſſis Aloëticis, felici ſucceſſu curâſſe, ut non dubitem, Dominum Præpoſitum N. iiſdem auxiliis, ſi ſanabilis ejus morbus fuiſſet, convaleſcere potuiſſe. Verùm non valuerunt

valuerunt in eo, vel quòd natura victa ſuccubuerit, vel quòd potiuncula infirmior malitiam corruptam movere potuerit, ſed non educere; à qua tetri ac maligni halitus excitati, os ventriculi ipſúmque cor infeſtantes ſyncopem illam lethalem induxerint. Ad Perilluſtrem Dominam Comitiſſam quod attinet, perſuaderi mihi non patior, eam evacuationes ulterius ferre non poſſe; leves ſaltem ac blandas, quæ ſcilicet ſuccreſcentes flatus ac flatuum materiam per epicraſin ſubducere poſſint. Doloresejus à ſola intemperie ac ſine materia fieri, non eſt rationi conſentaneum. Domina Mater ipſius p. m. quæ diu Auguſtæ decubuit, certè evacuata ſatis non fuit, id quod memini me Perilluſtri Domino Philippo iſthinc liberè (neſcius interim, an Hebræo ſe commiſerit, ante vel poſt membrorum reſolutionem, multò minùs an ejus medicatio bonæ Dominæ profuerit nec ne) edixiſſe. Dominæ Comitiſſæ putarem Al. ës Roſatæ veſperi pauxillum exhibitum, ac ſequenti die aliquid Mannæ cum Rhabarbaro modico non obfuturum, ex juſtis intervallis brevibus, vel certè non longis.

Clyſteres item ex lacte, oleo ſeminis Lini, Saccharo, & ℥j. vel ij. Hieræ ſimpl. Ad leniendos dolores,ac diſcutiendos flatus, & modicè ducendam alvum, una vel altera unciola olei Amygdalarum amararum ex recentibus ſcilicet expreſſi, ex jure galli veteris multùm prodeſſe poterit, remedium palato non ingratum. Item cum jure galli ferveant una ebullitione flores Chamæmeli, jus colatum manè calidum ſorbeatur. Interdum ʒß. pilularum ſequentium ex jure capiatur.

Pilulæ ad flatus in Colica.

℞. *Corticum Arantiorum* ʒj.
Calami aromatici ℈ij.
Oculorum cancri ʒß.
Calcanei leporis N°. j. vel ij.
Miſce fiat pulvis.

Inter externa prodeſſe ſolet anatis adeps ventri calidus ſuperfuſus: Florentini Medici Parietariam cum vitellis ovorum in butyro frixam calidam imponunt, quo & ego aliquando ſum uſus.

In lipothymia, imò vera ſyncope à flatibus orta, poſt cibum cotonem ſeu lanam bombycinam oleo Chamæmelino & Amygdalarum dulcium calidè imbutam, ori ventriculi mox à cibo appoſui, magnæ cuidam Dominæ, utero gerenti, idque utiliter. Verùm iſtorũ ingens eſt ſylva. Potus in ſimilibus caſibus ſubinde ordinarius mihi eſt: Accipio pullum exenteratum abjectis pedibus & capite, decoquo in duplici vaſe, addendo ſub finem quantitatem Cinnamomi.

* * *

CONSULTATIO XXIII.

DIARRHOEA DIUTURNA.

PRO NOBILI JUVENE.

✶

Diarrhœæ, quâ Dominatio Veſtra jam diu vexatur, eſt coacervatio pituitoſæ, crudæ, & pravæ humiditatis, quâ meſentericæ venæ oppilatæ ſunt, & alimenti diſtributio impeditur: unde totum corpus ex defectu nutritionis debilitatur ac tabeſcit. Atque ex his Dominatio Veſtra facilè intelligit, quòd prædicta diarrhœa ſiſtenda nullatenus, ſed potiùs cauſa illius adimenda ſit. Fiet hoc cibo potúq; tenuibus, aperientibus & facilè tranſeuntibus; hinc noxia ſunt omnia paſtilia, farinacea, lacticinia, in ſartagine frixa, amygdalata, cydoniata. Conveniunt econtra juſcula, in quibus ova diſſoluta & pauca quantitas aceti ſit mixta: proſũt quoque hordeata benè cocta pauco aceto & momento piperis condita, pulli, columbi juvenes, aut alia caro juvencula in brodio cum Petroſelino & conditis Limonibus parata; ſi carnes nauſeat, jura piſorum ſeu cicerum non nocent, ſi cum pane conficiatur panatella. Potus, quandoquidem à vino abſtemius eſt, ita parabitur.

Potus ordinarius.

R. *Seminum Aniſi* ℥j.
Coquantur per horæ quadrantem in ℔vj. *aquæ* addendo in fine
Cinnamomi optimi ℨv.
Omnia optimè cooperta frigeſiant pro uſu.

Hac igitur aqua pro potu ordinario utatur, abſtinendo tamen à nimio potu. Medicamenta quod attinet, pulvis mittitur, cujus partem unam in brodio vel prædicta aqua manè ſumat, horis quatuor ante prandium: alteram partem, die una interjecta, eodem modo aſſumendo repetat; quo remedio ſpero diarrhœam exin ceſſaturam. quòd ſi verò illa iterum rediret, etiam repetendum ſuadeo medicamentum.

R. *Pulveris*

R. *Pulveris Rhabarbari torrefacti* ℥iß. Purgatio in diarrhœa.
Dividatur in duas partes.

Ad ciendum appetitum, non improbo paucos cappares, ſed priùs lotos, ante menſam ſumptos: item Cichorium coctum & aceto conditum. Finitâ menſâ talis tragéa conveniet.

R. *Coriandri præparati* ℥vj. Tragéa.
Zingiberis,
Cinnamomi ana ℥j.
Sacchari ℥iij.
Miſce fiat tragéa pani toſto inſpergenda, pro vice cochleare dimidium.

Stomachus & venter manè inungantur calidè hoc linimento.

R. *Olei Cydoniorum*,
Myrtini,
Maſtichini ana ℥j.
Miſce.

DEVS his remedijs aſſiſtat, Dominationémque Veſtram conſervet. Monachij. 10. Januarij. 1611.

CONSULTATIO XXIV.

FLUXUS DYSENTERICUS.

PRO

ILLUSTRISSIMO QUODAM VICEDOMINO.

Ad Medicum illius Ordinarium.

Nobiliſſimum Virum Vicedominum Landiſhutanum etiamnum adverſa valetudine conflictari, ut ex litteris Excellentiæ Tuæ dolenter cognovi, ſic illi toto pectore compatior, tùm propter eximiam humanitatem, tum verò maximè, quòd Bavariæ interſit plurimum, talibus viris abundare, quorum prudentia & fide juſtitia adminiſtretur. Fluxus ille dyſentericus ſymptoma eſt; morbus, quem id ſequitur, ſolutio continui inteſtinorum, cauſa acres erodentéſque humores, quos, rectè Excellentia Tua monuit, dudum exturbâſſe è corpore oportuit, antequam ſcilicet malum in vetuſtatem incideret. Spero tamen occaſio-

occaſionem rei benè gerendæ necdum elapſam, quam cùm Vir amplìſſimus amplecti tandem, artísque Medicæ præceptis ſe ſubijcere velit, paucis exponam meam, quam petis, de remedijs ſententiam, tuæ planè conſonam.

Rhabarbarū toſtum vim purgandi omnem amittit.

Cauſæ morbi abolendæ, quæ prima cura erit, inſerviet blandum aliquod medicamentum leviter alvum ducens, ſimúlque inteſtina & ventriculum roborans, quale eſt Rhabarbarum modicè exſiccatum, non toſtum (ne acre fiat evacuandi vi omni deſtitutum) in pulviſculum redactum ex jure pulli oblatum, vel pulpæ Sebeſten, conſervæ Roſarum admixtum, bis térve devoratum. deinde enema detergens ex decocto hordei integri torrefacti, addito Saccharo rubeo. abſterſione per hoc, quæ ſatis eſſe videbitur, factâ, decoctum pro clyſteribus ex anodynis & nonnihil ſiccantibus rectè parabitur ex radicibus Tapſi barbati, floribus Malvæ arboreæ, Roſarum rubrarum, folijs Plantaginis, Centinodij, hordeo decorticato, in quo ſevum hircinum recens (vetus acre eſt) & renum caſtrati pinguedo ſit diſſoluta cum Saccharo rubeo. convenientes erunt clyſteres iſti tā morbo ipſi quàm ſymptomati, dolori ſcilicet ſanguinisque fluxui. His verò adhibitis, tandem omnibus ſimul indicationibus explendis conveníentiſſima erit Theriaca annum non excedens. nempe dolores ea compeſcit, alvi fluorem ac ſanguinem ſiſtet, ſomnum conciliabit, membra nutritionis roborabit, ulcus ex parte ſiccabit, tempeſtatem iſtam tranquillam reddet.

Enema detergens.

Clyſter magis ſiccans.

Theriaca.

Vſitata hæc ſunt claſſicorum auxilia; aliud ſupereſt, non ita obvium, ad quod Itali, Hetruſci præſertim, tanquam ad ſacram anchoram confugiunt, aqua nimirum thermalis ſubſalſa, Tetucciana vocata in Hetruria ſcaturiens, quæ facultate mirifica antiquas ſanandi dyſenterias cæteróſque alvi fluores eſt prædita, detergendo ſcilicet, exſiccandóque inteſtina & ventriculum. Teſtatur id Vidus Vidius, diſcipulus olim meus, nunc magni Ducis Hetruriæ archiater, Libro nono de curatione membratim, & Mercurialis multis in locis, quibus ſuffragatur & fida experientia. Sunt anni complures elapſi, cum Patres Societatis Jesu aquam hanc peterent à Sereniſſimo Duce Gulielmo, qui eam tum fortè potabat, miſi eam juſſu Principis in uſum Patris Hagelij, qui diutiſſimè alvi fluxu cruento laboraverat, atque remedio iſto, ut poſtea cognovi, ſanatus eſt. Scio Excellentiam Tuam nō latere, aquæ hujus uſū tā in potu quàm in clyſteribus. Ego nuper Venetijs illam huc apportari curavi partim in meum partim in aliorum uſum. Potavit ipſam hiſce diebus meo conſilio Dominus Lôſchius ſupremus ſtabuli Ducalis præfectus largâ copiâ, ad hypochondriacum malum capitíſque dolorem antiquum extirpandum, à quibus affectibus Sereniſſimus Dominus Dux Gulielmus olim,

AquaTetucciana dyſenteriā curat mirè.

ejuſdem

ejuſdem aquæ potu, ad complures dies continuato, integrè liberatus fuerat, eamque aliquoties ſubſequentibus annis repetijt, atque hoc ipſo tempore Græcij eandem Venetijs eò delatam potat, nempe aci-dulæ paulò pòſt potandæ præmittens. Ego Tettucianam iſtā huc de-ferendam curavi ad uſum Domini Lôſchij & meum, delata etiam nuper eſt Auguſtam ad primarij cujuſdam mercatoris curationem; quo, dum adferebatur, interim mortuo, ſpero illam pretio juſto ha-beri poſſe. ſcribo hæc ſummo Dominum Vicedominum juvandi ſtudio & deſiderio impulſus; velim autem remedium iſtud, quia novum fortè videri poterit, aliorum quoque Medicorum præſtan-tiſſimorum, tuo nempe & Clariſſimi Domini Doctoris Joachi-mi Fabri, uti & Domini Doctoris Burkardi Collegarum meorum calculo ac ſuffragio ſtabiliri, quò Dominus Patiens majori alacritate ad illud animum adijciat, auxiliúmque tale & ſecurum, & adeò tutum ultrò expetat. Interea in victûs ratione cautiſſimus ſit; pullis gallinaceis carnéque hœdina vivat; hordeatum hoc eſt cremorem hordei ad diſſolutionem cocti cum jure gallinæ expreſſum quotidie ante cœnam ſorbeat. Vinum Neccaricum rubellum aquâ chaly-beatâ dilutum bibat; circa quam aquam animadvertendum, ut prima in qua chalybs extinctus fuerit, abijciatur, poſtera verò eâ-que utatur, in qua idem chalybs ſecundò tertiò & quartò ignitus fuerit extinctus. à paſtu pani toſto & vino rubello imbuto inſper-gatur tragéa talis.

Prudens Au-toris cautela.

Aqua cha-lybeata, & ejus parandi modus.

Tragéa.

R. *Seminis Coriandri præparati* ℥ij.
Santali rubri ʒij.
Confectionis manus Chriſti perlatæ ℥iß.
Miſce fiat tragéa.

De topicis monere non eſt neceſſe, quia hæc omnia Excellen-tiæ tuæ judicio exacto cenſenda propono. Monachij 15. Julij. 1612.

CONSULTATIO XXV.

CONSTIPATIO ALVI

PRO

VIRO JUVENE NOBILI.

✶

INcommodum conſtipationis alvi, quo Do-minatio Veſtra detinetur, talis eſt affectus, ex quo omnis generis mala oriri poſſunt: Hippocrates etenim teſtis eſt, quòd illi qui alvum habent laxam, non facilè in morbos

Alvi laxitas à multis mor-bis præſervat, & è contra.

incidunt acutos; econtra verò omnes illi, quibus alvus ægriùs movetur, atque conſtipationes pertinaces moleſtæ ſunt, ad colicos dolores, venarum obſtructiones, putredines, inappetentias, capitis dolores, vertigines, memoriæ debilitatem, aliósque morbos quamplurimos diſpoſiti exiſtunt. Meritò igitur Dominatio Veſtra ſolicita & remediorum cupida eſſe deberet. Verùm ſi methodicè & ex fundamento ab incommodis iſtis liberari cupit, neceſſum priùs eſt, veram hujus conſtipationis cauſam indagare, ac remedia dein dirigere; uti modò breviter, omnibus circumſtantijs benè perpenſis, facio.

Cauſæ conſtipationum variæ.

Cauſæ conſtipationũ variæ ſunt, partim extrinſecæ partim intrinſecæ. inter externas coñumerantur potus & cibi ſicci auſteri & adſtringentes, magna abſtinentia cibi & potûs, ob quã pauca excrementa generantur, ipsáque adeò inteſtina nec gravantur, nec ad expulſionẽ ſollicitantur. Inter cauſas internas calor eſt & ſiccitas inteſtinorum, obſtructio rami cholidochi, per quem è veſicula fellea bilis in inteſtina ad irritationem eorundem effunditur. huc quoque pertinet, inteſtinorum inſenſibilitas, & horum à nimia pituita obtuſio, ob quam acris & irritans bilis non ſentitur, atque adeò ipſa natura ad expulſionem excrementorum ſufficienter non commovetur. quin ſæpe etiam hepatis æſtus cauſa eſt hujus affectûs: per illum enim ventriculus & inteſtina (utpote hepati vicina & ad contactum contigua viſcera) incaleſcunt & exſiccantur; ad hæc à dicto hepatis & renum calore, debita ventriculi inteſtinorúmque humiditas attrahi & quaſi exſugi poteſt, alvi ſiccitate neceſſariò exin ſubſequente. Non commemoro hoc loci debilitatem & impotentiam naturalem, ob quam facultas ſuperflua excrementa per inferiora expellere non ſufficit: talis etenim impotentia, præteritum vel præſentem morbum præſupponit magnum, qualis defectus, apud Dominationem Veſtram nec dum (Laus Deo) inter ægrotos connumeratam, non reperitur.

Conſtipationis cauſa in particulari.

Quæ verò, ex his modò enumeratis, cauſa conſtipationis lateat, ex corporis viſcerúmque principalium obſervata conſtitutione utcunque cognoſci poteſt. Ego antehac in DominationeVeſtra ventriculum frigidum, humoribúsque pituitoſis, qui inibi cumulantur, refertum eſſe, è contra hepar meſenterium & renes pluſculo calore abundare obſervavi; unde ſequitur quòd pituita, quæ à ventriculo ad inteſtina deſcendit, incaleſcat quidem, non tamen concoquatur, ſed craſſa potiùs ac lenta effecta, ita inteſtinorum parietibus inhæreſcat, ut hæc affluentem & ad expulſionem irritantem bilem non ſentiant, atque adeò fæces tamdiu detineantur, donec exſuccæ & ad excretionem ſemper magis ineptæ reddantur. Hanc opinionem meam, ut multis argumentis demonſtrem, neceſſarium non eſt: illam

iſtam urina, hepatis renúmque caliditas confirmant, & quoniam in Dominatione Veſtra ventriculus à frigidis læditur (uti in potu acidularum contigit) concludendum eſt, debilem illum eſſe, ac quoad calorem naturalem aliquoúsque deficere. Neque ſubticere debeo Dominationem Veſtram ad Melancholiam hypochondriacam non diſpoſitam tantùm, ſed de facto ab illa affici; quæ ſi radices agit, multis incommodis hominem opprimit, præcipuè metum & triſtitiam fingit ſine cauſa, ventriculi torſiones facit, ſitim creat, flatus in corpore & ructus plurimos ſuſcitat, exſpuitiones frequentes movet, & denique vix non incurabile efficit malum.

Itaque quod ad præſervationem hujus affectûs & conſtipationem alvi pertinere videtur, paucis declarabo. Primò talis ordo in victûs ratione inſtitui debet, per quem pituita in ſtomacho tam copiosè ampliùs non generetur; in quem finem Dominatio Veſtra ab omni ſuperfluitate tam in cibo quàm in potu, præcipuè ab omnibus crudis, flatuoſis, & facilè putreſcentibus alimentis lacte, farinaceis, caſeo, fructibus horarijs non coctis, piſcibus quantum fieri poteſt, abstinebit. potus ſit vinum Neccaricum aquâ ſi potens ſit, lymphatum. Cerevifia, mulſa, muſtum, vina dulcia, aqua cruda nocent. Victûs ratio.

Alia media quod attinet conſiſtunt partim in alimentis, partim in medicamentis. laxantes & Dominationi Veſtræ accomodi cibi ſunt iſti: ova recentia ad ignem modicè cocta, epota præcipuè ſi bona pars ſacchari culinarij (vulgò Kuchel-Zucker) fuerit addita: Juſculum carnis in quo Beta, Mercurialis, Spinachia incoctæ ſint. Pruna dulcia pinguia in aqua cum melle & ſaccharo culinari cocta & ante menſam cum brodio comeſta: item ficus pingues aliquot, vel uvæ paſſæ majores vel minores in aqua priùs tumefactæ ad ℥j. vel ampliùs ante alios cibos ingeſtæ: Pulmenta ex uvis paſſis, herbæ elixæ emollientes, hordeum optimè coctum etiam in hoc caſu commendantur: Panis benè fermentatus, non tamen omni furfure purgatus, cùm juxta Medicorum doctrinam & experientiam meliùs abſtergat & purget parùm. Hac victûs ratione alvus fortaſſis laxior fiet, ſed quoniam craſſa & lenta pituita evacuari debet, neceſſarium eſt, ut ſubinde de medicamentis laxantibus aliquid aſſumatur. Cibi laxantes. Panis benè fermentatus nõ tamẽ omni furfure purgatus meliùs abſtergit, & purgat parùm.

Primò pruna laxativa tali modo conficiantur, inter cibos tamen adhuc connumeranda. Accipe vinum Reinfalinum vel in defectu hujus vinum vetus Rhenenſe ℥vj. diſſolvantur in his ℥xij. Mannæ Calabrinæ, addendo Cinnamomi optimi ʒij. pruna nigra dulcia ſelecta N°. 25. ſtent ad ignem donec pruna omnem humiditatem imbiberint. de his prunis quinque vel ſex in prima menſa accipiantur, medicamentum eſt ſecurum, ſed forſan levius. Cardanus Mannam in aqua Boraginis diſſolvit, atque aquam exin in vitreis vaſis Pruna laxativa. Aqua deſtillata purgans.

 per Bal-

per Balneum Mariæ deſtillat & ab ℥j. ad ℥ij. propinat. Paſſulæ quæ ſequuntur amabiles ſunt, pituitam purgant, & Melancholiam.

Paſſulæ laxativæ pituitam & melancholiam evacuantes.

R. *Foliorum Senæ ſelectæ* ℥iij.
Macis,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Galangæ ana ʒj.

Coquantur in *lib.* ij. *aquæ* ad conſumptionem medietatis, ſtent per noctem, manè colentur per pannum, exprimãtur. juri expreſſo addantur
Sacchari ℥x.

Coquantur ad Julapij conſiſtentiam. interim dum adhuc calent omnia, inijciantur
Paſſularum minorum ℥iij. vel ℥iijß.

Adſerventur in vaſe vitreato.

De hoc jure & paſſulis cochleare unum vel duo, mox ante menſam deglutiantur, ſuperbibendo ſemper juſculi carnis aliquantulum.

Ejuſdem ſuavitatis ac efficaciæ eſt electuarium quod ſequitur.

Electuarium diaprunis ſuave Authoris.

R. *Foliorum Senæ ſelectiſſimæ* ℥iij.
Zingiberis,
Macis,
Caryophyllorum,
Galangæ ana ʒj.
Florum Boraginis
Bugloſſi ana ℈j.

Affundatur *aquæ & vini Reinfalini ana* ℔j. coquantur ad conſumptionem medietatis. ſtent indè per noctem, manè facta optima expreſſione imponantur in brodium
Prunorum benè maturorum exemptis nucleis ℥iij.

Stent per tres vel quatuor horas, indè contundantur pruna ac traijciantur per ſetaceum, ita ut prunorum tunicæ non tranſeant. tandem addantur
Sacchari ℥ijß. vel ℥iij.

Coquantur ad formam electuarij mollis inſpergendo ad finem
Cinnamomi acuti pulveriſati ʒij.

Doſis ante menſam ab ℥j. ad ℥ij.

Vinum medicatum ad eandem intentionem ſic paratur.

R. *Senæ*

R. *Senæ ſelectæ* ℥iß.
Zingiberis craſsè inciſi,
Nucis Moſchatæ raſæ ana ʒß.
Corticum Citri extimorum ʒj.
Florum Boraginis,
Bugloſſi ana ℈j.
Abſinthij Mj.
Affundatur Auguſtana menſura una & ſemis *vini Neccarici*, ſtent in olla vitreata in cella vinaria, de quo fiat primus hauſtus in mēſa.

Vinum medicatum alvū lubricā tenens.

Aliquando & clyſmata laudantur, ita tamen ne in conſuetudinem abeant. fieri illa poſſunt ex brodio carnis non ſalito, Oleo Olivarum, Saccharo, vitello ovi, & pauco ſale. vel, ſi placet, Malva & Mercurialis prædicto brodio carnis incoqui poterunt. lac etiam in vicem brodij commodè ſubſtituimus. ante omnia ægrotis meis, in ſimili occaſione, ſuadere ſoleo talem injectionem.

Clyſmata,

R. *Butyri recentis*,
Olei Amygdalarum dulcium ana circiter ℥iiij.
Calefiant & loco clyſmatis inijciantur.

Enema ex ſolo butyro & oleo.

Poſt injectionem quieſcat æger, ut clyſma diutius retineatur, atque ipſa inteſtina magis humectata ad excretionem ſollicitentur; loco olei Amygdalarum dulcium Chamæmelinum, Liliaceum vel etiam oleum commune ſæpius ſubſtitui.

In iſtis omnibus remedijs alternatio quædam neceſſaria eſt: aliàs enim, ut Galenus docet, Natura hiſce aſſueſit nimiùm, ut illis amplius non cedat. ſciat porrò Dominatio Veſtra, quòd, eodem Galeno teſte, purgantia confundi non debeant, nec plura & frequentiùs in uſum deducenda ſint: nam licèt alvi ſeceſſus crebriores efficiant, ſicciorem tamen plerumque & pigriorem reddunt.

Omnia purgantia frequentiùs aſſumpta, licèt ſeceſſus crebriores efficiant, ſicciorē tamen plerumque & pigriorem reddunt alvum.

Vltimò ac præcipuè hoc addo, quòd præter bonam victûs rationem, tria ſuperiùs dicta laxantia remedia, nempe Paſſulæ laxativæ, Electuarium ex Prunis, & Vinum medicatum, adjuvante Deo pituitam & humores melancholicos pedetentim evacuare, obſtructiones hepatis & venarum meſaraicarum (quibus Dominatio Veſtra ſubjecta eſt) aperire, ac tandem melancholiam hypochondriacā præſervare certò valeant, ita tamē inſtituta, ne toto año in uſū continuum veniant: quippe multa medicamenta etiam ſecuriſſima frequentiùs tamen repetita corpus debilitant, haud aliter uti pannus ſæpius lavatus atteritur, ac tandem deſtruitur. Suadeo proinde, ut Dominatio Veſtra hoc tempore medicamentis ſupradictis tali modo utatur: accipiat ſemel vel bis in ſeptimana vinum medicatum, poſtea paſſulas laxativas, vel electuarium diaprunis ſuprà ſcriptum; interea verò, ſi opus eſt, clyſma ſibi inijci curet, atque ſic remedia commu-

Multa medicamenta etiā ſecuriſſima frequentiùs repetita corpus debilitant, haud aliter uti pañus ſæpiùs lavatus atteritūr ac tādem deſtruitur,

commutando per ſeptimanas circiter octo debita tamen ſemper cum diſcretione pergat; Corpore poſtmodum ſufficienter tali modo evacuato, Dominatio Veſtra paulatim iterum à remediorum uſu recedat, ita ut in ſeptimana purgans aliquod ex illis adhibeat ſemel tantùm, poſtea ſingulis quatuordecim diebus, ac tandem ſingulis menſibus vel etiam rariùs. Cibos interim laxantes, uti paſſulas ex aqua, pruna, juſcula herbacea, pro laxatione alvi nunquam intermittat.

Judicium Mermanni exactum.

Cæterùm cùm tempus modò propè eſt, in quo purgationes annuæ & ſanguinis miſſiones inſtitui ſolent, author quoque ſum, ut ex conſilio Medici adſiſtentis corpus benè expurgetur, vena in brachio dextro hepatica aperiatur, ac poſt aliquot dies venæ hæmorrhoidales, appoſitis tribus ſanguiſugis, aperiantur ſanguine ad ℥ix. vel x. evacuato; quo auxilio, calori interno ac melancholiæ hypochondriacæ multùm proſpicietur.

Sanguiſugæ.

Denique iterum illud repeto, quod nuper ſuaſi coràm, nempe ut Dominatio Veſtra uxorem ducat: nam quamvis actus conjugalis ſtomacho viribúsque omnibus nocere dicatur, illud tamen de debilioribus tantùm, vel ſi actus ille ſine debita moderatione fiat, intelligitur. Verùm cùm Dominatio Veſtra juvenis ſit plethoricus, & aliquid de melancholia participet, ſuadeo uxorem, ex eo præcipuè capite, quòd Venus moderata animum exhilaret, craſſos ac melancholicos vapores, quibus mens ferè obfuſcatur, diſſipet, atq; corpus debitè excalefaciat; ſed uti dictum parcè & per ſufficientia intervalla. & hæc ſunt quæ Dominationi Veſtræ ex ſingulari animi mei affectu proponere volui, omnia judicio Medicorum præſentium ſubijciens. Monachij 20. Martij. Anno 1591.

Venus moderata qualia commoda, & in quibus?

CONSULTATIO XXVI.

ALVI CONSTIPATIO.

PRO

FOEMINA GRAVIDA.

✠

MItto Electuarium è Prunis ſuave, ad alvi duritiem emolliendam: de quo pars, horam unam, aut dimidiam ante menſam devoretur ſuperbibendo quantitatem unciarum ſex vel ſeptem juſculi carnis vel gallinæ. Electuarium hoc ante annos 25. compoſui pro Sereniſſima quadam gravida

Electuarij Diaprunis uſus eximius in gravidis.

gravida & crebris periculoſíſque lipothymijs obnoxia. ab illo tempore in uſu frequenti eſſe cœpit hoc medicamentum. nam à gravidis ſecurè adhibetur ſemel vel bis in ſeptimana à decima ſexta ad vigeſimam quartam uſque gravidationis ſeptimanam, ante verò & poſt hæc tempora non facilè ad medicamenta purgantia progrediendum erit, ſufficient fercula, quæ alvum mollem conſervant. Quòd ſi verò contingeret, ut electuarium hoc tranſmiſſum flatus concitaret, ob magnam conſtipationem & pituitæ copiam, atque adeò ab illo deſiſtere cogeretur, ſuaderem deinde, ut prunis dulcibus momento Cinnamomi conſperſis, atque in aqua coctis, ac tandem Mannæ unciâ ſemis vel unciâ unâ dulcoratis uteretur, ſingulis ſeptimanis ſemel in principio menſæ; quod locum habet ad menſem ſeptimum uſque gravidationis. Pilulæ ſecuræ non adeò ſunt, uti nec clyſmata. Verùm urgente neceſſitate clyſma ex lacte, ſaccharo, butyro, aut ex brodio carnis, ſaccharo, & oleo communi confectum, addito pauco ſale, concedi poteſt.

CONSULTATIO XXVII.

HERNIA.

PRO

VIRO ILLUSTRI.

✶

AFfectus, de quo Illuſtris Dominatio tua per litteras mihi conqueſta eſt, magnam diligentiam requirit, maximè in cibo & potu ritè inſtituto: eum quidem in finem, ut optima concoctio fiat, & omnes cruditates inhibeantur: cæteroquin enim inteſtina flatibus turgent, abdomen diſtenditur, atque adeò ipſa peritonæi relaxatio plurimùm promovetur. Proinde vitabit Illuſtris Dominatio tua cibos omnes, qui craſſum pituitoſum & flatulentum ſuccum præbent, utpote fructus horarios, caſeum, lacticinia, farinacea, cereviſiam, aquam, muſtum &c. obſunt quoque balnea aquæ dulcis, exercitia violenta, Venus. Herniosis victûs ratio exquiſita apprimè neceſſaria.

Diætâ probè inſtitutâ, ſuadeo, ut Illuſtris Dominatio tua ſequentibus remedijs utatur. primò quidem pro humorum pituitoſorum præparatione (qui circa ventriculum & meſenterium ſtabulantur) iſte ſyrupus conveniet.

R. *Mellis*

R. *Mellis Roſati colati,*
Oxymellis ſimplicis ana ℥ij.
Miſce pro duabus vicibus.

Sumantur per duos dies continuos, manè horis quinque ante prandium, ſuperbibendo uncias aliquot juſculi carnis. poſt hæc ſequens bolus, manè, circa horam ſextam deglutiendus eſt, quo aſſumpto ſomnus iterum, ſi placet, iniri poterit.

Bolus purgans.

R. *Aloës Soccotrinæ* ʒiß.
Rhabarbari electi ʒß.
Specierum Eleſcophi ℈j. *grana* iij.
Corticum Arantiorum ſiccorum,
Caryophyllorum ana ℈ß.
Cubebarum grana vj.
Pulveriſentur & miſceantur, dein affusâ modicâ *aquâ Cinnamomi*, formetur bolus, qui offeratur involutus nebulis, ſuperbibendo unciam unam *brodij Zinziberis* conditi, ex cochleari.

Corpore ſic præparato & purgato, ad externa remedia devenire poſſumus, & etiam ad appropriata: nempe ad fomenta, inunctiones, pulverum inſperſiones, emplaſtra, ligaturas, &c. fomentum tale erit.

Fomentum.

R. *Myrtillorum,*
Nucum Cupreſſi,
Sumach,
Corticum Granatorum ana ℥j.
Gallarum ʒvj.
Summitatum Abſinthij,
Roſarum rubrarum,
Herbarum Centinodiæ,
Plantaginis ana Miß.
Florum Chamomillæ Mß.
Herbæ incidantur, reliqua verò craſsè contundantur. de hiſce accipe Mj. affunde *vini rubri, aquæ fabrorum ana* ℔iß. bulliant, ac dein ſpongiam in hoc decocto madefac, quâ mediocriter expreſsâ locum affectum fomentabis calidè, per horam circitèr mediam.

Quo peracto, locus linteo mundo ſiccetur & ſequenti oleo inungatur calidè, ac mox pulvere infrà ſcripto inſpergatur pondere circitèr drachmæ unius.

R. *Olei*

℞. *Olei Maſtichini* ℥j. Linimentum.
Cotoneorum,
Myrtini ana ℥ß.
Miſce pro unguento.

℞. *Maſtiches* ℥j. Pulvis adſtringens.
Gallarum,
Carabe ana ℥ß.
Boli Armeni ʒvj.
Fiat pulvis ſubtiliſſimus pro inſperſione.

Interim neceſſarium eſt, ut ligaturâ utatur quàm maximè congruâ, ne dolor excitetur, aut alia incommoda producantur. Præterea durante hac cura Dominatio Tua Illuſtris domi ſe continebit lecto ut plurimùm affixa, in dorſo cubans per viginti circiter dies; quibus elapſis, fomenta, inunctiones, & pulverum inſperſiones omitti, atque impoſterum loco iſtorum ceratum ſequens parti affectæ apponi poterit. Ligatura.

℞. *Maſtiches* ʒij. Ceratum.
Ladani,
Biſtortæ,
Nucis Cupreſſi,
Hypociſtidis,
Acaciæ,
Sanguinis Draconis,
Terræ ſigillatæ,
Roſarum rubrarum,
Boli Armeni ana ℈ij.
Thuris,
Tragacanthi,
Gummi Arabici ana ʒj.
Ceræ ʒij.
Picis navalis ℥ß.
Terebinthinæ ʒv.
Fiat Emplaſtrum ad rupturam.

Toto curationis tempore, alvus ſit aperta; in quem finem paſſulas laxativas deſcripſi, quibus, ſi opus eſt, ad cochlearia duo, immediatè ante menſam utatur, ſuperbibendo mox ſcutellam juſculi carnis. Paſſulæ laxativæ ſimiles fieri poſſunt.

℞. *Foliorum Senæ Alexandrinæ* ℥ij. Paſſulæ laxativæ.
Zinziberis ʒij.
Cinnamomi,
Macis,
Galangæ ana ℈ij.

Decoquantur in *aquæ fontanæ* ℔ij. ℥ij. ad conſumptionem medietatis, relinquantur in loco calido per noctem, manè fiat colatura cum valida expreſſione. cui adde

Sacchari albi ℥viij.

Rurſus coquantur ad conſiſtentiam Julapij, cui inijciantur

Paſſularum vino albo lotarum ℥vj.

Miſce & reponantur in vaſe fictili, ſignentur Paſſulæ laxativæ.

Cæterùm quod interna & appropriata medicamenta attinet, maximè ſperarem in herbula illa, quam Polygonum minimum, alij herbam Herniariam Hollerij, vel etiam herbam Millegranam indigitant. ſumatur de hac herba manipulus unus, bulliat in ℔iß. vini rubri, unica ebullitione, poſtea exprimatur, & ſuccus unà cum vino mixtus, priùs tamen per linteum percolatus ebibatur, manè calidè ad ℥iiij. quinque horis ante menſam; hic hauſtus repetatur eodem die, horis duabus ante cœnam ſubfrigidè; & continuetur ſucci hujus herbulæ uſus ad novem dies. Interea antequam Illuſtris Dominatio Tua hanc herbam acquirat (neque enim ubique obvia eſt, creſcit aliàs in locis ſabuloſis) ſingulis diebus manè in vino rubro utatur, pulvere ex radice Conſolidæ majoris ad ℨj. &c. Monachij 19. Decembris. 1585.

Herniaria.

Conſolida major.

CONSULTATIO XXVIII.

HÆMORRHOIDUM DOLOR.

PRO

VIRO NOBILI ET MAGNIFICO.

HÆmorrhoidum dolor, qui te crebrò infeſtat, originem ducit ex magna totius venoſi generis plethora; Naturâ redundantem ſanguinem, eúmque craſſiorem ac melancholicum ad illam partem ignobilem compellente. Ad malum hoc propulſandum his potiſſimùm remedijs utêris: ante omnia alvus lubrica reddatur, vel emolliente clyſtere, vel, cùm ab hoc remedio te cum pleriſque Germanis abhorrere exiſtimem, ℥j. floris Caſſiæ recens extractæ ante cibum mediâ horâ devoratâ, vel ℥iiß. Mannæ Calabrinæ in juſculo vel aqua Bugloſſi diſſolutæ &

Leniens.

aſſumptæ

aſſumptæ quatuor horis ante prandium. Lenito ventre ſequenti die baſilica dextri brachij (vulgò die Leber-Ader) ſecetur, extrahantúrque ſanguinis circiter ℥vj. plus minus. altero die vena malleoli in dextro pede aperiatur, vulgò vocant die Roſen-Ader / fluátque ſanguinis tantundem. Venæ ſectio.

Peractis his phlebotomijs ad topica remedia accedendum. habes igitur linimentum Litterâ A. ſignatum, quo modicè calefacto locum doloris ſæpius inungas; ſimúlque cataplaſma hunc in modum parari jubeas: capiatur Manipulus farinæ B.ſignatæ, inijciatur in ſartaginē &affundatur lactis vel caprini velvaccini q.ſ. itē oleiViolati vel Roſati aliquot cohlearia, paretúrque pulticula calidè adhibenda, ſæpéque renovanda. proderit etiam balneum ſeu inſeſſus ex folijs Malvæ cum radicibus, folijs Biſmalvæ, Violariæ, Braſſicæ, floribus Chamomillæ, Meliloti, ſeminibus Fœnugræci, Lini & ſimilibus; hujuſmodi etiam herbæ & flores ſacculis incluſa, & aquæ incocta calentia pro fotu admoveri poterunt, quo ſæpius repetito linimentum & cataplaſma prædicta ex uſu erunt. Verùm omnium conſultiſſimum fuerit, hæmorrhoidas aperire admotis duabus vel tribus hirudinibus, quas Auguſtæ apud quendam Chirurgum aſſervatas reperiet. Topica. Sanguiſugæ.

Vitanda interea eſſent equitatio, commeſſationes, compotationes, omniáq; ſanguinem melancholicum generantia. Hæc Magnificæ Dominationi tuæ brevitek quidem, ſed artificiosè adnotata ſignificare volui, quæ ejus perſonæ in hoc temperamento non mediocriter profutura ſpero. quod faxit Summus & Æternus Medicus Dᴇᴜs Optimus Maximus.

Linimentum.

R. *Olei Violati loti cum aqua Violarum,*
Butyri recentis loti ana ℥ij.
Vitellorum ovorum N°. ij.
Olei ſeminis Lini ℥j.
Ceræ. q. ſ.
Miſce fiat Linimentum. Sig. A.

Cataplaſma.

R. *Farinæ ſeminis Lini,*
Fœnugræci ana ℥iij.
Pulveris foliorum Malvæ ℥iß.
Miſce. Sig. Farina B. pro cataplaſmate.

CONSULTATIO XXIX.

DOLOR HÆMORRHOIDUM COECARUM INGENS, SEU CONDYLOMATUM SUSPICIO.

PRO RELIGIOSA FOEMINA.

Ad Arnoldum Heniſchium Medicum.

Itteræ tuæ, quòd mihi & notitiam Tui, Viri præſtantis ac conterranei mei, afferrent, & benevolentiam erga me non vulgarem ſignificarent, pergratæ mihi fuerunt: lætatúsque illis perlectis ſum non mediocriter, quòd Amico, quem de facie hactenus non noviſſem, auctum me eſſe intelligerem. Ego Mercuriali præceptore uſus nunquam ſum, utor tamen nunc amico, intercedentibus litteris, quas mutuò ad nos damus crebrò admodum. Tu nunc tertius eris, de méque tibi omnia amantiſſimi conterranei officia polliceberis. Venio nunc ad dolorem, quo Nobilis & Religioſa Fœmina conflictatur; is, dum nuper apud nos eſſet, ita conquieverat, ut ob reſtitutam valetudinem lætabunda abitum hinc ſuum intempeſtiviùs fortè maturaret. de cauſa illius Tecum conſentio, procreari eum à cæcis dictis hæmorrhoidibus, motu ac ſucceſſione currûs rurſus non parùm exaſperatis; quod in corpore tam plethorico ac menſium parcitate mirum videri non debet. curationem difficilem reddit locus abditus, quíque ſenſui non objicitur, & ſatis certum non ſit, an ad hæmorrhoidas duntaxat tumentes, an verò ad condylomata quoq;, ſive alias ani affectiones malum referri debeat. ut ut ſit, per hirudines admotas illicò reſerandæ videntur, cùm præſertim nec venę ſectio, nec punctio hactenus multùm profecerit, cùm dolor tam intenſus ſit, ut illa ab inſania ſibi metuat & mortem exoptet, ei ſedando incumbendum, Id præſtabunt ardorem, de quo queritur, mitigando, olea Roſarum, Violarum, cum ovorum albumine, mucagine Pſyllij cerebrò injecta: externa enim ſine fructu ferè adhibeas. clyſteres laudo paratos ex Violariæ, Parietariæ, ac Malvæ decocto cum oleo Violato & duobus ovorum vitellis, ſine ſale. ab oleo Mandragoræ & Philonio abſtinendum cenſeo, ſolum ſuppoſitorium ex Philonio ad cruciatum compeſcendum ſatis eſſe poſſe ratus, vel oleum Roſatum cum mo-

Mermannus Mercuriali præceptore uſus nunquam eſt.

Injectiones ano[illegible]ynæ.

Suppoſitoria narcotica tutiora quàm clyſteres narcotici altiùs intruſi.

cum momento Opij & duplo Croci cum filamentis vel bombace immiſſum, aut doſi paucula quæ ℥j. non excedat injectum. Verùm Narcotica cautè atque rarò admodum, & in ſumma neceſſitate cæteriſque remedijs irritis, uſurpanda, neque altè nimis in anum intrudenda. Sedatis inflammatione ac dolore, ſuadeo ut ad olei uſum, quem hîc feliciter eſt experta redeat, id vel ſolum infundendo vel oleo Roſato contemperatum. habet id facultatem diſcutiendi, ſiccandi, leniendi, ac coquendi ex Terebinthina, Sulphure, oleo Roſato, & Vino paratum; ut ex deſcriptione, quam illi communicavi, eſt videre. Alia remedia, quæ aliàs ad hæmorrhoidas aperiendas commendantur, hoc loco propter doloris ſævitiem prorſus non probo. habes Vir Doctiſſime ſententiam meam tumultuariè explicatam. Monachij 20. Aprilis. 1588.

Oleum particulare.

CONSULTATIO XXX.

ANI FISTULA, ET INVOLUNTARIA ALVI DEJECTIO.

PRO

VIRO NOBILI.

Involuntaria alvi dejectio Nobiliſſimum Virum graviter affligens ſymptoma eſt à morbo exortum, qui in ſphinctere recti inteſtini muſculo conſiſtit, aſſeveranter id pronuntiare non vereor; quòd neceſſum ſit actione corporis aliquâ læsâ, organum ejus quoque vitiatum. Cùm verò ad fæces, quæ ad rectum inteſtinum jam deſcenderunt tantiſper retinendas, donec eas emittere opportunum ſit, aliud auxilium ſeu clauſtrum Natura homini non comparavit, quàm unicum illum muſculum pari carentem, in eo ſanè morbum ſymptomatis iſtius autorem conſtituere nemo dubitaverit. Morbus is fiſtula eſt ani, quâ Nobiliſſimus Vir laborare ſcribitur, quemque hîc præcipuè incuſandum equidem cenſeo.

Actione corporis aliqua læſa, neceſſum eſt, organum ejusquoque eſſe vitiatum.

Meminit porrò Galenus *Lib.5. de Uſu Part. Cap.14.* corporis cujuſdam, quod ad recti inteſtini externa ſitum eſt, mediæ inter carnem & cutem ſubſtantiæ, quaſi utriuſque mixtione conflatum, labiorum parti extremæ ſimile; atque ejuſdem cum ſphinctere uſûs; viribus tamen eo inferius, huic corpori à teneſmo diuturno vim non

Ani labia.

mediocrẽ atq; injuriam perpeſſo, miréque fatigato nonullam mali hujuſce culpam adſcribere, ſi vera ſunt, quæ de uſu ejus à Galeno traduntur, rationi valde conſentaneum eſt. Ad inteſtinum ipſum quod attinet, cùm illud, ſicut & reliqua inteſtina omnia fibris obliquis careat, ac proinde facultate tam chyli, quàm fæcum retentrice deſtitutum ſit, quidquid alij Medici Galeni locis nonnullis haud ſatis intellectis nitentes ſecus hac de re ſcribant; idcirco in vitium ejus, tanquam vi retentrice orbati referri malum hoc verè non poteſt. Interim tamen non negaverim, idem inteſtinum rectum ulcere eſſe detentum, cujus ſtimulo quantumvis levi ſphincteris actio admodum levis ac languida ad viam nunc fæcibus nunc muco illi cruentato, nunc verò utrique patefaciendam ac protinus laxandam nullo negotio excitatur. An verò & hoc inteſtini recti, & alterum illud ſphincteris ulcus à cacochymia unde olim originem ſuã utrumque duxit, etiamnum foveatur, ſtatuere nequeo, quin potiùs inducor, ut ſuſpicari hoc deſinam, quòd ægrum ſæpius jam vacuatum ac perpurgatũ Excellentiſſimi D. Doctoris Cheſſij relatu cognoverim.

Inteſtinum rectum retentrice caret.

Cæterùm quæ præter ſtercora invito ægro effluunt, ad hepaticum fluxum nequaquam pertinere, ſi vel præterita conſiderentur, ita certum indubitatúmque eſt, ut demonſtratione non indigeat.

Ex his ita conſtitutis liquidò apparet, quos ſcopos ſibi propoſitos Medicus habere, hoc eſt, quæ opera in curatione præſtare debeat. Nempe inteſtini recti ulcus detergendum, ſiccandum, glutinandúmque. Fiſtula obtrito & eliſo callo probè repurgata carne implenda, aliorúmque ulcerum more conſolidanda. Corpus in ani margine ſeu extremitate ſitum ſi divulſum, atque ad coarctationem loci impotens redditum ſit, remedijs ſine morſu ſiccantibus, quorũ us⁹ in labiorũ ac papillarũ fiſſuris accomodat⁹ eſſe ſolet, curandum. Vtrùm verò hæc ab arte præſtari omnino ac tutò poſſint; meritò quis ambigat. Equidẽ inteſtini ulcus haud difficile curatu, alterũ verò difficultatis pleniſſimum fore cenſeo. Tres autem ſcrupulos fiſtula iſta mihi præcipuè injecit; primus eſt incertitudo, unúmne ſinum, an plures quaſi anfractus tortuoſos labyrinthi inſtar obtineat, qui immiſſo ſpecillo deprehendi non poſſunt. ob ídque necdum exploratum ſatis ſit, num ad inteſtini cavitatem pertingat? Alter qui me ſollicitum tenet ſcrupulus eſt, quòd verear non ſolùm muſculi carnem abſumptam, verùm & fibras ejus unà eroſas eſſe, quæ, cùm ſeminales ſint, nulla queunt arte humana reparari. nil itaque ſpei reliquum foret ſphincteri robur ſuum reſtituendi, ulcere quantumvis probè ſanato. Tertiò obſervatum ſæpius eſt, clauſis ac cicatrice obductis antiquis id genus ulceribus, impeditáque colluviei nunc affluentis repurgatione gravia ſubinde ac periculoſa ſubſequi valetudinis incommoda. Verùm poſtremo huic periculo accuratã vivendi ra-

Cura.

Fiſtulas ani curandi difficultates.

Fiſtulæ ani cicatrice obductæ, gravia & periculoſa ſymptomata procreàrunt.

vendi ratione; crebrioribus evacuationibus; ac tandē cauterio cruri vel brachio impreſſo haud difficulter occurri poterit.

Fiſtulæ curatio Chirurgum poſtulat haud vulgarem, ſed dextrum ac benè exercitatum, cujuſmodi non paucos alit Italia. in quibus primū fortè locum obtinet Hieronymus Aquapendens Patavinus Medicus percelebris. non eſt animus mihi hoc loco referre, quæ idem in ſuo pentateucho de ani fiſtula, quæ item Ambroſius Paræus Chalmatæus, Fuchſius ac denique Æginera, Aëtius, ipſéque Hippocrates copiosè ſcripsêre. Summa rei in periti Chirurgi manuali operatione eſt poſita, qui è magna ſylva remediorū tutiſſima ſeligere atque adhibere novit. Si ille ad inteſtinum ulcus penetrare per artificioſam inveſtigationem comperetit, me conſultore ab ejus curatione abſtinebit, ſola ipſius mundificatione, ac palliatione, quam vocant, contentus, perpetuò in eam curam incumbens, ne externum ulceris orificium occluſum conniveat ſaniei effluxui viam denegans: unde æger in magnum vitæ diſcrimen paulatim induci poſſit. Non gravabor hîc adſcribere duo ad fiſtulas remedia à Clariſſimo maximæque experientiæ Medico Germano commendata, tuta imprimis ac paratu facilia. primum ſic habet.

Fiſtula ani, ſi ad inteſtinum uſque penetrat; tutius eſt, ab ejus curatione abſtinere, & ſola mundificatione contentum eſſe.

Remedia ad fiſtulas ani ſelecta.

℞. *Vini albi optimi* ℔vj.

In quo pone *Roriſmarini* Miiij. coque parùm, ſtent in infuſione per duos dies. poſtmodum fiat aqua vitæ per deſtillationem. de qua ſumantur ℥ij.

His adde *Aluminis Saccharini* ℈j. imittatur portio aliqua ad fundum.

Alterum eſt.

℞. *Summitatum Centaurii minoris* Miij.
Radicum Pentaphylli Mß.
Arnogloſſi majoris recentis Pj.
Herbarum Chamædryos,
Scabioſæ ana Mj.
Vini cocti vel ſapæ ℔iiijß.

Coquantur omnia in olla ad medietatem, poſtea herbæ & radices validè exprimantur, tandem ad ignem prunarum ſuaviter ad ſpiſſitudinem mellis coquantur.

Decoctum ligni.

Decoctum ligni Guajaci uti nulla ratione improbo, ſic ſpem in eo magnam certè non pono. itaque alijs omiſſis tria auxilia in quibus fiduciam habeo, ad omnes implendas indicationes non exiguam colloco, in medium afferam. Primum eſt aqua montis Latini Tettucij vocata, hanc ego experientiâ didici ad cruentos mucos copiosè ac longo tempore per alvum egeri ſolitos mirè profuiſſe. Hoc remedium

Aqua Tettucij ad cruentos mucos copiosè ac longo tempore per alvum egeri ſolitos, mirè prodeſt.

medium tam potu quàm clyſtere Nobiliſſimo Viro adhibendum, aliíſque præmittendum planè ſuadeo. Conſilio huic præter meam experientiam ac recentiorum Medicorum conſenſionem aquas illas ad dyſentericos fluores ſummopere commendantium Hippocratis adſtipulatur auctoritas. *Lib.3. de Aëre, Aquis & Locis.* & Gal. 12. *Method. Med.* falſam aquam inteſtinorum ulcera ſiccare ſcriptum reliquerat. Alterum eſt aqua medicata Wembdingenſis in hac provincia Bavarica ſcaturiens mille paſſus à civitate Imperiali Nörlingâ juſſu Sereniſſimi Ducis Bavariæ Alberti inſtauratâ; hujus fons ſulphure, alumine ac nitro conſtare creditur. valet cùm ad alios complures morbos. tum verò ad ulcera maligna inveterata ac fiſtulas ſolo balneo & clyſteribus uſurpata: ejus uſu perilluſtrem ac doctiſſimum quendam virum à fiſtula ani ac permoleſta impuritatum copia aſſiduè emanante liberatum cognovi. quo nomine ſi Dominus Patiens noſter in Bavariam ſe conferre eaſdem aquas tanquam præſidium imprimis tutum experturus, non gravabitur, fortè auxilium ac fructum haud pœnitendum indè exſpectabit. Tettucianas tamen eas præcedere volui, quas ob id ſecum conferre in Germaniam operæ pretium foret, ut illas præmiſſas iſtæ mox ſubſequerentur. Tertium fons eſt Spadanus in agro Leodienſi, cui non abſimiles in alijs Germaniæ locis quàm plurimi reperiuntur, maximo ægrotantium commodo potari conſuetæ. Ferri ſaporem manifeſtum repræſentant, linguam quamprimùm adſtringit, ejúſque meatus denſat, magnâ ſcilicet ferri copiâ & pauco ſulphure imbutus, cui canales & emiſſaria, per quæ aqua manat, rubro colorum tinctu atteſtatur. Si juſta menſura, quæ magna ſatis eſſe ſolet, ac debet, bibatur, alvum ſolvit, urinam provocat, & ſudorem movet, unde ſperare liceret eam à Domino ægro potatam, ulceris ſordibus per ſedem vacuatis, vi ſuâ adſtrictoriâ plurimum adjumenti allaturam; roborato ſimul unà ventriculo, abſumptíſque ſeroſitatibus, ſi quæ in venoſo genere contentæ fomitem ulceri præbeant; ſuave autem eſt remedium, palatóque gratiſſimum, ac vel ob id non indignum, cujus causâ iter quantumvis longum ſuſcipiatur.

Thermæ Wembdingenſes ad fiſtulas & ulcera inteſtinorum valent.

Thermæ Spadenſes.

De medicamentis alvum deijcientibus, de quibus quid ſentiam, quæque maximè probem à me petitur, ſic ſtatuo: Scammoneata, aliáque ſolutiva à claſſicis auctoribus nominata prorſus eſſe explodenda; Aloën, quòd ani venas reſeret, ſive aperiendo, ſive acres humores ad locũ illum deducendo, non poſſum non habere ſuſpectã; Sena quoque ob vim inſignem deterſoriam ſuâ non caret noxâ; Mannam item & Caſſiam, quòd nimia dulcedine ventriculum ac inteſtina reſolvant, nimiúmque humectent, non admodum probo. Placet itaque ante omnia Rhabarbarum, & mel Roſatum ſolutivum, ſive plurium infuſionum, hunc ferè in modum porrigenda.

Purgantia acria ſuſpecta.

R. *Mellis*

R. *Mellis Roſati laxativi* ℥iiij.
Aquæ Plantaginis ℥ij.
Pulveris Rhabarbari ſelecti ℈iiij.
Miſce fiat potio.

Quæ iteranda, quoties videbitur corpori ad medicatas aquas præparando ſatis eſſe. præſertim præmiſsâ Tettucianâ, quam nullatenùs omittendam putaverim.

De victûs ratione nõ eſt, quòd ego moneam Nobiliſſimi Ægroti Medicum doctiſſimum, juxtà ac prudentiſſimum; ut verò uno verbo ab ea me expediam, omnia ferè ipſi accomoda fore exiſtimo, quæ apud Cornelium Celſum *Lib.* 1. *Capite* 6. leguntur. Hæc habeo quæ de arduo ac difficili caſu reſpondeam. DEUS Optimus Maximus felicem optatúmque eis largiatur ſucceſſum. Monachij die 1. Martij. 1602.

CONSULTATIO XXXI.

CONDYLOMATA ET FISSURÆ ANI, EX DIFFICULTATE PARTUS.

PRO

NOBILI ET HONESTISSIMA QUADAM FOEMINA.

MAlum, quod in recti inteſtini margine, Nobilis & lectiſſima Fœmina jam aliquot annis patitur, puerili ac noxio pudore hucuſque occultatum, arbitror ego condyloma eſſe, hoc eſt, rugoſum ac durum tuberculum inſtar excreſcentiæ cujuſdam carnis, ani verò, ut Domina ipſa ſuſpicatur prolapſum minimè. Dolor acris, quem inter egerendum experitur, ſolutam unitatem, rimáſque ſeu fiſſuras ani, rhagades vocant, ſubeſſe arguit. Vtrùm verò à fiſſuris hiſce condyloma natum, an verò ex condylomate fiſſuræ exortæ primùm? affirmare non auſim. Rationi conſonum videtur, cùm in partu difficili contractus hic morbus ſit inter enitendum, in magno ſcilicet cõnatu illo, compreſſione partes ad anum pertinentes, à natura in hoc corpore calidiores, inflammatas, ac calidis & acribus influentibus humoribus tumefactas, accedentéque alvi duriſſimorum excrementorum tranſitu, fiſſuras ſeu rimas contraxiſſe, quorum labra temporis ſucceſſu ita induruerint, ut eorum curatio non parùm difficilis futura videatur. Hæc ſi ita ſunt, uti vera eſſe confido, donec locus

oculis honeſtæ alicujus perſonæ luſtratus, ac digitis contrectatus aliud fortè oſtendat, quæ mea ſit de curatione hoc tempore inſtituenda, ſententia, paucis explicabo.

Si corpus vitioſis atque acribus præſertim ſuccis refertum non ſit, uti putatur, ſolis topicis curatio omnis aggredienda. verùm perfici eam non poſſe, niſi emendata priùs alvi perpetua illa, de qua ſcribitur, ſiccitate, nemo eſt qui ignoret. Quapropter in hanc curam ante omnia incumbendum, ne fæces, dum difficulter deponuntur, exaſperare ac renovare quodammodo malum poſſint. retinentur in Nobili hac Domina fæces, exſiccantúrque immodicè, dum à jecore & renibus impensè calidis exuguntur. accedit facultatis expultricis ſegnities à crebra illa fæcum cohibitione, naturæ conſuetudinem impediente. Humectandus itaque venter, & facultas expultrix excitanda, jecoris ac renum calor præter naturam remittendus. Præſtabunt hæc magna ex parte alimenta tum medicamenta quoque idonea. In medicamentis repudianda, quæ adſtrictionem effatu dignam poſt ſe relinquunt, quæ Scammonium recipiunt, cæteráque potentiora à Medicis electivè trahentia ac verè ſolventia appellata.

Ad conſtipatam alvum remedia.

In cibis quæ animadverſione digna cenſeo, hæc ſunt. Panis ex farina à furfuribus non planè mundata alvo ducendæ aptior eſt, quàm ex ſincera. Elixa aſſis præferenda. Butyrum recens, ſicut & olerum, modò ventriculum non ſubvertant, ad alvum emolliendam accomodatum eſt. Cremor hordei ad putrilaginem coċti, quò magis lentus eſt, eò faciliùs per ventrem ſecedit; ſic propter eundem lentorem inſignémque humectandi vim Malva quoque conveniens fuerit. His annumerantur Lactuca, Spinachia, Atriplex, Beta alba (nigra putatur adſtringere) Lapathi folia, Ocymum viride coctum, Braſſica leviter elixa, percocta enim ſiſtit, Vrtica, quæ abſterſione & veluti titillatione ventrem ſubducere putatur, Mercurialis, de qua vir quidam doctus monet, quòd cui aquam affatim, non autem ſtercoroſa excrementa moveret, is ſequentibus diebus ventrem ſibi adſtringi animadvertit. Ex fructibus ceraſa dulcia, fraga, Armeniaca, Perſica benè matura, pruna dulcia, ex his quæ palato magis arridebunt, haberíque per anni tempus poterunt, in prima menſa ſumpta uſu moderato alvum tutò emollient. Fugienda verò adſtringentia & ſiccantia: item mordacia ac diuretica, cydonia aliáque ſtyptica etiam à cibo omittantur: quòd enim in fine menſæ ſumpta alvum ducant, ut vulgò creditur, nec ratione conſtat, nec experientiâ. Potus ſit vinum album largè dilutum, maturum minimè auſterum & adſtringens, duos annos non excedens. Non ignorandum etiam eſt, in menſa cum cibis crebriùs bibere, non fore in hoc caſu inutile: paulò enim largiore potu cibus humectatus ad facilio-

Alvi conſtipatio crebriori in menſa potu corrigitur.

rem de-

rem deſcenſum diſponitur. periculum autem ne ſupernatet, non ſubeſſe, his notis deprehenditur: ſi nimirum alimenta ad fauces uſque non regurgitent, ſi nauſea abſit, ſi corpus ſegnius ac tardius non ſentiatur, ſi benè reſpiret homo, ac dormiat, ſi poſt ſomnum adſit hilaritas, abſit triſtitia: tunc à potu aliquantò liberaliore, homini alioquin ſano, qui alvum ſiccam habeat, timendum eſt nihil. Confert etiam ventri laxando, matutina, & quæ ante cœnam fit, ambulatio moderata, quemadmodum etiam poſt cibum ſenſim ac modicè inambulare aut ſtare erecto corpore non eſt inutile. Quemadmodum autem vehemens corporis exercitatio ſiccando incommodat, ita otium licèt humectet, torpidum tamen corpus reddit, rectéque ali non ſinit. Vigiliæ quoque ac curæ graviores, quia ſiccant, adverſæ ſunt; ſomno igitur nocturno indulgendum, ſtudendúmque hilaritati. Conſultum præterea valde Dominæ fuerit, ut poſthac non modò alvum non cohibeat, verùm eam quamvis non ſtimulata quotidie manè ac veſperi in loco aliquamdiu ſedens cum levi conatu excitet, atque invitet. hæc de victûs ratione ducendæ alvo idonea; quæ ſi diligenter obſervata compotem voti Dominam non facient, ad medicamenta confugere opportunum ac neceſſarium erit.

In his primò occurrunt enemata, quæ acria ac potentia nequaquam ſunto, ne quod Galenus ſcribit, hìc quoque contingat: *nonnulli* (inquit ille) *in præſens gaudent, ſi copioſiùs dejecerint, verùm quantò magis ſunt vacuati, tantò his venter ſequentibus diebus adſtringitur.* ſed clyſtere ex oleo ſiccius excrementum madeſcit, & tranſitus fit lubricus. poterunt in hunc uſum butyro recenti incoqui folia Malvæ, Violariæ, Parietariæ, radices Althææ, ídque interdiu ad ſolem exponi, abjectis poſtmodum herbis, & radicibus, butyro eidem cum expreſſione colato eadem ingredientia rurſus inijci, ídque tertiò fieri, butyro deinde ad uſum adſervato. Hujus quatuor plus minus unciæ ſolæ, vel butyri atque olei Violati ſingulorum ℥ij. inijciantur; ſi non ſuccedat, tantundem lactis caprini, vel ſi ad manum non ſit, vaccini, vel juris carnium ac ſacchari rubri modicum addantur. Per os Caſſia recèns extracta, parva doſi, in ipſo ad cœnam acceſſu, utiliter quoque exhibebitur, vel pruna dulcia in aqua decocta, ac Mànnâ ſacchari loco dulcorata.

Frequentes clyſteres, & dejectiones copioſæ alvum ſiccã reddunt.

Butyrum clyſmaticum magiſtrale.

Cæterùm durante hac condylomatis hujus curatione, niſi gravida Domina fuerit, hoc quod ſubijciam electuarium, ceu palato non ingratum, conveniens fore mihi perſuadeo.

Electuarium Diaprunis.

R. *Florum Cordialium ana* Mß.
Paſſularum ℥iß.
Pulpæ Tamarindorum ℥iß.
Seminis Fœniculi ℥j.
Macis,

Cinnamomi ana ℈j.
Foliorum Senæ Alexandrinæ electæ ℥iij.
Omnia coquantur in ℔iij. *aquæ* ad medietatis conſumptionem, ſtent per noctem, manè fiat colatura, de qua
℞. ℔j. adde
Pulpæ Prunorum Ungaricorum dulcium per ſataceum extractorum,
Sacchari albiſſimi ana ℥iij.

Coque, donec formam opiatæ acquirant, non valde ſpiſſæ. doſis ſit ab ℥ß. ad ℥j. ampliorem ante cœnam vel prandium porrigenda.

Jecoris ac renum calidior intemperies unguentis Roſato, Santalino, Infrigidante Galeni corrigetur, inprimis verò acidulis aquis Vbrichingenſibus ſeu Gôppingenſibus (Carolinas thermas adverſas huic malo cenſeo) exactè priùs evacuato & præparato corpore. Interim verò non ſine fructu, conſervæ Violarum & florum Nymphææ ſingularum ℥ij. horâ decubitûs aſſumentur.

Aqua Ubrichingêſis Göppingenſis.

Ad Topica quod attinet, cùm dolor ac ardor loci urgeat, oleum Violatum, Roſatum cum vitello ovi conquaſſata ſtupis excepta apponantur. vel olei ovorum & ſeminum Lini ſingulorum ℥ij. diu in mortario plumbeo agitata parti affectæ illinantur, Camphorâ, ſi inflammatio ſubſit, additâ. Alijs verò temporibus, hoc quod ſequitur, ſicuti alijs, ſimili vitio laborantibus, profuit, ita & hîc ex uſu fore confido.

Linimentum.

Aliud.

℞. *Sulphuris liquefacti* ℥x.
Adde poſt liquefactionem
Terebinthinæ ℥v.
Bulliant una ebullitione, poſtmodum adde paulatim
Olei Roſati ℥xx.
Vini rubri ℥xv.
Coque omnia ad conſumptionem *vini*, & reponantur ad uſum.

Linteum in eo madefactum applicetur. Quod reliquum eſt, ſi fortè circa anum ſanguine turgentes venæ conſpicerentur, admotis hyrudinibus abs mora referentur, alvo clyſtere & Caſſia priùs lenitâ. Alterum illum tumorem, quem in omento confiſtere nihil ambigo, tanquam tædij ac periculi expertem facilè contemno. obſervatione enim didici, ejuſmodi tumorem in quadam Principe per multos annos, tandem ſponte ſua diſparuiſſe.
quod & hîc D E V S faxit.
Monachij.
* * *

CON-

CONSULTATIO XXXII.

ANI PROCIDENTIA.

PRO

PUERO.

PUerum quatuor annorum, cui alvus multo tempore longè procidebat, primò balneari facias in aqua dulci, indè decocto & ſequenti pulvere utaris.

Decoctum adſtringens ad procidentiam ani.

R. *Roſarum rubrarum*,
Plantaginis,
Burſæ paſtoris ana Mj.
Nucum Cupreſſi,
Sumach ana ℥ß.
Malicorij ℥ij.

Incidantur, dividantur in duas partes, quarum una coquatur in *vini rubelli* & *aquæ Plantaginis* ana ℔j. ad quartæ partis conſumptionem, poſt horas 5. vel 6. fiat colatura,

Qua tepente abluatur anus & ſequenti pulvere inſpergatur,

Pulvis adſtringens ad procidentiam ani.

R. *Florum Roſarum*,
Myrtillorum ana ℥iij.
Seminis Roſarum,
Cornu Cervi uſti & loti ana ℥j.
Seminis Sumach ℈ij.
Thuris ℈iiij.

Miſce fiat pulvis.

THOMÆ MERMANNI
CONSULTATIONUM ET RESPONSIONVM
LIBER QVARTVS.
DE
HEPATIS AC LIENIS PARTIUMQUE VICINARUM ACCIDENTIBUS.
PRÆCIPUE DE AFFECTIONIBUS HYPOCHONDRIACIS.

CONSULTATIO I.
IMPURITAS HEPATIS.
PRO
SERENISSIMO ARCHIDUCE FERDINANDO JUVENE.

Ad Philippum Menzelium Medicum Profeſſorem Ingolſtadienſem.

CUm nuper ex nonnullis indicijs, ac præcipuè ex inſolito pallore faciei & urinis tenuiſſimis & aqueis conijcerem, Sereniſſimum Archiducem Ferdinandum obſtructionem aliquam ſeu impuritatem potiùs hepatis pati; juſſus ſum aliquid adhibere remedij. Primùm itaque vivendi rationem, quâ ille hoc in loco, cùm unà cum Principibus cibum caperet, uſus eſt paulò liberiore, idoneam inſtitui; atque pòſt ℈ij. Aloës Soccotrinæ cum paulo momento Galangæ devorandos porrexi. Exterſis indè ventriculo & prima ventris regione meliùs habuit; verùm cùm faciei pallor nondum receſſerit, Sereniſſimus noſter Dux Wilhelmus, mali radicem nondum ſublatam eſſe veritus, eáque de re non parùm ſollicitus in mandatis mihi dedit, ut de remedijs, quorum mihi uſus probaretur,

baretur, ſententiam tibi meam communicarem. ea verò hæc eſt: ut Oxymelite ex juſculo pulli biduo oblato, dilutum ℨj. Rhabarbari & Agarici præparati ʒß. vel ℈ij. cum mellis Roſati laxativi ℥ij. aſſumat. deinde ubi dies aliquot quieverit, electuarium aliquod hepar partim roborans, partim blandè expurgans præſcribatur, ex intervallis non ita longis, hoc eſt octavo quoque die offerendum; id verò poſſet eſſe hujuſmodi: Dilutum Rhabarbari.

℞. *Rhabarbari electi pulveriſati* ℥ß. Electuarium paſſulatum hepar partim roborans partim blandè expurgans.
Cinnamomi ℈j.
Spicæ,
Schœnanthos ana grana vj.
Vini albi ℥j.
Aquæ Agrimoniæ,
Cichorij ana ℥iß.

Quieſcant in loco calido per noctem, manè colentur cum expreſſione, dein adde
Pulpæ Paſſularum cum Vino extractæ ℥j.
Conſervæ Roſarum Damaſcenarum ʒv.
Corticum extimorum Citri Saccharo conditorum & inciſorum ʒiij.

Cum *pauco Saccharo* coquantur ad formam opiatæ. doſis ſit ℥j. plus minus ex cochleari devoranda, duabus ante prandium horis.

In menſa placeret, ut interdum hauſtulum vini abſinthitis biberet; à lacticinijs, & pultaceis, à caſeo, item & fructibus horarijs abſtineret. Hæc ſi tu probaveris, probantur & mihi; ſin minùs, addes vel adimes pro tuo accurato judicio. Vale Vir Doctiſſime. Monachij 21. Aprilis. Anno 1591. Victûs ratio.

CONSULTATIO II.

HEPATIS RENUM ET STOMACHI INTEMPERIES.

PRO

ILLUSTRI QUODAM EQUITE.

*

EX informatione tranſmiſſa intelligo, hepar tuum renes & ventriculum, debitò eſſe calidiores, talémque intemperiem in cauſa eſſe omnium accidentium, de quibus potiſſimùm conquereris. quippe uti calor naturalis

turalis blandus, coctionum in corpore humano, inſtrumentum eſt præcipuum; ita auctus & præternaturalis in te calor, omnes coctionum operationes depravat: ſanguinem adurit: humorem melancholicum auget: caput evaporationibus implet & gravat: vertiginem & catarrhum pluries producit: inquietudinem ſomno conciliat: corpus extenuat, incaleſcentias internas cauſat: urinam nimia rubedine tingit: pollutiones & urinæ ardores progenerat; non negaverim tamen aërem frigidiorem loci ubi habitas, præſertim hac æſtate præter naturam frigidâ, ad Catarrhos generandos plurimum potuiſſe.

Caloris præter naturam in corpore, effectus ſeu ſymptomata.

Itaque exiſtimarem ego, remedio Te indigere generoſo ac diuturno, quod ſtomachum debilem confortaret, nec non hepar unà cum renibus alterando corrigeret. In quem finem acidulas Bruzzenſes, Spadenſibus propè Leodium vix inferiores tibi conſulo, in ipſo fonte, ſi potes ebibendas, atque per ſeptimanas quatuor continuandas. quo in caſu velim ut advertas, aut in ipſo fonte aſſumendas mox aquas, ſi tempus faveat, aut ſerena ſaltem tempeſtate aquarum quantitatem hauriendam ac in vaſa commoda benè obturata ſeponendam eſſe, ut tempore pluvioſo intra tectum ijs uti congruè poſſis.

Acidulæ Bruzzenſes Spadenſibus vix inferiores.

Acidulæ tempore ſereno colligendæ.

Verùm cùm neceſſum ſit, corpus priùs probè expurgare, aſſumes primò, manè, horis duabus ante prandium ſequentem bolum.

Purgatio præparatoria ad acidulas.

R. *Florum Caſſiæ recenter extractæ* ℥vj.
Radicis Turpethi albiſſimi ℈j.
Cinnamomi acuti pulveriſati grana iiij.
Miſce fiat bolus.

Subſequentibus tribus diebus apozema, quod ſequitur, ebibes continuò, niſi Diarrhœa aliqua vehementior medicamenti interruptionem ſuadeat.

Apozema pectorale temperatum & laxans.

R. *Foliorum Senæ electæ*,
Radicum Polypodij ana ℥iij.
Liquiritiæ ℥iß.
Seminum Aniſi ℥ß.
Melonum,
Cucurbitæ ana ℥ij.
Fructuum Alkekengi N°. xij.
Herbarum Boraginis,
Bugloſſi,
Capillorum Veneris,
Betonicæ ana Mj.
Paſſularum ℥vj.
Florum Roſarum,

Violarum

Violarum,
Nymphææ ana ℈j.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℔j. in colatura
diluè
Syrupi è Cichorio,
Betonica,
Farfara,
Jujubis ana ℥j. ʒj.
Miſce fiat apozema ad tres doſes.

Apozemate conſumpto, potio in hunc modũ parata propinetur.

Potio purgans.

R. *Foliorum Senæ electæ* ʒiß.
Agarici præparati ℈ij.
Seminis Aniſi,
Zinziberis ana ℈j.
Pulpæ Tamarindorum ℥ß.
Paſſularum ʒiij.
Jujubarum N°. v.
Florum cordialium ana ℈j.
Decoquantur in *aquæ Boraginis* ℥vij. ad tertiæ
partis conſumptionem. ſtent per noctem,
manè fiat colatura, de qua R. ℥iijß.
Adde *Mannæ* ℥ij.
Pulveris Rhabarbari ℈ij.
Miſce.

Atque ſic corpore probè expurgato, ad acidulas accedes, interim tamen ſanguinem mittes ex brachio ſiniſtro ad uncias quatuor vel quinque. Venæ ſectio.

Cæterùm cùm in uſu aquarum iſtarum alvi conſtipatio ſubinde ſuccedat, illi medeberis ſequentibus.

Enema domeſticum.

R. *Brodij carnis* ℔iß.
Sacchari ℥ijß.
Olei Olivarum ℥iij.
Salis parum.
Miſce pro clyſmate.

Quòd ſi leve nimis videatur, Mellis ℥j. vel ℥ij. addi poterunt. in hunc ſinẽ pruna laxativa unà cũ brodio ſumpta inſervient. decoquuntur autem verbi gratiâ N°. xij. & ℥j Mannæ in jam coctis diſſolvitur. vel etiam ſi neceſſitas requirit ʒij. Senæ ſelectæ brodio incoquuntur. Pruna laxativa.

Tandem, pro correctione renum & alteratione, talem inunctionem laudo etiam dum acidulis uteris continuandam.

Unguentum refrigerans renes.

R. *Unguenti Roſati Mẽſuæ*,
Infrigidantis Galeni,
Succi Lactucæ recentis,

Olei Nymphææ ana ℥j.
Ceræ parum.
Fiat linimentum.

Quo, purgato priùs corpore, lumbi manè & ſerò inungantur. DEVS hiſce remedijs benedicat. Monachij 2. Junij. 1606.

CONSULTATIO III.

HEPATIS INCENDIUM, SEU INTEMPERIES PRÆCALIDA.

IN

JUVENE NOBILI.

Perilluſtris & Ampliſſime Domine, Patrone colendiſſime. quæ de lectiſſimi Juvenis Amplitudinis Veſtræ filij invaletudine & curata nuper, & conſervanda impoſterum, doctiſſimus Vir Petrus Wernerus litteris ſuis expoſuit, ea, quia ex arte & methodo rectè propoſita ſunt, ita mihi probantur, ut meritò ac lubens illis ſubſcribam. Quæ verò ad illorum confirmationem porrò mihi in feſtinatione illa occurrunt paucis perſtringam. Scribit magnus Hippocrates, *morbos fieri, cùm vel alimentum ſuperat laborem, vel labor alimentum.* Galenus quoque noſter alicubi monet, *hominem, qui cibo copioſo utatur, ſine corporis exercitatione, quæ ſatis ſit, diu benè valere non poſſe.* Jure igitur optimo facit Clariſſim⁹ Domin⁹ Doctor, dũ victûs rationẽ paulò plenior̃e in Nobiliſſimo adoleſcente, quem magna & inflata viſcera habere ex hepatis temperamento arguit, ſuſpectam habet: in victu autem largiore, quàm labor corporis poſtulet, quis non videt ex hepatis temperamento labori adijciendum, cibo verò detrahendum nonnihil? Cæterùm exercitium ne importunum ſit, ſtudendum unicè. qua in re peccare unicè omnis penè conditionis ætatiſque mortales video. Monet Hippocrates, *ab accepto ac necdum concocto cibo, ſi corpus exerceatur, ulcera erûptura*; unde pueris non ob ingluviem magis, quàm intempeſtivum corporis exercitium cum ſcabie bellum ferè eſt perpetuum. Labor igitur, ut Hippocrates præcipit, cibum præcedat, cibo nempe in ventriculo concocto inſtituendus, nullóque die, ſi nihil impediat, intermittendus.

Homo, qui cibo copioſo utitur ſine corporis exercitatione, quæ ſatis ſit, diu benè valere non poteſt.

Pueri ob immoderata exercitia ſcabioſi.

Labor cibum præcedat neceſſe.

Ante adultam hyemem placeret denuo repetita corporis evacuatio blanda ex florum Caſſiæ ℥vj. Turbith albiſſimi ℈j. & Cinnamomi

natomi grana v. deinde verò præmiſſo per biduum melle Roſato & Oxymelite, potiuncula ex mellis Roſati laxativi & Mannæ ana ℥iß. cum pulveris Rhabarbari ʒj. diſſolutis in aqua Endiviæ & Boraginis. Ipſa hyeme, ſi quid impuritatis in ventriculo collectum foret, Aloës Roſatæ, ac ſpecierum Hieræ ſimplicis ana ʒß. convenienter extergetur. Hæc de impuritatum quibus corpus ſcatere dicitur, vacuatione ac præſervatione.

Hepatis incendio, quod accuſatur hîc præcipuè, reſtinguendo convenientiſſimæ forent aquæ minerales noſtrates acidulæ, quibus Germania abundat, Calchanti ſive ſucco, ſive ſpiritu imbutæ, jucundo ſapore ſuo palato gratiſſimæ. ſed vereor ut iſthic ſint ad manum. Ad alia igitur confugiendum, eandem fortè gratiam præſtitura. Vnum eſt ſerum lactis caprini herbulis refrigerantibus alteratum; alterum iſtud evporiſticum, valde contundantur radices Cichorij recentes, exprimatur ſuccus, qui uſui aſſervetur lege artis, cavendo, ne vitium capiat. Succi iſtius ℥ij. vel iij. ex jure pulli manè ſorbeantur diebus vel hebdomadibus compluribus. Conſervæ etiam Roſarum Damaſcenarum recentis ℥j. veſperi horâ decubitûs poſt parcam cœnam devoretur quotidie. Vinum tertia minimùm parte aquâ diluatur, cui Cichorij momentum ſit incoctum. cujus vices & ſimplex aqua gerere poterit, in qua panis cibarius fuerit infuſus. Veſperi primæ menſæ Cichorij radices coctæ acetóque & oleo conditæ adhibeantur quotidie. pariter in cibum veniat ſingulis diebus hordeum ad putrilaginem coctum, vel certè ſuccus ejus ex carnium jure ſorbeatur. Carnes Oxalide, Boragine, Endivia & Omphacio condiantur. Scribo hæc, ne laborem ſubterfugere voluiſſe videar, neque plura addo, ne noctuas Athenas. die 5. Septem. 1607.

Acidulæ hepatis incendiū reſtinguunt.

Serum lactis idem præſtat; uti & ſuccus Cichorij.

Victûs ratio.

CONSULTATIO IV.

INTEMPERIES CALIDA ET SICCA HEPATIS, CUM PERICULO TABIS.

PRO

MATRONA NOBILI TUBINGENSI.

*

POſtquam omnis medicatio, abſente Patiente, difficilis & periculoſa eſt, quia cauſarum indagatio & dignotio, viriúmque circumſtantiæ ex litteris vix erui poſſunt, nolui hactenus multis remediorum formulis im-

plere litteras, præſertim cum Nobilis Domina in loco quodam fit, ubi experti & magni nominis Medici degunt. Quòd ſi verò nihilominus conſilium meum in hoc caſu expetatur, quod lubentiſſimè impertiam, neceſſarium erit, ut affectus ab uno aut pluribus Medicis cum omnibus circumſtantijs ritè deſcribatur, mihíque ut moris eſt deſcriptus tranſmittatur: Nempe, unde & ex quo morbus iſte originem traxerit? an hypochondria mollia tenſa vel dura? an calor præternaturalis adſit, qui corpus tanquam lenta febricula emaciet? quomodo urina, & alvi excrementa ſe habeant? vires ut conſtent? pulſus an magnus vel parvus, celer vel tardus, durus vel mollis ſentiatur? quî dormiat? an lingua & fauces humidæ vel ſiccæ? an tuſſis adſit? an compreſſiones pectoris infeſtent? an faciei ſuus color conſtet? illa an pallida vel ſubflava &c. quæ omnia, uti dictum, à Medico aliquo perito, ad hoc ut remedia ritè proponantur inſtituantúrque, denotari debent.

Medico abſenti quænam circa informationem Patientis ſignificanda?

Cæterùm nihi melius eſt ad ſiccum & emaciatum corporis habitum emendandum, quàm lac caprillum. hoc verò omnibus non convenit, atque in multis caſibus perniciofum, uti peritis Medicis ſatis notum? quocirca ſine majore prægreſſa morbi cognitione illud ſuadere non audeo. Interim tamen conſulo, ut pro corporis humectatione & nutritione ptiſanâ ſinguliis diebus immediatè ante menſam ſemel utatur, hunc in modum confectâ. Accipitur hordeum & coquitur in aqua aliquot horis, donec tenerum omnino, & in pulmentum quaſi abeat; poſtea per pannum colatur, & juſculo caponis permiſcetur, & denuo coquitur inſtar contuſi. De hoc ſingulis diebus, uti dictum, Domina Patiens uncias ſeptem vel octo ebibat. Denique in hunc ipſum finem bonum quoq; foret, ſi ſingulo manè aquâ deſtillatâ ex cochleis, uncias ſcilicet quinq; vel ſex, calidè ebiberet. Deus hiſce gratiâ ſuâ adſiſtat. Monachij 27. Maij. 1612.

Lac caprillū.

Ptiſana ejúsq; parandi modus.

Aqua deſtillata ex cochleis intabidis utilis.

CONSULTATIO V.

INTEMPERIES CALIDA ET SICCA HEPATIS, EJUSDEMQUE OBSTRUCTIO: UNDE CACHEXIA BILIOSA, ET DISPOSITIO ICTERICIA.

*

AFfectum, de quo Dominus Patiens per litteras conqueſtus eſt, diligenter examinavi; conſiſtit præcipuè in ſequentibus: ſcilicet præcalida hepatis conſtitutione, ejuſdem obſtructione, emaciatione totius corporis, ſomno

ſomno inquieto, laſſitudine totius, colore ictericio faciei, urinâ croceâ, & aliis, omnibus tamen ab una radice prodeuntibus.

Præcipuum corporis alimentum, ſanguis eſt, qui niſi purus ſitet dulcis, vitioſus cenſetur: præcalidus enim aut ſubfrigidus, amarus, ſalſus aliisve præter naturam qualitatibus alteratus, ad nutritionem eſt ineptus. Itaque cùm intelligam, Dominationis Tuæ ſanguinem malè conſtitutum eſſe, bilioſo plurimo ichore ſcatentem, mirum non eſt, ſi corpus perperam & minùs nutriatur. vitium illud in ſanguine ipſa venæ ſectio nuper prodidit, illúdque modò confirmat ictericius faciei color, nec non urinæ multa bile perfuſæ. Corporis laſſitudo à vitioſis humoribus, qui intra muſculoſos tendines, atque ipſam cutim ſe ſe effudere, plurimùm dependet. Somni inquietudo cum crurum extra lectum jactatione incaleſcentiam præternaturalem & febrilem denotat, ex vitioſa concoctione provenientem. Obſervatur de noctu talis febricula apud multos, qui tardè, difficulter, & etiam vitiosè concoctiones peragunt; quòd verò hoc ipſum in Dominatione Tua contingat & concoctiones fiant tam difficiles, in cauſa eſt, ventriculi imbecillitas, & paucitas nativi caloris: auctus enim & præternaturalis hepatis æſtus, blandum nativúmque ventriculi calorem deſtruit & conſumit, non aliter, quàm ſi lux magna, minorem juxta ſe poſitam, confundit, obſcuratque.

Sanguis ad nutritionem aptus, qualis?

Laſſitudo corpors unde?

Somni inquietudo incaleſcentiam febrilem denotat.

Hepatis calor auctus blandum ventriculi calorem deſtruit.

Ex iſtis omnibus apparet, verum eſſe, quod modò dictum eſt: bilem nempe, cauſam & veluti radicem omnium accidentium modò enarratorum haberi; præterea elucet, contra ſaburram hanc bilioſam unicè pugnandum, ipsámque ex toto partim removendam, partim in futurum præcavendam eſſe: ſiquidem cauſâ non ablatâ, nullus unquam morbus, etiam à peritiſſimo Medico percurari poteſt. Generatur in hoc ſubjecto ſuperflua bilis à calorē nimio, obſtructione & impuritate hepatis: nam ſicuti frigida hujus viſceris intemperies copioſam pituitam, ita calor exſuperans abundantiam bilis producit. Obſtructio hepatis, ob quam illud ſufficienter non eventilatur, cauſa quoque eſt caloris præternaturalis. Impuritas tandem viſceris ſuccos etiam alibiles, licèt in ventriculo quoquo modo elaborati ſint, ſi illuc ad hepar deferantur, inquinat, & plurimam illius partem in bilem adurit; atque adeò impurum & obſtructum hepar purgandum & deobſtruendum; præcalidum verò alterandum & confortandum eſt.

Bilis cauſa eſt hepar calidum nimis, impurum & obſtructum.

In quem finem multa quidem (uti intelligo) remedia hucuſque Dominatio Tua tentavit, ſucceſſu tamen exiguo, morbi fortaſſis pertinaciâ, auxiliorum efficaciam ſuperante. Ego in ſimilibus caſibus, quibus feliciter uſus ſum, hîc adnotavi, ſperans, ſi Medicus ordinarius illa methodicè adhibuerit, optatum ſubſecuturum

effectum. Spondeo porrò me, ſi iſthæc ſufficientia nondum fuerint, alia propoſiturum magis efficacia, & in magnis etiam perſonis adprobata. Interim cùm ſciam, in victûs ratione à Medico ordinario omnia fuiſſe ritè inſtituta, nihil ultrà circa illam moneo; DEUM in præſenti rogans, ut remedijs hiſce benedicat. Monachij 22. Feb. 1612.

Purgatio.

In principio & ante omnia offeratur hic bolus.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis* ℈iiij.
Aloës Roſatæ ℈j.
Specierum Eleſcophi grana vij.
Miſce & cum *aqua Cinnamomi* fiat bolus mollis.
item.
R. *Juris corticum Citri conditi*,
Zingiberis conditi ana ʒiiiß.
Syrupi Granatorum dulcium ℥ß.
Miſce dentur cum bolo nebulis involuto, duabus horis ante prandium.
Item

Præparans.

R. *Mellis Roſati*,
Oxymellis ſimplicis ana ℥j.
Miſce diluantur juſculo pulli ſive gallinæ, fiat potio. Detur in ſequens biduum, ſummo manè, & ſuperdormiat quamdiu æger volet; deinde ſumat ſequens purgans minorativum.

Potio purgans detergens.

R. *Foliorum Senæ electæ* ℥ß.
Zinziberis,
Seminis Aniſi ana ʒj.
Paſſularum ℥ß.
Pulpæ Tamarindorum ʒiß.
Florum Boraginis
Bugloſſi ana Pj.
Decoquantur in *aquæ Boraginis* ℥vij. ad tertiæ partis conſumptionem, ſtent per noctem, manè factâ colaturâ, diſſolve
Mannæ electæ,
Mellis Roſati laxativi ana ℥ij.
Oxymellis ſimplicis ℥j.
Fiat potio ſummo manè offerenda. à cujus ſumptione uno die, vel duobus quieſcat, dein paretur hoc apozema.
R. *Radicum Cichorij recentis* ℥j.
Herbarum Agrimoniæ,

Capillorum

Capillorum Veneris,
Ceterach,
Praſij,
Abſinthij,
Cuſcutæ,
Fumariæ,
Florum Boraginis ana ℈j.
Paſſularum,
Foliorum Senæ ſelectæ ana ʒx.
Agarici albiſſimi crudi inciſi & conquaſſati ʒij.
Seminum Aniſi,
Fœniculi,
Zinziberis ana ʒj.

Apozema hepaticum deobſtruens laxans.

Decoquantur in ſ. q. *aquæ fontis* ad ℔j. in colatura poſt decem horas facta dilue
Mellis Roſati,
Oxymellis ſimplicis,
Syrupi è Cichorio ana ℥ij.

Miſce fiat apozema ad tres doſes porrigendum, tribus diebus ſummo manè, ut ſuperdormiat æger horâ unâ, deinde interpoſita rurſus quiete unius diei, denuo paretur potio ſeu infuſum minorativum ſuperius, cui adde Rhabarbari electiſſimi pulveriſati & aqua Cinnamomi irrorati ℈iiij. detur ſummo manè, & ſomno patiens indulgeat horâ unâ plùs minùs, his peractis porrigatur ſequens medicamentum, quatuor diebus manè uti ſuprà.

Am̄oniacum.

℞. *Ammoniaci* ʒj.
Diſſolvatur in ℥ij.
Oxymellis ſimplicis. adde Juſculi pulli, cui incocta ſint aliquot *foliola Agrimoniæ.*

CONSULTATIO VI.

OBSTRUCTIO HEPATIS.

PRO

QUODAM CONSILIARIO.

NObilis & Conſultiſſime Domine, quæ de morbo coram te fuſiùs diſſerui, ea nunc neque otium eſt, neque neceſſitas hoc loco prolixo ſermone repetere; ut verò rē in pauca conferam, quæ tunc dixiſſe me memini, hæc ferè fuêre:

Obſtructionibus nimirū hepar laborare, quæ in vetuſtatem jam penè inciderunt: acidulam quam potabas aquam infirmiorem eſſe, quàm ut id genus obſtructiones expedire planéque reſerare poſſit: ejus uſu gibbam potiùs hepatis partem repurgari, quàm cavam, facultate nempe quâ pollet præcipuè diuretica:

Acidulæ gibbam potiùs partem hepatis, quàm cavam purgant; facultate nempe diuretica.

Deinde dubitari poſſet de loco ſeu parte hepatis, quæ malè ſit affecta? Cava namq; parte impuritatib⁹ obſtructâ, conſpurcatâq; diuturnas ſequi diarrhœas: gibbâ verò laborante, corporis extenuationem atrophiámque ſuccedere, alimento membris magna in parte denegato: ſelleâ veſiculâ occluſâ ictērū progigni. Reliquū igitur videri poros ipſius Parenchymatis, hoc eſt, ſubſtantiæ jecoris carneæ meatus ſenſim effugientes humore ſupervacuo repletos eſſe, quem alijs auxilijs abſumi oportuit. Hæc Sūma fuit, éſtque etiamnum meæ, quam requirebas, de morbo tuo ſententiæ.

Hepar diverſis in locis obſtruitur atque quibus ſignis diſtinguatur?

Curatio verò ejus, favente altiſſimo felici ſucceſſu poſt evacuationem impuritatis circa jecur, in ipſiúſque cavo hærentis chalybe ritè præparato perficictur. In purgationibus ante omnia primo loco iſtæ probantur pilulæ.

Præparatio corporis ad chalybem aſſumendum neceſſaria. & quænam?

Minorativū,

R. *Specierum Hieræ ſimplicis* ℥ij.
Eleſcophi grana xv.
Cum *aqua Cinnamomi* fiant pilulæ N°. 40.
Devoretur tertia pars horis ante prandium duabus. ſic etiā reliquæ duobus alternis diebus.

Præparans.

Pilulis ſuccedat *Oxymel ſimplex*, cujus ℥ij. juſculo pulli, quod ſatis ſit, dilutæ, triduo continuo, manè ſummo, bibantur; ſomnóque unâ atque alterâ horâ rurſus indulgeatur. Hoc aſſumpto purgans offeratur potio iſta, vel ei non abſimilis.

Purgatio.

R. *Foliorum Senæ* ℥ß.
Agarici crudi minutè inciſi & conquaſſati ℨij.
Zinziberis

Zinziberis ℨj.
Seminis Aniſi ℈ij.
Salis Gemmæ grana ij.

Decoquantur in ſ. q. *aquæ fontis* ad ℥iiij. ſtent per noctem, manè factâ colaturâ in illa diſſolve

Mannæ ℥ij.
Pulveris Rhabarbari aquâ Cinnamomi irrorati ℈iiij.
Oxymellis ſimplicis ℥j

Fiat potio.

Vltimo loco, quiete unius vel alterius diei interpoſita, vinum alvo ulteriùs ſed ſine moleſtia ducendæ, viiſque nonnihil aperiendis accommodatum ad manum eſto tale, vel huic non abſimile.

Vinum medicatum.

R. *Foliorum Senæ* ℥iß.
Agarici crudi inciſi ℥ß.
Zinziberis ℨiß.
Herbarum Agrimoniæ,
Praſſij,
Capillorum Veneris,
Abſinthij ana Pj.

Infundantur ℔. iij. *Vini albi Neccarici* in amphora fictili vitreata, aſſervetur in cella vinaria. fiat hauſtus manè poſt ſumptum juſculum bis térve.

Corpore hunc in modum purgato ad chalybem tranſeundi ſeſe offeret occaſio, hujus præparatio uſúsque multiplex ſanè eſt; ipſe inter plures tibi hanc propono formulam.

Piluiæ chalybeatæ.

R. *Chalybis limâ in pulverem redacti, & ſuper Porphyrite cū aceto ſæpius lævigati* ℥iij.
Rhabarbari electi pulveriſati ℥ß. ℈ijß.
Pulveris Caryophyllorum ℈iiij.

Miſce cum *aqua Cinnamomi* fiant pilulæ N°. xv. pro ℨj. ſumantur xv. una doſi manè, ſuperbibantur cochlearia duo vini malvatici vel abſinthiaci: exerceatur corpus unâ vel duabus horis. quarto quoque die (niſi alvus ſponte largiúsque fluat) ſcyphum vini purgantis manè bibat poſt juſculum, omiſſo illa die chalybe. pergat in iſtius remedij uſu (plùs minùs) menſe uno.

In victûs ratione quod moneam eſt, ut ſatietatem vitet, nedum repletionem. in cibis omittat, qui ex farina non fermentata, ex lacte etiam & caſeo conficiuntur: carnes bubulas, ſuillas, ſale conditas & fumo ſiccatas: in potu aquam crudam, cerevisiam, vina dulcia, nova, craſſa, turbida, auſtera, immatura. DEUS gratiam auxilijs hiſce ſuam benignè adjungere dignetur. Datum Pruz. 25. Aug. 1608.

CONSULTATIO VII.

SCIRRHUS JECORIS.

PRO

NOBILI CIVE ET MERCATORE AUGUSTANO.

Siccitas linguæ, ſitis moleſta, pedum tumor, corporis extenuatio, difficilis in inceſſu reſpiratio, febricula lenta, quibus Nobilis Vir detinetur, unam ferè radicem agnoſcunt; obſtructionem ſcilicet & impuritatem jecoris non ſine duritie, ejuſdémque magnitudine præter naturam. Cæterùm intelligo, à Medicis varia & exquiſita remedia magna cum diligentia præſcripta & adhibita, nunquam ſatis profuiſſe, ea ſolummodo de cauſa, quòd morbus magnus, & cauſæ radices egerint hactenus inſuperabiles. Durities hepatis uti & aliarum partium corporis, à Græcis Scirrhus dicta, ſequitur aliquando inflammationem, apoſtema, aut alium tumorem præter naturam; aliquando verò à plenitudine humorum, nempe ſanguine, bile, pituitâ, melancholiâ (qui ex inordinata victûs ratione ſuccreſcunt) hepar occupantium ſuccedit; actum præcipuè, ſi ſubtilis & aquoſa pars talium humorum, partim per ſeceſſum, vel urinam, à natura vel alio movente ſeparatur, aut partim à ſuperfluo calore exſiccatur & conſumitur. Vnde remanente tantummodo craſſiore ac terreſtriore humorum parte, neceſſarium eſt, ut ſcirrhus ſuccedat; quem etiam non rarò frigus, coagulando quaſi humores, aliàs producere ſolet.

Hepatis ſcirrhoſi ſigna.

Hepatis ſcirrhoſi cauſa.

Vt verò opinionem meam, in hoc caſu, declarem, dico: eſſe quidem quatuor loca in quibus hepatis obſtructiones naſcuntur: primò in cava ſeu inferiori hepatis parte, ac ſimul in venis alimentum ad hepar deportantibus, venam Portam appellant. ſecundò, in ſuperiori parte atque vena cava ejusdémque ramis, quæ ſanguinem in hepate confectum ad ſe trahit, ac dein toti corpori pro alimento diſpenſat. tertiò bilis canaliculi ſæpenumerò obſtruuntur, aut ſuperior, qui bilem ad ſe allicit, aut inferior, per quem bilis ad inteſtina deducitur, aut uterque. quarta & communiſſima obſtructio in ipſa hepatis ſubſtantia, ac parenchymate ejuſdémque poroſitatibus contingit, dum ſcilicet multa copia ſanguinis hepatis poros, quibus hoc viſcus refertiſſimum eſt, adimplet, atque ita infarcit, ut exin tota hepatis maſſa creſcat ac major fiat præter naturam per omnes dimenſiones, hoc eſt tam in craſſitie, quàm latitudine & longitudine. in hac ſpecie obſtructionis

Hepatis obſtructionis quatuor ſunt loca.

Hepatis obſtructio communiſſima fit in ſubſtantia illius.

ſtructionis longo tempore nihil adverſi perſentiſcit homo, de quo conqueratur: coloratus eſt, urinas mingit laudabiles, ſiquidem ſanguificatio nondum læſa. Quamdiu ergo naturalis calor & hepatis temperatura non patitur, tamdiu defectus in ſanguine, ac corporis nutritione non percipitur, videtúrque ſibi homo, quem hæc quarta ſpecies obſtructionis afficit, in ſtatu ſanitatis omnino poſitus.

Quòd ſi verò obſtructio hæc nimiùm increvit, hepar majus præter naturam incrementum ſumpſit, ita, ut compreſſis meatibus indureſcat, fieri haud poteſt, quin calor viſceris ſuffocetur ſucceſſivè, ſanguis in minori copia & bonitate efficiatur, ac demum ob extraneum calorem, qui ex prohibita tranſpiratione caloris atque adeò ſuccedente putredine exoritur, ſuccreſcat febricula continua, quæ, licèt à patiente advertatur minimè, ex pulſu tamen & urina ſufficienter dignoſcatur. hæc febricula cor vitali robore paulatim privat, ac toti corpori per conſequens infeſta humidum depaſcitur, diuturnæ vitæ adeò neceſſarium. *Scirrhi in hepate generatio ut fiat?*

Atq; hanc quartam obſtructionis ſpeciem, ſuſpicor ego, omnium reliquorum ſymptomatum eſſe originem, quibus Nobilis Patiens hactenus ſe affectum conqueritur; hoc multis ut deducam argumentis, non puto eſſe neceſſarium; nec dubito, tot clariſſimos Viros, quorum operâ Nobilis Patiens utitur, mecum in hac re conſentire. Attamen, ut Nobilis Dominus Patiens majorem hujus rei habeat informationem, addo: quòd prima illa ſuperiùs explicata hepatis obſtructio diarrhœam communiter, altera mox malum colorem & corporis extenuationem, tertia ictericiam ſeu morbum regium, conjuncta ſibi ſigna, adferant. & in iſtis porrò tribus obſtructionibus nullus tumor, nulla durities, nulla tenſio ſæpe in dextro hypochondrio perſentitur; at in urinis plerumque ſigna illarum ſpecierum adſunt; nam illæ ut plurimùm ſubtiles, aquoſæ, & parùm coloratæ apparent. Verùm in quarta obſtructionis ſpecie urina naturalis eſt, & longo tempore ullam mutationem non oſtendit, quatenus, uti áudio, in Nobili Patiente obſervatum eſt; ſicuti etiamnum urina non multùm à naturali ſtatu mutata dicitur, quantitas tantùmmodò nimia videtur, quod equidem calori extraneo, & expultricis robori adſcribo; quod robur, dum materiam morbificam expellere conatur, illud promovet quod mobile & fluxile eſt, aquam nempe; partes verò terreſtres poſt ſe relinquit. Vnde hepati, licèt Nobilis Patiens multum urinæ profundat, nullum accedit levamen; ſed de his ſatis. *Hepatis diverſa[...]m obſtructionum ſigna.*

Auxilia & remedia quod attinet, quæ in tam gravi & periculoſo morbo, hoc tempore, congrua fore equidem exiſtimo, in tribus præcipuè punctis conſiſtunt. Primò & ante omnia requiritur magna temperantia in cibo & potu: inter cibos melior eſt caro vo- *Victûs ratio.*

latilium quàm quadrupedum; præcipuè volucres ſylveſtres, gallinæ, columbi, pulli, capones; quamvis nec hœdi nocere poſſint. Anſeres, anates, caro dura, inteſtina, capita, pedes, hepar, pulmones, cor prohibentur. piſces & cancri etiam intermitti debent, uti omnia ex lacticinijs, farinaceis, frixis; item albumina ovorum, ova ad duritiem cocta, acetaria cruda, atque fructus horarij crudi ſuſpecta ſunt. pauci cappares benè loti nec nimiùm ſale conditi, ſummitates & germina Lupuli, Cichoreum, cocta aliquando conceduntur. unà cum cibis parum Petroſelini coqui poterit. aromata intermittantur, nam calefaciunt & ſitim excitant. potus ſit vinum Neccaricum bonum, ſed aquâ lymphatum, in qua panis infuſus aliquamdiu fuerit, ut pallida vel coloris aurei evadat. quantùm poſſibile, parum bibat; in menſa ultra menſuram dimidiam non excedat. interdiu, quandoquidem & pauca juſcula conceduntur, pomi Arantij fruſtulum vel grana aliquot Granatorum dulcium ad fallendam ſitim in ore detineantur, óſque ſubinde colluatur cum duabus partibus aquæ Lactucæ, & una vini.

Chirurgia. Secundò in Chirurgia, placeret mihi pro eventilatione venæ Salvatellæ ſectio in brachio dextro. Tertiò Pharmaciam quod attinet, Nobilis Dominus eâ carere nullatenus poteſt, & uti Medici ordinarij ad nulla generoſa remedia hactenus acceſſerunt, ita & ego illa non ſuadeo. Interim, quid ego probem, inferiùs adnotavi. primum eſt maſſa pilularum: alterum decoctum: tertium ſyrupus: quartum emplaſtrum. quæ omnia ad laxationem, apertionem, purgationem & confortationem hepatis rebus ſic ſtantibus utilia ſunt. Pilulæ alternis diebus deglutiantur, duabus horis ante prandium, poſt quarum uſum, ſeu poſtquam illarum uſum abſolvit, decoctum incipiat Nobilis Patiens, alternis itidem diebus, ſe manè calidè aſſumere. tale decoctum bis ut præparetur, ſuadeo, atque ſexies omnino in uſum veniat. Quòd ſi hiſce remedijs corpus ſufficienter purgatum per alvum non ſit, ulteriùs cum Mechoaca, juxta exigentiam & adſiſtentium Clariſſimorum Medicorum opinionem id fieri, ac tandem ad ſyrupum deveniri poſſet. de hoc ℥ij. vel ℥iij. manè propinentur, ac poſtea exercitium ſeu deambulatio neutiquam tamen cum labore inſtituatur. peracto exercitio Nobilis Patiens ſe committat lecto, aut ſaltem quieſcat ad horam prandij uſque.

Pharmacia.

Emplaſtrum hypochondrio dextro imponatur, ac de tertio in tertium diem renovetur. Hæc omnia judicio Medicorum præſentium ſubjecta ſunto: nam quòd ſi per uſum pilularum aut decocti, diarrhœa ſubſequeretur, neceſſe foret, ſyrupum differre, aut purgantia, ut Rhabarbarum & Senam omittere. Item ſi Syrupus non ſatis fore videretur, nec adeſſet ampliùs febricula, chalybis infuſum, prout à Gabriele Fallopio deſcribitur, haberet locum, ſumendo

tamen

tamen pro vino malvatico vinum Neccaricum. DEVS Optimus Maximus hæc benedicat. Actum Monachij 23. Aprilis. 1606.

R. *Aloës lotæ,* Pilulæ deob-ſtruentes.
Rhabarbari electi,
Agarici trochiſcati,
Ammoniaci aceto ſoluti ana ʒj.
Cum *Oxymelle ſimplici* fiant pilulæ ad 4. doſes.

R. *Herbarum Boraginis,* Decoctum aperiens.
Bugloſſi,
Fumariæ,
Summitatum Lupulorum,
Agrimoniæ ana Mj.
Abſinthij Mß.
Radicum Cichorij recentis ℥j.
Polypodij querni ℥ß.
Cinnamomi acuti,
Zinziberis ana ʒiß.
Foliorum Senæ electæ ℥iß.
Paſſularum ℥j.
Decoquantur in ℔iijß. *aquæ fontis* ad ℔iß. coletur poſt reſidentiam per 12. horas, ad ℔iß. adde ſuſpenſa in nodulo
Specierum Diarhodon Abbatis,
Diatrium Santalorum ana ʒßj.
Florum Croci ℈j.
Miſce ad tres doſes.

R. *Ammoniaci aceto ſoluti* ℥iij. Emplaſtrum ad hepar.
Emplaſtri de Meliloto ℥j.
Miſce cum *Oleo Abſinthii* fiat Emplaſtrum.

R: *Aquæ Lupulorum,* Syrupus chalybeatus.
Graminis,
Agrimoniæ ana ℔j.
Corticum radicum Capparum ℥ß.
Paßularum ℥j.
Spicæ utriuſque ana ʒj.
Squinanthos ʒjß.
Capillorum Veneris Pj.
Radicum Fœniculi ʒvj.
Liliorum alborum minutim inciſorum ʒiij.
Chalybis limati ℔ß.
Bulliant omnia ad tertiæ partis conſumptionẽ, deinde factâ colaturâ cum levi expreſſione

adde *aquæ pluvialis* ℔j. in qua maduerint per noctem *Rhabarbari* ʒiij. *foliorum Senæ electæ* ℥iij. factâ rurſus colaturâ & expreſſione levi, cum *Saccharo* & modico *aceti* fiat ſyrupus.

P. S. Ad Medicum Ordinarium.

Scirrhus jecoris confirmatus incurabilis.

Facilè deprehendi in dextro hypochondrio hujus Nobilis Viri ſcirrhū ſeu tumorem durum ad tactum renitentem indolentémque, quem, ſi exquiſitus eſſet, Galenus noſter fatetur ſe cūrare non potuiſſe, neq;, qui poſſet, vidiſſe. Iſtum verò vel exquiſitū jam, vel ab eo non longè abeſſe probè novit Excellentia Tua. Ne verò bonū Virum ſineſolatio dimitterem, noñulla ei remedia propoſui, quæ Tuæ Excellentiæ candido ac prudenti judicio commiſſa ſunto: attentari tutò etiam vel de illis aliqua poſſe exiſtimo. Juvet virum optimum quantum poteſt, Aretæum ſecuta, qui nec deploratos quidem deſerendos cenſet. Vale.

Nec deplorati ſunt deſerendi à Medicis.

CONSULTATIO VIII.

ICTERICIA.

PRO

NOBILI MATRONA.

✠

DOleo, affectum quo Dominatio Veſtra olim laboravit, denuo redijſſe: nempe anguſtiam & compreſſionem circa præcordia, ipsámque Ictericiam vel præſentem, vel certè imminentem. quod ſi ita eſt, & febris aut alius morbus abſit, tria medicamenta hîc adnotata ſunt, utpote electuarium purgans: potiuncula præparans evacuans pro tribus vicibus: & tandem potio purgans. Primò itaque electuarium nebulis involutum, unà cum ſyrupo adſcripto duabus horis ante prandium adſumat; quòd ſi ſufficienter corpus non purgaverit, clyſmate domeſtico alvus irritanda, facto ex ℥ij. ſacchari, duobus aut tribus cochlearibus mellis, & tantundem olei olivarum &c. Secundò potiunculam præparantem & evacuantem, tribus continuis diebus, manè hauriat, & ſuperdormiat quantùm lubet, quæ ſi nimiùm evacuare videbitur, quies per diem interponi poterit; quibus peractis

ſanguis

ſanguis mittatur ex vena hepatica brachij dextri, ac tandem interpoſita poſt venæ ſectionem una aut altera die, ad potionem purgantem accedat, quam manè, iterum jejuna, horis quatuor aut quinque ante prandium, ebibat & ſomno denuo indulgeat; de quibus omnibus Dominationis Veſtræ, ſi placet, Medicus ordinarius admoveri & conſuli poterit.

Bolus purgans.

℞. *Specierum Hieræ ſimplicis* ℨj.
Eleſcophi,
Aloës Soccotrinæ ana ℈ß.
Cum *aqua Cinnamomi* fiat bolus.
℞. *Mellis Roſati colati*,
Oxymellis ſimplicis ana ℥v.
Miſce.
Detur cum bolo nebulis involuto.

Apozema aperiens.

℞. *Foliorum Senæ electæ* ℥v.
Agarici præparati ℥viß.
Zinziberis,
Seminis Aniſi ana ℨj.
Radicum Cichorij,
Fœniculi ana ℨiij.
Capillorum Veneris,
Agrimoniæ,
Boraginis ana Mß.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℔j. in colatura diſſolve
Oxymellis ſimplicis ℥iiijß.
Miſce fiat apozema, ad tres doſes.

Potio purgans

℞. *Foliorum Senæ electæ* ℨijß.
Agarici præparati ℨß.
Seminis Aniſi,
Fœniculi,
Zinziberis ana ℈ij.
Paſſularum,
Tamarindorum ana ℨiij.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ Boraginis* ad ℥iiij. ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua diſſolve
Mannæ ℥ij.
Pulveris Rhabarbari vino albo irrorati ℨiß.
Oxymellis ſimplicis ℥vj.
Aquæ Cinnamomi ℨj.
Miſce fiat potio purgans.

CON-

CONSULTATIO IX.

MODUS POTANDI AQUAS ACIDAS SCHWALBACENSES.

PRO

ADMODUM REVERENDO DOMINO ABBATE, ICTERICIA INCIPIENTE &c. LABORANTE.

ADmodum Reverendus Dominus Abbas, temperamento aliàs calido & humido; ætate annorum circiter 50. corpore vaſto, deſtillatione & tuſſi laborans, facie rubicunda puſtuloſa, oculis icterici quid præſeferentibus, aſſumptâ purgatiunculâ venam ſecuit, aquis nunc Schwalbacenſibus rectè utilitérque (DEO favente) utetur. hunc potiſſimùm modum obſervando. Primùm noverit, corpus ante aquæ hujus uſum à vitioſis humoribus eſſe repurgandum, non neglecta ſanguinis miſſione. Cùm verò venam jam hîc inciderit, ſanguine ſat largiter miſſo, non eſt, cur phlebotomiam ante acidulæ uſum repetat; deinde medicamentis opus non admodum multis habebit, cùm & ante & poſt venæ ſectionem, ventrem purgantibus hîc ſit uſus. Præſcripſi autem Reverendæ Dominationi Suæ ad ulteriorem evacuationem aliqua, quorum hic eſto uſus. Primo loco ſumatur potio N°. j. manè ut novit. ſecundo (interpoſita unius diei quiete) apozematis N°. 2. tertia pars bibatur, ab eóque rurſus dormiat, ſi poteſt, quamdiu libuerit; reliquæ duæ partes in ſequens biduum pari ratione ſumendæ, niſi alvus largiter fluens intermiſſionem unius diei ſuadeat. Abſoluto apozematis uſu, rurſus die uno quieſcat, deinde purgans potio N°. 3. manè ſummo hauriatur, ſomnóque horâ unâ indulgeatur. His auxilijs ſpero corpus, quantum ſatis fuerit, evacuatum, ad acidæque aquæ potationem ritè fore præparatum. Potatio iſta in hunc, qui ſequitur, modum inſtituatur.

Purgatio corporis ante aquas acidas neceſſaria.

Primo die inter horam quintam & ſextam matutinam ſcypho aquæ ſex uncias capienti indantur Mellis Roſati laxativi tres unciæ, bibantur uno hauſtu, ac paulò pòſt totidem unciæ ſine Melle. inambulet in cubiculo lento paſſu. Secundo die Reverenda Dominatio Sua rurſus tres uncias Mellis Roſati laxativi ſex aquæ acidæ uncijs dilutas capiat, & intra octavam partem horæ duos hauſtus aquæ ſex unciarum. Tertio die, niſi alvus immodicè fluat, Mel Roſatum repetat in primo ſcypho, ſuperbibens tres ſcyphos ſex unciarum ſingulos. Quarto die, omiſſo Melle, puræ aquæ triginta uncias potet, corpúsque

Schwalbacenſes aquas potandi methodus.

corpúsque exerceat ſudorem eliciens, eíque poſtmodum in lectulo ad horulam (plùs minùs) indulgeat. Quinto die ad quadraginta duas; ſexto ad quinquaginta quatuor; ſeptimo ad ſexaginta octo (plùs minùs) aſcendat. In hac doſi, quam ſpero neque immodicam fore, neque parciorem, perſeverabit circiter octiduum, cóque exacto, eam imminuet, donec ad octodecim uncias perveniat; quo tempore finem potationi imponere licebit.

Quæ porrò obſervari in aquæ hujus uſu debent, hæc ſunt. Inter potandū ſubinde aliquid ſeminū Aniſi, vel Fœniculi ſaccharo leniter incruſtatorum, dentibus conteratur ac deglutiatur, vel rotula parva Aromatici Roſati ſumatur.

Si aqua viam aliò affectans ventris fluxum moveat, tunc neque exercitio opus erit, neque ſudatione; quòd ſi etiam largior ſit fluxus, ut viribus metuendum videatur, tunc minus aquæ bibatur. vel etiam die uno vel altero intermittatur. Si venter ſiccior fiat (quod futurum arbitror) cochleari uno Electuarij noſtri Diaprunis, quod habet, in initio prandij laxetur.

Meminerit etiam omnino parcè edendum ac bibendum ac proinde non diu in menſa ſedendum. Cibus ſit ex carnibus teneris pullorum gallinaceorum, hœdorum, vitulorum. Exulent à menſa acetaria, omniáque cruda, paſtilia, caſeus. Inter piſces concedunturlucij, percæ, trutæ parvæ; ſalmonum eſus vel nullus ſit, vel parciſſimus. convenientiſſimè veſperi ſumetur hordeum ad diſſolutionē coctum, cum jure carnis alicujus laudabilis. Deus Optimus Maximus gratiam remedio huic adjungat ſuam, ac Prælatum iſtum eruditione meritiſque præſtantibus inſignem integræ valetudini reſtituat. Monachij die 25. Aprilis 1611.

Potio purgans.

℞. *Foliorum Senæ electæ* ℥iij.
Radicis Liquiritiæ ʒj.
Zinziberis inciſi ʒß.
Seminis Aniſi ℈j.
Paſſularum,
Tamarindorum ana ℥ß.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥iiij. ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua diſſolve
Mannæ ℥iiß.
Oxymellis ſimplicis ℥j.
Miſce fiat potio. N°. j.

Apozema deobſtruens.

℞. *Foliorum Betonicæ*,
Fumariæ,
Boraginis,
Farfaræ,

Endiviæ ana Mj.
Capillorum Veneris Mß.
Hyſſopi ſicci Pj.
Radicum Cichorij recentis ℥j.
Liquiritiæ ʒiß.
Zinziberis inciſi ʒj.
Foliorum Senæ electæ ℥j.
Seminis Aniſi ℈iiij.
Paſſularum ℥j. ʒj.
Florum cordialium ana Pj.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℔j. in colatura dilue
Syrupi è Botonica,
Endivia ana ℥ij.
Oxymellis ſimplicis,
Mellis Roſati ana ℥j.
Miſce fiat apozema ad tres doſes. N°. 2.

Potio purgans. R· *Foliorum Senæ electæ*,
Pulpæ Tamarindorum ana ℥ß.
Agarici præparati ʒiß.
Radicum Liquiritiæ,
Cichorij ana ʒij.
Jujubarum,
Sebeſten ana N°. iiij.
Seminis Aniſi ʒj.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥iiij. ſtent per noctem, manè factâ colatura diſſolve
Mannæ ℥ij.
Pulveris Rhabarbari electiſſimi, & jamjã pulveriſati, & *aquâ Cinnamomi* irrorati ʒj.
Miſce fiat potio N°. 3.
R. *Electuarij Diaprunis Magiſtralis* ℔iß. detur ad fictile ad laxandum ventrem.
R. *Mellis Roſati laxativi* ℥viiij. ad fictile.

CON-

CONSULTATIO X.

ICTERICIA MAGNA, ET CALCULUS CYSTIS FELLEÆ, PER ALVUM EXCRETUS, PRÆGRESSIS INGENTIBUS DOLORIBUS.

Temperamentum Illuſtris hujus Domini naturale totius ferè corporis calidum & humidum eſt. vixit annis juvenilibus ſatis ſanus ſine magno morbo. Deinde verò ob multa incommoda in bellis & aulis Principum tolerata, tum inordinatam diætam, & exceſſus varios, incidit in varios corporis affectus, calculum, podagram præcipuè, à quibus per intervalla fuit correptus; etſi non ſævis nec longis doloribus, ita ut ſtatim à paroxyſmo rurſus ad conſueta redeat. Porrò ante biennium invaſerunt Illuſtrem Dominum graviſſimi dolores ſtomachi & ventris totius inferioris, magna compreſſio ſimul præcordiorum, & pectoris, quibus magnâ diligentiâ & multis remediis feliciter curatis, ſupervenit Icterus admirandus, toto corporis habitu, felle velut croci tincturâ, ſuffuſo, cum urinis ita ſaturatè bilioſis, ut quaſi nigræ eſſent. excrementa verò cibalia plerumque albicantia interdum cinerea. Qui Icterus cauſatus ab obſtructa veſica fellea, & ejus poro cholidocho in duodenum inſerto, poſt multa convenientia facta remedia, phlebotomias, clyſteres, ſyrupos, purgationes, modò abijt modò redijt ſæpius, donec tandem vera obſtructionis cauſa in ſcenam prodijt maximis & incredibilibus cum doloribus circa regionem hepatis & hypochondrij dextri, ut commiſerationi omnibus eſſet, in tam ſævis & implacabilibus tormentis, diu noctúque cum clamoribus magnis ipſum penè ad necem dantibus, poſt adhibita plurima intus & foris emollientia, & aperientia, temperata, miraculosè ſcilicet per alvum excluſo calculo ſatis magno; quem Illuſtris Dominus exhibebit videndum; quem præceſſerunt fæcibus alvi permixti parvi lapilli albicantes inſtar granorum Coriandri, deinde etiam globuli oblongi, olivæ ferè magnitudine, coloris ſubviridis, molles inſtar paſtæ figulinæ, materia ſcilicet antecedens calculorum in cyſti fellea induratorum, qui globuli magnâ copiâ fuêre excreti, modò ſponte à natura expellente, modò clyſteribus educti.

Hoc periculoſo affectu levatus, integro penè anno mediocriter ſanus vixit, ſed ſuperiore Vere circa Martium anno 1612. ijdem dolores crudeliſſimè rediêre; ubi rurſus poſt multas evacuationes &

Anodyna ſeu doloré lenientia.

alia auxilia per fotus, balnea, veſicas lacte & oleis anodynis cum relaxantibus repletas, phlebotomias, unctiones, vomitoria, calculus ſimilis priori ſuprà deſcripto ab alvo prodijt ſum̃a omniũ admiratione, ut rei novæ & vix,imò nunquam,viſæ calculi ſcilicet è felle tam grandis excluſi. Eo liberatus redijt ad integram ſanitatem, quâ modò fruitur ſine querelis. Vtitur autem & præſervationis causâ, & ut ventriculum & primas vias mundas conſervet, pilulis quibusdam familiaribus, ex Ammoniaci pinguis vino diſſoluti & colati ℥ß, ſpecierum Hieræ ſimplicis, Rhabarbari, Agarici præparati ana ℈iiij. cum Oxymelite fiat maſſa. detur ʒj. in xv. pilulas redacta. Vivit etiam hoc tempore regulariter & cautè, ſperans ita ſe prohibiturum, ne ſimilis materia calculo gignendo apta coacervetur, eò magis quòd bis in anno, univerſali corporis purgatione per pharmaca congrua & phlebotomijs utitur, & hepatis ac renum fervorem contemperantia ſtudiosè inquirit, iiſque accedente DEI auxilio, ſe à tantis malis & miſeriis præſervare ſtudet. 18. Auguſti 1612.

NB. *Hæc uti obſervatio admodum rara, ita cùm alibi ſequentia notata repererim (quæ ſine dubio ad hæc mala & dolores profligandos, ſimúlque obſtructiones removendas adhibita ſunt) & illa huc deſcribenda ac annotanda putavi; & ſunt ſequentia.*

Generoſus Baro Chriſtophorus Paradeyſe (qui olim incredibilis magnitudinis calculum, per alvum, ex veſica fellea, cum dolore & vitæ diſcrimine in pertinaci Ictero excreverat, poſt calculum ejectum ſanatus) incidit in dolorem maximum cum alvi conſtipatione lumbos & dextrum hypochondrium occupante, ab injecto clyſtere ſibi familiari nihil operante nihil fuit levatus. poſt hunc alius ex decocto herbarum emollientium cum Sacchari & TerebinthinæVenetæ ana ℥ij adhibitus, qui nihil eduxit & dolorem non minuit. oblatus indè hauſtus ex Manna & oleo Amygdalarum dulcium, quem revomuit: indè Mannæ ℥iij ſolæ exhibitæ, vomitúque rejectæ.tandem duo clyſteres cum Sacchari, Terebinthinæ ana ℥ij. Benedictæ laxativæ ℥j. infuſi alvum moverunt, ſed dolorem non ſuſtulerunt. ſumpſit & vomitorium ex multo brodio cum Oxymelle, ſyrupo Violato, & oleo Amygdalarum dulcium. viſcidam pituitam copioſam vomitu rejecit; lavit ſæpe; cataplaſmata ex Malva aliiſque anodynis impoſita. veſicæ item admotæ lacte & oleis anodynis plenæ cum modico Croco, aliquid indè levaminis habuit; ſed ejulatu, clamore, & lavatione ex aqua tepida tempus trivit miſerè. tandem exhibita potio.

Clyſteres ex Terebinthina.

Vomitorium.

Potio purgans.

℞. *Foliorum Senæ* ℥ß.

Agarici ʒiß. *vel* ʒij.

Decoquan-

Decoquantur cum ſuis correctivis &

R. ℥iiij. ac diſſolve

Mannæ ℥iij.

Radicis Mechoacæ pulveriſatæ,

Aquæ Cinnamomi ana ʒj.

Iſta potione aſſumpta, alvus largiter fluxit, prodeuntibus excrementis flavis inſtar pulticulæ liquidioris. indè dolor diſparuit, & meliùs habuit.

NB. *Sine dubio calculo etiam (quod hîc omittitur) excluſo, vel ſaltem paulò pòſt. interim præſente Ictericia, quæ (uti conijcio) etiam hac ſecunda vice doloribus præſentibus, & ante excluſionem calculi acceſſit, ſequentia remedia adhibita fuiſſe reperio.*

Pilulæ in Ictericia.

R. *Ammoniaci aceto diſſoluti & percolati* ʒß.

Specierum Hieræ ſimplicis,

Agarici præparati,

Rhabarbari ana ʒj.

Cum *Oxymelle* fiant pilulæ.

Quarum doſis eſt ʒj. ſuperbibendo juſculum alteratum radice Cichorij, floribus Boraginis, Acetoſâ, & pauxillo Menthæ. hæ etenim pilulæ etiam in pertinacibus ictericijs utiliſſimæ viſæ ſunt. Injecti ſunt clyſteres ex lacte; ſyrupi aperitivi ex Cichorio, ſyrupo Byzantino, de Duabus radicibus exhibiti. Item clyſteres ex decocto herbarum emollientium. ſequentem potionem quinquies aſſumpſit.

Potio purgans aperiēs in Ictero.

R. *Pulveris Rhabarbari* ℈iß.

Spicæ Indicæ grana vij.

Fiat infuſio in *aquæ Fœniculi,*

Cichorij,

Endiviæ ana ℥j.

Adde colaturæ

Syrupi Byzantini,

De Duabus radicibus ana ʒvj.

Miſce.

Electuarium pro quatuor vicibus.

Electuarium laxansad idem.

R. *Rhabarbari electi pulveriſati* ʒij. ℈j.

Pulpæ Paſſularum minorum non rancidarum extractæ cùm vino albo ℥ij.

Cum *ſyrupo de Cichoreo*

Fiat Electuarium.

Sumpſit quoque pilulas.

Pilulæ aliæ ad Icterum.

R. *Aloës Roſatæ,*

Agarici præparati ana ℈ij.

Specierum Hieræ,
Pulveris Rhabarbari ana ℈j.
Croci grana iiij.

Julapium confortans.

R. *Conſervæ florum Boraginis,*
Bugloſſi,
Roſarum ana ℥ß.
Fiat emulſio cum
Aquæ Boraginis,
Meliſſæ ana ℥ij.
Adde
Syrupi acetoſitatis Citri ℥iß.
Aquæ Cinnamomi ʒiß.
Confectionis manus Chriſti perlatæ ʒvj.

Syrupi ex decocto foliorum Praſſij, Cuſcutæ, Cichorij cum ſyrupo de Cichorio ſimplici aliquoties repetiti. item hæc potio ſæpius aſſumpta.

Dilutum Rhabarbari.

R. *Mannæ* ℥ij.
Rhabarbari ʒj.
Diſſolvantur cum
Aqua Chamæmeli q. ſ.

Item hoc decoctum.

Apozema aperiens.

R. *Radicum Cichorij* ℥ß.
Agrimoniæ,
Capillorum Veneris,
Comarum Abſinthij ana Pj.
Fiat decoctio ad ℥iij. addendo
Syrupi de Duabus radicibus ℥ij.
Ammoniaci diſſoluti ℈iij.

Potio aperiens purgans.

R. *Herbarum Abſinthij vulgaris,*
Hyſſopi,
Praſſij,
Chelidoniæ ana Mß.
Cinnamomi acuti,
Zinziberis ana ℈ij.
Foliorum Senæ mundatæ ʒx.
Coquantur in ℔iij. *aquæ fontis* ad tertias colaturæ adde
Oxymellis ſimplicis,
Syrupi de Cichorio cum Rhabarbaro ana ℥j.ʒvj.
Infunde in his
Florum Croci integri in linteolo ligati ʒj.
Dentur ℥iiij. in aurora.

CONSULTATIO XI.

LIENIS OBSTRUCTIO.

PRO VIRO PERILLUSTRI.

Mitto hac occaſione remediorum quorundam deſcriptiones ad Splenis affectum, cujus curam hîc Monachij cœpit, ſed non finivit. Remedia hæc, ſequenti modo, adhibeantur.

Primò neceſſarium eſt, ut Perilluſtris Dominus denuo purget: in quem finem ſacculus medicatus præſcriptus eſt ex plantis Spleni appropriatis; imponi ille debet in ollam novam vitreatam, affusâ vini Neccarici menſurâ unâ. poſtea olla illa, ſacculo & vino indito, in aquam calentem tam diu imponatur, donec aqua frigeſcat, quo peracto, vinum in olla & in cella vinaria aſſervetur. Cæterùm vinum, quod affunditur, chalybe ita priùs præparetur: accipiatur fruſtum chalybis duas circiter libras civiles pendens, igniatur illud & in menſura una aquæ extinguatur. aqua hæc poſtmodum abijcitur, & chalybs denuo ignitur, ínque ſuprà dicta menſura vini extinguitur, atque hoc ter repetito vinum præparatum eſt, quod ollæ, uti dictum, ad ſacculum affunditur. Ab hoc igitur vino medicato Perilluſtris Vir manè ℥v. vel ſex, aſſumptis priùs aliquot cochlearibus juſculi gallinæ, exhauriat; & jejunus ad prandium úsque maneat. hoc ſingulis diebus vel ſaltem alternis, prout ſcilicet operatio ſubſequetur, fiat; quòd ſi vinum fuerit abſumptum, denuo menſura dimidia ſeu ℔jß. uti priùs, chalybeati vini affundatur, in aqua calida calefiat, ac in cellam denuo reponatur, atque demum eodem prorſus modo ebibatur. quo peracto, vena Salvatellæ tundatur, ſanguine aliquantulùm copiosè emiſſo. *Vinum medicatum chalybeatum.* *Sanguinis miſſio.*

Porrò oleum præſcripſi ad Splenem; de hoc pars calefiat, atque regio infra coſtas ſiniſtra perungatur calidè, manu inibi diu ſed moderatè oleum affricante. facta inunctione ſacculus imponatur loco adfecto ex herbis præſcriptis, & ut firmiùs adhæreat, faſciâ alligetur. interim, ut commodiùs hoc fiat, confici poterunt ſacculi duo alternatim applicandi. Poſt hæc ſtomacho proſpiciendum, ut coctio promoveatur melior, & flatus prohibeantur. huc pertinent pilulæ præſcriptæ ſine cura, quæ licèt alvum non admodum moveant, nihil

hil intereſt; ſemel aut bis in ſeptimana accipiantur horâ dimidiâ ante prandium, viginti pro vice.

Victûs ratio. In victûs ratione quod moneam iſtud eſt, ut Perilluſtris, Dominus omnia dulcia vitet, cibis utatur aceto pluſculũ conditis: ad cœnãCapparibus oleo & aceto paratis in vicem acetariorum in prima menſa veſcatur. lacticinia, farinacea, caſeoſa, ſtixa non admittat. vinum ſit Neccaricum album; dulce vinum, mulſa, cereviſia, aqua, nocent. vinum dilui poteſt aquâ chalybeatâ, paratâ eum in modum, ut ſcilicet chalybs ſemel ignitus in aqua extinguatur, aqua verò hæc abijciatur; iterum ignitus chalybs in menſura aquæ alia extinguatur, atque hæc aqua ſemel (quod ſufficit) ita chalybeata pro diluendo vino adſervetur.

Vinum aquâ chalybeatâ dilutum.

Exercitium corporis apprimè etiam neceſſarium eſt, nempe deambulatio matutina jejuno ventre, ſicut etiam veſpertina, horâ unâ vel ſeſqui horâ ante cœnam; magni ſanè exercitium æſtimandum, quin hâc curâ nihil debet eſſe antiquius.

Exercitium ſummè neceſſarium.

Fomentum Lienis. Cæterùm, cujus ferè oblitus fui, illud eſt, ut antequam Lienis regio inungatur oleo adſignato, ſpongiâ in aceto calido priùs benè imprægnatâ & expreſsâ, pars inungenda foveatur aliquamdiu. Deus ſuâ gratiâ adſiſtat.

Nodulus pro vino chalybeato.

℞. *Foliorum Senæ ſelectæ* ℥iß.
Agarici albi inciſi conquaſſati ℥ß.
Zinziberis ʒiß.
Corticum Tamariſci,
Radicum Filicis ana ℥ß.
Foliorum Ceterach Pij.
Cuſcutæ,
Comarum Abſinthij vulgaris,
Florum Bugloſſi ana Pj.
Excipiantur ſindone, & fiat ſacculus infundendus in ℔iij. *Vini chalybeati*, in quo *chalybs* ter aut quater extinctus ſit.

Inunctio Splenis.

℞. *Olei Anethini*,
Rutacei,
Chamæmelini,
Liliorum alborum ana ʒvj.
Vini albi ℥iiij.
Adde
Florum Malvæ,
Geniſtæ,
Comarum Abſinthij ana Pj.
Decoquantur ad conſumptionem *Vini*, colentur cum levi expreſſione.

℞. *Florum*

R. *Florum Chamæmeli,*
Meliloti,
Anethi,
Abſinthij ana Mj.
Miſce pro ſacculo. Sacculus pro fomẽto ſplenis.

CONSULTATIO XII.

LIENIS OBSTRUCTIO, ET TUMOR.

PRO QUODAM VIRO MAGNIFICO.

AD lienis obſtructiones & tumorem ſine febre, pro quo remedia à me petit D. Joannes N. ante omnia neceſſaria eſt conveniens vivendi ratio. Primò igitur noverit, in alimentis vitanda eſſe lacticinia, omniáque cum lacte & caſeo paſtilia parata, frixa in ſartagine, carnes bubulas, porcinas, leporinas, ſale conditas, fumo ſiccatas; piſces item ſale conditos; in oleribus braſſicam. Præcipuè nocet potus aquæ; cereviſiæ, vini dulcis craſſi, parùm omnino bibendum. Si Patiens robuſtus ſit & venæ ſanguine turgeant, ſanguis mittatur primùm ex baſilica dextri brachij, deinde ex vena ſiniſtræ manûs ſalvatella vocata. Victûs ratio. Sanguinis miſſio.

Quòd ſi verò plenitudo non aderit, ſolam ſalvatellam inciſiſſe ſatis fuerit. Vtile quoque non parùm erit, venas podicis, quas hæmorrhoidas vocant, admotis hirudinibus aperire; ſi modò illæ ſanguinem aliquando ſponte fuderint, vel intumuerint, aliàs enim ſanguinis ex eo loco vacuationem non ſuadeo. In medicamentis nihil eſſe præſtantius uſu chalybis poſt corporis per medicamenta idonea exquiſitam præparationem, quam præſens Medicus, habita nimirum ratione conſideratíſque neceſſarijs decernere debet. Quòd ſi medicamentorum formula à me poſtuletur, talis eſſe poteſt pro univerſali evacuatione, quam minorativam Practici vocant. Hæmorrhoĩdalium venarũ apertio, niſi aliquando jam fluxerint, vel ſaltem intumuerint, ſuſpecta. Minorativũ.

R. *Specierum Hieræ Galeni* ℈iv *vel* ʒiß.
Cum *aqua Cinnamomi* fiat bolus.

R. *Mellis Roſati laxativi* ℥ij.
Detur cum bolo nebulis involuto, duabus horis ante prandium, vel ſi potio magis arrideat.

R. *Electuarij lenitivi* ʒx.

Diſſolve in *aqua Boraginis* q. ſ. ſin alvus medicamentis iſtis ægrè moveatur, clyſtere emolliente fluida fiat; ac deinde repetatur bolus, additis aliquot granis *ſpecierum Eleſcophi*, vel *pulveris Senæ* præparatæ Montaganæ ʒß. Deterſâ probè primâ corporis areâ, hæc, vel ſimilia purgantia porrigantur.

Præparantia.

℞. *Syrupi è Boragine,*
Oxymellis ſimplicis ana ℥j.
Miſce.

Ad doſin unam ſummo manè aſſumendam, à cujus ſumptione ſomnus iterum ineatur, continuato 3, vel 4. diebus ejuſmodi ſyrupo, & clyſtere interim alvo, ſi non reſponderit, lenitâ, tale purgans offeratur.

Potio purgans ſuccum melancholicum.

℞. *Foliorum Senæ ſelectæ* ℥ß.
Agarici optimi crudi inciſi & conquaſſati,
Radicum Polypodij querni ana ʒij.
Zinziberis ʒj.
Corticum Hellebori nigri ʒß.
Liquiritiæ,
Seminis Aniſi ana ℈ij.
Paſſularum ℥j.

Decoquantur in *aquæ fontis* ℥vij.vel viij.ad tertię partis conſumptionem ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua diſſolve *Mannæ* ℥ij. *Oxymellis ſimplicis* ℥j. adde, ſi opus videatur, *confectionis Hamech* ʒij. Repeti id debebit præmiſſo tali vel ſimili apozemate.

Apozema præparans humorem melancholicum.

℞. *Herbarum Boraginis* Mj.
Meliſſæ,
Capillorum Veneris,
Ceterach ana Mß.
Radicum Polypodij,
Bugloſſi,
Liquiritiæ ana ʒiij.
Foliorum Senæ ℥ß. ʒß.
Zinziberis,
Seminis Aniſi ana ʒj.
Paſſularum ℥j.

Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℔j. poſt horas x. fiat colatura in qua dilue *Oxymellis ſimplicis* ℥iij. *Syrupi è Lupulis, è Fumaria ana* ℥iß. fiat potio ad tres doſes.

Interpoſita unius diei quiete purgans prædictum ſumatur, niſi alvus largiter fluat. Corpore ſic purgato, quieſcat aliquot diebus Patiens, ac deinde Vinum medicatum bibat, quod ita ſe habeat.

Vinum medicatum in melancholia.

℞. *Foliorum Senæ* ℥iß.
Agarici crudi,

Radicum

Radicum Mechoacæ ana ℥ß.
Turpethi albi,
Corticum Hellebori nigri ana ℥ij. (*vel ſi æger ſit delicatior omittantur hæc duo.*)
Zinziberis ℈iiij.
Macis ℈j.
Florum Boraginis,
Anthos,
Comarum Abſinthij vulgaris,
Foliorum Ceterach ana Pj.

Miſce ligentur in ſindone ſimplici puppa, infundenda ℔iij. vini albi, de vino iſto manè bibantur ℥v. vel vj. poſt aſſumptum juſculum ſine pane. repetatur quotidie vel alternis diebus, prout ſuaſerit evacuatio largior vel parcior indè ſecuta. Vbi corpus probè ſatiſque repurgatum videbitur, chalybis ſumendi erit occaſio.

Præparatio & uſus Chalybis varius eſt & multiplex: mihi tanquam frequenti uſu compertum maximè probatur hoc electuarium.

Electuarium chalybeatum.

R. *Limaturæ Chalybis* ℥viij.

Molatur ſuper Porphyrite ſubtiliſſimè cum aceto, deinde ſiccetur ad Solem, vel ignem, & ſic ſepties iteretur.

R. *Limaturæ ſic præparatæ* ℥vj.
Cinnamomi,
Nucis Moſchatæ ana ℥iij.
Rhabarbari ℥ij.
Specierum aromaticarum Roſatarum ℥vj.
Mellis optimi,
Sacchari albi ana ℔j. ℥j.

Cum lento igne fiat Electuarium. doſis ſit ℥ß. ſumatur horis 5. ante prandium, ſuperbibendo vini malvatici unum vel duo cochlearia, vel vini Abſinthitis tantundem. deinde corpus pro ratione virium inambulando exerceatur, horâ unâ vel alterâ. perſeveret æger in ejus uſu dies plùs minùs xxv. vel ſi malum inveteratum fuerit xxx. Notandum verò medicamentum iſtud quarto quoque die omittendum, ejúſque loco alvum ducendam hauſtu vini purgantis paulò antè deſcripti, niſi venter abundè ſponte ſuâ fluat, tunc enim ſi copioſior fluxus ſit, ab ipſo quoque electuario aliquamdiu deſiſtendum. Si patiens difficulter electuarium deglutire poſſit, minori doſi chalybs ſic offeratur.

Electuarij chalybeati utendi modus.

R. *Chalybis præparati* ℨj.
Pulveris Caryophyllorum grana iv. vel v.

Chalybs in pulvere.

Cum Vino malvatico fiat bolus nebulis involvendus, ac devorandus ex cochleari cum pauco vino malvatico. aliqui Rhabarbarum pulveriſatum addunt. poſſunt etiam pilulæ ex eodem pulvere chalybis concinnari ad ſcirrhoſos lienis affectus. Alium præparandi

Chalybem præparandi modum alium docetFallopius.

modum atque utendi rationem docuit Gabriel Fallopius lib. de metallis ſeu foſſilibus cap. 19. quem cùm quivis indè aſſumere poſſit, huc adſcribere non eſt neceſſe. Remedia iſthæc viam, quâ in morbo hoc procedendum videtur, aperientia, cautè & cum conſilio præſentis Medici adhibeantur. Anno 1608.

CONSULTATIO XIII.

HYDROPS ET LIENIS TUMOR SCIRRHOSUS.

IN

NOBILISSIMA MATRONA.

Ubi de aquis Spadenſibus in Hydrope agitur.

Lien viſcus videtur ſecundarium Hepatis.

Nobiliſſima Domina Anna de Ligni olim ab Hydrope divino auxilio & remedijs, ſapientiſſimorum Pariſienſium Medicorum, potúsque longâ abſtinentiâ liberata, in eundem hoc anno rurſus incidit, lienis ſcirrho laborantis vitio: hujus enim viſceris tanquam ſecundarij cujuſdam jecoris actione impeditâ, nullámque operam ipſi jecori præſtante, corporis valetudinem non mediocriter labefactari neceſſe eſt; uti & huic quoque Dominæ accidit, dum ſucci Lieni deſtinati ab eóque haud ſuſcepti, hepatis cavum obſtruxerunt, multáque impuritate conſpurcârunt: unde calor ejus imminutus & facultas ſanguifica magna ex parte ablata eſt. Pro curatione ab ijſdem præſtantiſſimis Medicis ad Spadanum hunc fontem, quòd medicamentorum fortè pertæſa eſſet, miſſa, poſt bidui quietem aſſumpto, quod ſecum attulerat, medicamento, ac largiter ſatis ab eo evacuata, dum de bibenda aqua cogitat, cognovit eandem tribus hydropicis hoc loco potatam, neque per convenientes vias redditam, maximoperè obfuiſſe, ventris aliarúmque aucto tumore, & ſymptomatis omnibus gravioribus factis. Fontis autem hujus ſicut & aliarum fortè ſimilium aquarum natura ita comparata eſt, ut hydropicos vel ſtrenuè juvet, vel celeriùs occidat. Conſilium igitur meum fuit corpus ejus ad aquæ potationem aliquantò meliùs præparare, his, quæ ſequuntur, remedijs.

Thermæ hydropicos vel ſtrenuè juvant, vel celeriùs occidunt.

℞. *Specierum Hieræ ſimplicis* ℈j.
Fiat bolus duabus horis ante cœnam porrigendus. deinde
℞. *Seminum Fœniculi,*
Scariolæ,

Radicum

Radicum Petroſelini ana ℥j.

Coquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥iijß. his infunde per noctem Rhabarbari electi vino albo irrorati ʒij. manè colentur cum expreſſione, adde

Oxymellis compoſiti ℥ij.

Offeratur potio in aurora.

Rhabarbari dilutum particulare, & egregium in hydrope.

His per tres dies alternos aſſumptis, incredibilis copia craſſiſſimorum humorum eſt educta, ventérque non parùm detumuit, longè quàm priùs eſſet, factus tractabilis. Indè aquæ potum attentare cœpit, hauſtis matutino tempore ℥xx. Verùm cùm illa retineretur, & fons ſequentibus diebus ab aſſidua pluvia valde dilutus eſſet, viribúsque penè conſuetis orbatus, ſubſiſtere aliquot dies coacta, hanc potionem aſſumpſit.

R. *Dilutum Rhabarbari ut ſuprà,*

Mannæ electæ ℥ij.

Oxymellis compoſiti ℥j.

Miſce.

Dilutum paulò fortius.

Dejecit mucoſa cum ſeroſitatibus multis, triduo poſteà ad aquæ potum redijt, verùm cùm è regione renum & ureterum doloribus punctorijs vexaretur, & urinæ craſſæ ac paucæ profluerent, hoc eſt injectum enema.

R. *Herbarum Malvæ,*

Cardui benedicti,

Chamomillæ,

Meliloti ana Mj.

Seminis Aniſi ʒij.

Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥x. adde

Urinæ Pueri ℥iij.

Electuarij Benedictæ laxativæ ʒvj.

Sacchari rubri ℥jß.

Enema in hydrope.

Sequenti die aquam rurſus bibit ad ℥xxx. quæ promptè ſatis tranſire, & per Veſicam fluere cœpit, ſpem præbens exitûs poſthac felicioris, cum emolumento haud pœnitendo.

Quòd ſi verò aliter accideret (quod Deus avertat) aquam meo conſilio medicamentis alijs per alvum & veſicam educere tentabit, ut blandis duntaxat, quæque viſcerum robur, quod ſupereſt, atterere planè atque extinguere nequeant. Omiſſis igitur Elaterio, Mezereo, ſucco Jreos, Stibio, aliiſque fortioribus, ſuadeo, ut bis térve in hebdomade purgetur duobus his remedijs. Primum ſit infuſum ʒij. Rhabarbari cum Manna, & Oxymelle compoſito, ſuperiùs deſcriptum, idque ſemel octavo quoque die offeratur, ſed præmiſſo ℈j. ſpecierum Hieræ ſimplicis pridie ante cœnam. A jecoris enim

Purgantia fortiora autori ſemper ſuſpecta meritò.

 calidi-

caliditate nihil hîc metuendum ſentio, ſed à frigiditate potiùs, ſaltem (ut loquuntur) privativâ, atque à vitioſis ſuccis ipſi inhærentibus. Alterum hoc vinum medicatum purgans.

Vinum medicatum.

R. *Foliorum Sena electa* ℥iij.
Agarici optimi non praparati ℥ij.
Rhabarbari electi ℥j.
Radicum Galanga ℈j.
Herba Cardui benedicti,
Coma abſinthij vulgaris ana Pj.
Excipiantur ſindone, & fiat ſacculus infunden-dus in *vini albi* ℥xv. de quo manè ſumat ℥v. ſuperbibendo brodium caponis, cui ali-quid *Macis* ſit incoctum, addito *ovi vitello* cum momento *aceti* conquaſſato. fiat hoc duobus alternis diebus.

Equidem ut verum fatear ingenuè, primum remedium, hoc eſt potionem jam dictam ex Rhabarbaro & Manna cum Oxymelle, vino huic præfero, ad minimum bis unâ ſeptimanâ aſſumptum, præ-miſſo veſperi Hieræ ℈j. reliquis diebus diureticis utendum. Primum eſt quod recipit.

Vinum diureticum.

R. *Granorum Alkekengi* ℥j.
Juniperi,
Corticum Tamariſci ana ℥ß.
Inciſis & in ſindone ligatis affunde *vini albi* ℥xxv. bibat manè 4. horis ante paſtum & veſperi horis duabus ante cœnam ℥v. vel ℥vj.

Pro altero diuretico accipiatur radicis Rubiæ majoris in pul-verem redactæ ʒj. devoretur horis quatuor ante prandium ſuperbi-bendo juris Cicerum rubeorum, cui radix Petroſelini incocta ſit cum pauco butyro & ſale ℥iiij. vel ℥v. Tertium claretum hunc in mo-dum paratum.

Claretum diureticum in hydrope.

R. *Seminum Aniſi*,
Fœniculi,
Petroſelini,
Cymini,
Apij ana ℥ß.
Radicum Enula Campana,
Cichorij,
Fœniculi,
Valeriana,
Aſparagi,
Pimpinella,
Petroſelini,

Apij,

Apij,
Geniſtæ ana ℥vj.
Florum Tiliæ Mj.
Herbarum Mercurialis,
Evpatorij,
Agrimoniæ ana Mß.
Foliorum Soldanellæ Miß.
Radicum Jreos ℥ß.
Liquiritiæ raſæ ℥j.
Cicerum rubrorum Mß.
Baccarum Lauri N°. x.
Juniperi Mß.
Seminum Melonum ʒiij.

Infundantur in *vini* & *aquæ* ana menſuris ij. vel ℔vj. manè coquantur ad conſumptio-nem medietatis, & colentur cum forti ex-preſſione, in colatura bulliant *Paſſularum* & *Zibebarum enucleatarum ana* ℥j. & cum ſ. q. *Sacchari* dulcoretur, rursúsque coletur ad modum Clareti. ſumantur ℥v. manè & veſperi.

Victûs ratio.

Cibus ſint pullus gallinaceus, columbinus, perdix, turdus, hœdus, ovorum vitelli, panis ex farina tritici à furfuribus non planè repurgata, non valde recens, mediocriter fermentatus, ſalitus, & benè ſubactus cum pauco Aniſo & Coriandro. Vbi venter aquâ vel Spadani fontis vel medicamentorum beneficio detumuerit, cum Lienis ſcirrhoſo tumore (quem fons ſanare non poterit) pugnandum eſt hoc, quod ſequitur, auxilio.

Chalybis uſus. ejus præparandi modus autori confuſus.

℞. *Chalybis limati* ℥x.

Ponantur in vas fictile amplum; affundendo *aceti vini albi acerrimi*, ut chalybs coope-riatur, exſiccetur ad Solem, vel fornacem hypocauſti non admodum calidam, *Cha-lybem* poſtmodum terè ſuper lapide Porphy-rite, vel alio duriſſimo aliquamdiu; poſtea rurſus in vaſe fictili affuſo *aceto*, ut antea exſiccetur, & iterum ſuper Porphyrite tera-tur, hócque ſepties repetatur, ut *Chalybs* in tenuem pulverem ſit redactus. de quo

Electuarium chalybeatum.

℞. ℥iiij.
Caryophyllorum,
Galangæ,
Cinnamomi,

Specierum

Specierum aromaticarum Roſatarum ana ʒj.
Mellis deſpumati ℥ixß.
Fiat Electuarium inſtar opiatæ.

Doſis ℥ß. offerenda 4. horis ante cibum. ſuperbibat vini generoſi ℥j. indè corpus exerceatur deambulatione ad duas horas; continuet dies xxx. ſingulis verò hebdomadibus purgans aliquod omiſſo Electuario ſumat, cujuſmodi eſt vinum Abſinthites, cui folia Senæ cum Zinzibere modico ſint infuſa. Si tantam Electuarij doſin faſtidiat, & pulverem aſſumere malit, exhibeatur ejus ʒj. omiſſo melle, & cum vino fiat bolus. In topicis hæc mihi pro alijs probantur.

Fomentum Inunctio & emplaſtrum.

℞. *Foliorum Ceterach*,
Florum Chamomillæ,
Meliloti ana Mij.
Corticum Capparum,
Radicum Cyclaminis,
Althææ ana ℥ß.

Coquantur in ℔iij. *vini* ad 4. partis conſumptionem. cum ſpongia hoc decocto imbuta Splenis regio foveatur mediæ horæ ſpatio, deinde lanâ ovillâ ſuccidâ carpinatâ in oleis Capperum, Chamomillæ, Liliorum alborum, Amygdalarum dulcium & pinguedinis anſerinæ recentis ana part. æq. ad ignem ſimul liquatis, madefacta faſcia ſubligetur, fiat manè & horâ unâ ante cœnam toto tempore, quo chalybe utetur. Poſtea abſoluto chalybis uſu, Ammoniacum cum aceto diſſolutum, & Emplaſtrum de Meliloto eidem loco impoſitum aſſiduè geſtetur. Vbi malum his adhibitis non ceſſaverit, ineunte Vere Chalybis uſus præmiſſis & admixtis purgationibus repetatur. Si alius utendi modus deſideretur, in vino Malvatico, ut Fallopius de metallis agens docuit, uſurpetur. Deus Optimus Maximus lectiſſimam hanc Dominam priſtinæ valetudini reſtituat, rebùsque omnibus ſecundis cumulet. die 25. Auguſti 1698. *Ad fontem Spadanum pro ægrota ægrotus dictabat.*

CONSVLTATIO XIV.

OBSTRUCTIONES HEPATIS ET SPLENIS CONFIRMATÆ CUM PERICULO HYDROPIS.

PRO
VIRO HONESTO.

Oneſtus hic Vir laborat magnis & antiquis obſtructionibus, & impuritate Jecoris & Splenis, cum ventris diſtenſione & periculo hydropis; opus habet cu-

ratione

rationelonga & diligenti: inprimis autem victu attenuante. Purgetur bis térve ex brevibus intervallis, deinde apozemate utatur per complures dies, partim aperiente, partim per alvum evacuante, ex Sena, Agarico, Rhabarbaro, radicibus Cichorij, Fœniculi, Filicis, & Petroſelini, & herbis Agrimoniæ, Fragariæ, Capillorum Veneris, Ceterach, Fumariæ, Boragine, dulcoratis cum Oxymelle ſimplici. Paretur quoque poſt aliquot dies vinum medicatum purgans ex uncijs duabus Senæ, drachmis ſex Agarici præparati, Turpethi ʒiij. Zinziberis ʒiß. herbarum Abſinthij, Cardui benedicti, Centaurij minoris ana Mß. infundantur in libris quatuor vini albi; manè bibat ℥vj. ſumpto priùs juſculo carnium, idque alternis diebus. Corpore ſufficienter purgato, offeratur electuarium è Chalybe, modo, qui ſequitur, parato.

Opus curatione longa, & quali?

R. *Limaturæ Chalybis* ℥v.

Affuſo *aceto acerrimo* ſiccetur ad Solem in vaſe amplo, dein teratur ſuper lapide Porphyrite, & rurſus affuſo *aceto* ſiccetur, hoc opus ſepties repetendo, in pollinem tenuem reducendo. *de hoc pulvere* ſumantur ℥iiij. adde

Pulveris Caryophyllorum,

Cinnamomi inciſi ana ʒß.

Mellis deſpumati ℔j.

Fiat Electuarium. doſis ʒß. quatuor horis ante prandium corpus exerceat.

Electuarium Chalybeatum.

Præterea bis in hebdomade purgans aliquod offeratur, ut pulvis Senæ Montagnanæ, omiſſo illo die Electuario Chalybeato. in Spa 23. Auguſti 1598.

CONSULTATIO XV.

OBSTRUCTIO HEPATIS ET SPLENIS, CACHEXIA AC TANDEM SUBSEQUENS HYDROPS.

PRO

VIRO RELIGIOSO.

MOrbum Reverendi Patris Davidis à Renum labefactatione diuturnam nephritidem ſecutâ primùm originem ſuam habuiſſe, rationi conſentaneum eſt: dum enim horum actione imminuta, ſerum à ſanguine exactè

ſequeſtrari, atque è corpore evacuari totum non potuit, neceſſum fuit, vitioſos humores in venis colligi, ac tandem viſcera quoque Hepar nimirum, & Splenem obſtrui, ac conſpurcari. Indè verò ventriculo quoque in conſenſionem cum adjacentibus partibus pertracto, mirum non eſt, & appetentiam proſtratam, & alimoniæ aſſumptæ infelicem coctionem novæ cacochymiæ quotidie coacervandæ opportunã ſubſecutã fuiſſe. Hinc vomitus creber, ſtomachi dolor, atq; adeò omnium, de quibus ſcribitur, ſymptomatum concurſus: ſiquidem ab obſtructionibus viſcerum calor præter naturam oboritur, à calore chylus aſſatur, vapores copioſi excitantur, qui in cerebrum ſublati, quòd atri ac tenebricoſi ſint, animalem ſpiritum inquinant, & quadam quaſi caligine obſcurant, metum ac triſtitiam inducentes: dum verò cor petunt, ídque obſident, ejus compreſſionem ac palpitationem, in diaphragma verò impulſi illúdque attollentes pectoris anguſtiam, ſpirandíque difficultatem faciunt. Spaſmus ſurarum ad eoſdem vapores, nervoſas partes vellicantes; dolores podagrici ad ſeroſos humores à natura procul à viſceribus ad corporis partes longè diſtantes propulſos, referri debent. Hydrops in tanta concoctionum omnium læſione ac viſcerum impuritate non immeritò timetur, quòd tandem ſanguinis officinam, Jecur ſcilicet calore ſuo nativo ſenſim deſtitui, ac penè emori oporteat. Vigiliæ ac ſomni jucundi difficultas, exhalationibus melancholicis rectè quoque adſcribitur, cùm à vaporibus benignis ac naturæ gratis ſomnum obrepere nemo neſciat. Eidem cauſæ, at plurimùm auctæ, capitis nimirum inſigni à vaporibus copioſis repletioni, delirium quoque tribuendum non dubito. Atque hæc mea eſt de valetudinis, quæ bonus Pater experitur, incommodis ſententia.

Hydrops à renum vitio.

Obſtructionum effectus.

De remedijs definire quippiam, non eſt æquè facile, ſicuti de morbi quoque eventu, nemo abſens facilè certi quid prædixerit. Interim verò aſſeveranter ſtatuo, ad curationem planè requiri cacochymiæ, quæ in viſceribus, totóque corpore multa ſubeſt, evacuationem per convenientes vias ac idonea remedia inſtituendam: cúmque viſcerum cavitates haud dubiè vitioſis ſuccis ſcateant, eoſdem ante omnia per epicraſin ac paulatim medicamentis alvum ducentibus ac clementioribus repurgandos: præſtabit id bolus, qui ſic ſe habet.

Evacuatio neceſſaria.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis Galeni* ℈iijß.
Pulveris Senæ præparatæ Montagnanæ ℈ij.
Miſce cum *Oxymelle* ſimplici fiat bolus.

Offerendus duabus horis ante prandium nebulis involutus. repetatur ter, quatérve. Deinde in ſequens triduum aperientium aliquid, nullo purgante addito, ex uſu erit, uti Oxymel ſimplex ac ſyrupus Byzantinus. ſequatur iſta vel alia huic non abſimilis potio.

R. *Mannæ*

R. *Mannæ* ℥ij.
Diſſolvatur in *aquæ Boraginis* ℥iij. adde
Pulveris Rhabarbari vino albo irrorati ʒj.

Poſtmodum ſemel atque iterum in hebdomade remedium Guilielmi Placentini mihi uſitatum convenientiſſimè aſſumetur, ac pro virium ratione repetatur, quod ſic habet.

R. *Seminum Fœniculi*,
Scariolæ,
Radicum Petroſelini ana ʒj.

Potio aperiens purgans in hydropicis laudata à Placentino.

Coque in ſ. q. *aquæ* ad ℥iijß. in his infunde per noctem *Rhabarbari* optimi pulveriſati vino albo irrorati ʒij. manè colentur cum expreſſione, adde *Oxymellis compoſiti* ℥ij. miſce fiat potio offerenda in aurora, in qua loco *Oxymellis Mannæ* ℥ij. ſubinde diluantur.

Plura per temporis anguſtiam, & tabellarij. feſtinationem ſcribere non licet, nunc breve reſponſum iſtud & extemporale boni conſulatur, donec de morbo pleniùs informatus, ac otij pluſculum nactus fuerim. 21. Julij 1600.

APPENDIX.

PUto primam regionem corporis ac cavum jecoris medicamentis accomodatis Clariſſimorum iſtorum Medicorum conſilio bona ex parte jam pridem vacuatam eſſe. Quòd ſi verò factum necdum ſit, ante uſum Rhabarbari aliorúmque aperientium ſuadeo, ut bolus ex ſpeciebus Hieræ ſimplicis & pulvere Senæ Montagnanæ ſemel atque iterum vel eò ſæpiùs ex juſtis intervallis uſurpetur. Ad remedium verò Placentini ex diluto Rhabarbari cum Oxymelle compoſito nequaquam properetur.

CONSULTATIO XVI.

CACHEXIA IMMINENS.

PRO
VIRO ILLUSTRISSIMO.
Ad Clariſſimum Medicum Ordinarium.

NEmo ſub complexu ſolis vivit, cujus mihi valetudo cordi magis ſit, ac pro cujus incolumitate laborare alacriùs majorique fide velim, quam Illuſtriſſimi Domini N. N. idcirco rem mihi gratam valde feciſti, cùm

occaſionem de ipſo benè merendi, litteris tuis rurſus obtuliſti. Rectè autem facis, quòd cachexiam metuis, quod pedum tumor, faciei color immutatus (haud dubiè) in pallorem, ac reſpiratio inter eundem difficilior manifeſtè arguunt. Membrorum laſſitudo humorum crudorum copiæ, tam in viſcerum cavitatibus, quàm in corporis habitu contentæ, omnino adſcribenda eſt; ſicuti & pedum tumor, cum reliquis, quæ Illuſtriſſimus Dominus experitur incommodis. De inappetentia ego ſanè non admodum fuerim ſollicitus: nôſti enim illud Hippocratis; *Corpora impura quantò plùs nutries, tantò magis lædes*: eam enim, cacochymiâ detractâ, ſponte redituram, planè confido.

Laſſitudinis (quod ex Hippocratis ſententia morbos prænunciet) rationem majorem, atque adeò pedum tumeſcentium habendam eſſe cenſco. Remedia quæ maximè hoc tempore ex uſu futura exiſtimo, duo ſunt, nimirum Pilulæ hunc in modum paratæ.

Pilulæ.

R. *Aloës Soccotrinæ non lotæ,*
Specierum Hieræ ſimplicis recenter fideliter diſpenſatæ,
Agarici recenter trochiſcati ana ℥ij.
Cum *aqua Abſinthÿ* formentur pilulæ, quot æger voluerit, deaurentur.

Doſis ſit ℥iß. duabus vel tribus horis ante prandium, bis in una ſeptimana; hoc auxilio præſertim ſæpius repetito jecoris cavum ab impuritatibus blandè ac citra jacturam virium liberabit. Quòd ſi alvus indè nîl vel parùm deijciat, clyſteribus accommodatis ſollicitetur. Alterum eſt victus pauló frugalior ísque attenuans, cui quantum Galenus noſter tribuat, libello integro teſtatum facit. Ad cereviſiam quod attinet, etſi nullam in iſta corporis conſtitutione laudo, eligenda tamen, ſi potum interdum deguſtare placeat, clara, defæcata, minimè recens, ſubamara, nullum neque acorem ſapiens, neque ſitum redolens: ex noſtratibus vix quidquam habeo, quod proponam, vel admittam: ex peregrinis mihi quidem cognitis innocentior erit Embecenſis, cujus apud Principes noſtros ſatis creber eſt uſus. deinde altera, quæ in Saxonia coquitur in Schoppach prope Dreſdam, vulgò Schopſtich-Bier.

Mittebat hanc Auguſtus Elector ad Albertum Bavariæ Ducem inclytum, felicis memoriæ, ex renum calculo laborantem, cui tam præcavendo quàm curando quàm maximè idoneam prædicabat. Ego verò, ut hauſtum unum vel alterum de alterutra harum non valde improbo, ita Neccaricum vinum familiarem Illuſtriſſimi Domini potum eſſe velim. Ad fontes acidulos quod attinet, Vbringenſem, Gôppingenſem vel Ebenhauſanum, tanquam invalidos, & ob vim frigefaciendi in hoc corpore ſuſpectos averſor. Minùs

Acidulæ in Cachexia non ſemper nec omnes utiles.

metuerem

metuerem, imò & laudatem Schwalbacenſem propè Moguntiam; alióſque duos prope Andernacum ad Rhenum, Ponterborn & Iller-born vocatos. Item Spadanum prope Leodium, ſed ritè ac prudenter uſurpatos: omnes iſtos potavi atque experientiâ didici nonnullis profuiſſe, imò etiam multis econtrà non parùm obfuiſſe. Aliàs plura, hæc interim celeriter dictata boni conſule. Vale & Illuſtriſſimi Domini N. N. benevolentiam mihi conſerva, quem ego tam ob præſtantia in Rempublicam, quàm in me ipſum merita, tantùm diligo, quantùm & obſervo, utrúmque nempe plurimùm. Monachij.

CONSULTATIO XVII.

CACHEXIA, ET PRINCIPIUM HYDROPIS.

PRO

PRINCIPE QUODAM.

Ad Virum Medicum Amicum.

GRatiſſima mihi fuit memoria tua mei, conſtánſque benevolentia, quam ex humaniſſimis litteris tuis facilè perſpexi. Gratum quoque eſt, te iſthic non apud Principes modò, ſed etiam omnes alios gratioſum eſſe, multíſque medicinam facere; quo nomine magnopere tibi gratulor. Vnum diſplicet ac doleo vehementer, Illuſtriſſimum nempe Dominum Landgravium herum ſuum, quo cum ſermonem de te habui multa ac debita tua cum laude, valetudine uti parùm firma, quam niſi curet, vereor, ut diu ſuperſtes eſſe queat. Facies lurido iſto colore Cachexiam arguit: hypochondria tenſa, pedes inflati, eandem confirmant. Malè me habet, quòd Princeps periculum contemnat Hydropis, in quo verſatur aperto, ſanè ac nimis evidenti. Equidem pedum tumor, ac frequens illud eryſipelas œdematodes, quo vitioſi acréſque ſucci à viſceribus ad extrema corporis utiliter ablegari ſolent, gravius malum præcavit hactenus: verùm utinam Natura aliquando non ſuccumbat, impar oneri tanto ferendo, deponendóque. Petijt Celſitudo Sua, ut remedia idonea proponerem, reſpondi me tecum de illis acturum. id autem faciam paucis, non quòd te monitore ullo egere cenſeam, ſed ut Principis voluntati morem geram. *Eryſipelas, gravius malū aliquando præcavet.*

Scatet corpus hoc antiquis viſcerum impuritatibus ſeu obſtructionibus; has expedire qui unâ vel alterâ purgatiunculâ ſperet, ineptiat. probè novit Excellentia ſua, repurgandas primas vias, craſſos ac glutinoſos ſuccos attenuandos detergendóſque, indè per alvum præcipuè repurgandos, repetitis præparationibus evacuationibúsque. tandem verò remedio aliquo excellenti obſtructionum reliquiæ extirpandæ, robúrque viſceribus adijciendum mihi ſanè omnino videtur. Medicamentorum mihi probatorum formulas, ſi placet cognoſcere, hæ ſunto.

Obſtructiones unâ vel alterâ potiunculâ non expędiuntur.

Leniens.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis Galeni* ℈iiij. vel ʒiß.
Cum *aqua Cinnamomi* fiat bolus.
Item
R. *Mellis Roſati* ℥iß.
Detur cum bolo nebulis involuto, duabus horis ante prandium.

Si parùm eduxerit, repetatur, additâ drachmâ dimidiâ Senæ præparatæ Montagnanæ. Sequentibus tribus vel quatuor diebus manè porrigatur cum juſculo pulli hoc præparans.

R. *Oxymellis ſimplicis* ʒx.
Mellis Roſati ʒvj.
Miſce.

Indè purgans, quale ſequitur.

Potio purgans.

R. *Foliorum Senæ electæ* ʒvj.
Agarici præparati ʒiß.
Zinziberis,
Seminis Aniſi ana ʒj.
Paſſularum ʒß.
Decoquantur *in aquæ Boraginis* ℥viij. ad tertiæ partis conſumptionem, ſtent per noctem, manè fiat colatura, de qua
R. ℥iij. in his diſſolve
Mannæ ʒij.
Pulveris Rhabarbari aquâ Cinnamomi irrorati ℈iiij.
Oxymellis ſimplicis ℥j.
Miſce fiat potio.

Poſt hæc conveníentiſſimè decernas apozema aliquod juſculum, aperiendi & ſimul alvum modicè ducendi facultate præditum. verùm cùm ab eo nimis abhorrere Princeps poſſit, vinum medicatum aliquod ſubſtitui poterit.

Vinum medicatum aperiens evacuans.

R. *Foliorum Senæ electæ* ℥j.
Agarici trochiſcati ʒiij.
Radicum Mechoacæ ʒijß.

Rhabarbari

Rhabarbari electi ʒß.
Radicum Cichorij ℥ß.
Helenij,
Zinziberis ana ʒj.
Herbarum Agrimoniæ,
Capillorum Veneris,
Ceterach,
Comarum Abſinthij,
Florum Boraginis,
Bugloſſi,
Anthos ana Pj.

Omnia excipiantur ſindone, fiat ſacculus, infundendus in ℔iij. *vini albi*, ex quo manè quatuor horis ante prandium porrigatur hauſtus,poſt ſumptum pauxillum juſculum ſine pane.

Continuari vinum iſtud deberet diebus octo vel decem vel pluribus, interpoſita tamen quiete, prout videbitur.

Perpurgato hunc in modum corpore, placeret uſus Chalybis cũ aceto acri ſepties lævigati,qui in iſthoc morbi genere mihi valde eſt familiaris,ac felici experientia probatus, modò ritè adhibeatur. Cùm verò ejus exhibendi modi ſint quàm plurimi, ego ſimplicem iſtum ac facilem propono pro Principe, ut nimirum Chalybis præparati drachma una ſumatur, additiſque Caryophyllis pulveriſatis ad grana quatuor vel quinque, cum vino concinnatus bolus, qui nebulis involutus devoretur, horâ ſextâ matutinâ, ſuperbibendo tria vel quatuor cochlearia vini abſinthiaci; indè horâ unâ elapsâ corpus exerceatur ambulando, vel alia ratione, ut probè incaleſcat. ab exercitio in lecto quieſcat,& ſudori ſi erumpat indulgeat.deinde ubi corp⁹ calere deſierit,prandeat.Aſſumpto hoc modo Chalybe duobusdiebus, tertio die ipſum intermittat, ac vini purgantis, quale ſuperiùs deſcriptũ eſt, hauſtũ ſubſtituat. quarto & quinto die ad Chalybem redeat. poſtea vinumpurgansrepetat. eâque ratione pergat,donec Chalybem vicies, vel etiã pluries ſumpſerit,interpoſito vino medicato quarto quoq; die.

Chalybs in bolo.

Chalybe ritè utendi modus.

Verùm uti alia remedia, ita & hæc ſupervacanea fuerint, niſi accurata ſimul vivendi ratio ſervetur, caveatúrque inprimis ſatietas, omniſque repletio, alimentorúmque craſſorum ac præcipuè frumentaceorum ac lacticiniorum uſus.

Vale. Monachij 24. Novembris 1606.

* * *

CON-

CONSULTATIO XVIII.

TUMOR ARTUUM ET VENTRIS, EX INTEMPERIE FRIGIDA HUMIDA HEPATIS.

PRO

QUADAM MATRONA NOBILI.

*

TUmor artuum & ventris, effectus ſunt debilioris ac intemperie frigida humida laborantis hepatis; idcirco Domina Patiens abſtinebit à potu multo, cibíſq; frigidis & pituitoſis, quales ſunt lac, lacticinia, caſeus, fructus horarij, paſtilia, farinacea, piſces, caro ſuilla, & ſimilia.

Ad hepatis corroborationem, calefactionem, exſiccationémque (ſine quibus intentionibus Domina Patiens curari non poterit) pretioſa eſt ac ſalutaris medicina herba Agrimoniæ, quam Dominæ Patienti vel maximè profuturam cenſeo, dummodo illam continuato uſu adhibuerit; utilia porrò ſunt Marrubium album, radix Fœniculi, Aſari, ex quibus tale componatur decoctum.

Agrimonia ad hepar ſingulare re medium.

R. *Agrimoniæ* Miß.
Marrubij albi,
Radicum Fœniculi ana Mj.
Aſari Mß.

Bulliant in *vini* ℔iij. & tantundem *aquæ*, ad conſumptionem tertiæ partis, addendo *ſaccharum* ad gratitudinem, & *aquam Cinnamomi* ℥j. tandem decoctum hoc benè refrigeratum percoletur per pannum. ſervetur pro uſu.

Hoc decocto utatur Dña Patiens aliquot diebus continuis, manè ad ℥v. vel vj. calidè, ſudando deſuper in lecto, ſi fieri poſſit, vel balneo ad hoc diſpoſito. corroborat hic potus & ſiccat hepar.

Antequàm verò ad prædicta ſudorifera patiens progrediatur, neceſſarium eſt, ut corpus priùs expurgetur. fiet iſtud potiuncula ſequenti.

Potio purgans.

R. *Rhabarbari tuſi optimi* ʒij.
Cinnamomi ʒß.

Ligentur in nodulo lineo, indè adde
Foliorum Senæ ſelectæ ʒß.

Zinziberis

Zingiberis ℨß. vel ℈ij.

His omnibus affundantur

Brodij piſorum ℥iiij.

Vini ℥ij.

Stent per noctem in loco calido, manè fiat colatura cum aliqua expreſſione *Rhabarbari*, ſed non *Senæ*, & tandem in hujus colaturæ ℥iiij. diluatur

Mannæ ℥j.

Fiat potio, manè ebibenda calida, horis quatuor ante prandium.

Purgato ſic corpore, & exin ſudore, uti ſuprà diximus, per aliquot dies elicito, ad pedes tumefactos thermæ Wembdingenſes erũt utiles. Thermæ Wembdingenſes.

Cæterùm cùm nihil utilius inter omnia remedia ad præcavendum hydropem reperiatur Rhabarbaro, ſuadeo idcirco illius uſum continuò, & vinum quidem, ita paratum. Vinum medicatum.

R. *Rhabarbari contuſi* ℥ß.

Cinnamomi ℈ij.

Ligentur in nodulo.

Herbæ Agrimoniæ Mj.

Abſinthij Mß.

Infundantur in *vini* ℔iij.

De quo vino bibatur primus hauſtus ſemper in menſa; affundendo ſemel bis novum vinum, ſed non ſæpius; quia virtus Rhabarbari evaneſcit; interim nodulus ex Rhabarbaro in fine poteſt exprimi. hoc inquam vino medicato Domina Patiens utatur anno integro, tanquam remedio ad confortandum & depurandum hepar præcipuo. Rotulæ in ſchedula deſcriptæ ad eundem finem inſervient, de quibus, ſingulis quoque diebus, manè rotula una, excepto tempore æſtatis, adſumatur.

NB. *Deſcriptio rotularum deeſt: utique factæ ſunt ex ſpeciebus Diacurcumæ, Diarhodon Abbatis, Rhabarbaro &c.*

CONSVLTATIO XIX.

CACHEXIA, ET IMMINENS HYDROPS ANASARCA.

PRO VIRO AMPLISSIMO.

Affectus iſte, ad quem tollendum remedia petit Patiens, malus corporis habitus eſt, ſeu potiùs imminens Hydropis ſpecies illa, quæ Leucophlegmatia & Anaſarca appellatur,

appellatur, atque à Cachexia ſolâ magnitudine tumidioréque corporis mole ſejungitur; ut Cachexiam fientem Hydropem dicere rectè poſſis. de cauſa mali non video eſſe eandem Clariſſimorum Medicorum, quos hactenus in conſilium adhibuit, ſententiam. Quidam Vir doctus colliquationem habitûs corporis & ſanguinis incuſat, cujus Hippocrates, Trallianus, aliíque meminêre: alij vitium renum cauſantur, ejúsque culpâ ſeroſa excrementa in corpore retineri cenſent. Ego colliquationem, quòd ea abſque calore ingenti liquante fieri nequeat, nullam hoc in corpore pertimeſco; de renibus, quod alij rectè monent, fateor illos, ſcilicet dum officium non faciunt ſuum, non minimam hucúſque morbo dediſſe occaſionem: ſanguine enim à ſero non ſatis depurato, quis non intelligat, venas & hepar conſpurcari, totámque corporis molem hebeſcente calore, vitioſæ coctionis labem incurrere? hepar autem ſanguificationis officinam morbo ſecundario ſaltem affectum eſſe, Galeni doctrinam ſecutus omnino exiſtimo, perſuaſum habens, ab ipſius refrigeratione, ſeu potiùs hebetato calore, impuritate & obſtructione, proferri frigidiorem illum pituitoſum albicantem, corporíque benè nutriendo ineptum ſanguinem, quo femur, crura & facies ſuffuſa conſpiciuntur. Cæterùm refrigerationem iſtam hepatis ab evidentibus quoque cauſis, à varijs nimirum vitæ incommodis, laboribus, curis, neglectáque victûs ratione ſenſim contractam, licèt de illis nihil ſcribatur, pro indubitato habeo; quò accedit & hæreditaria illa ad hydropem diſpoſitio, ac proclivitas Viro prudentiſſimo haud immeritò ſuſpecta. Hypoſtaſis urinarum, farinacea Hippocrati dicta, crudum ſuccum in ventriculo collectum, indéque ad renes cum potulento liquore raptum oſtendit, hinc obſtructio, urinæ paucitas, calculi ſuſpicio, quem lumborum gravitas arguit. ſerum putreſcens dum renes averſantur, non attrahitur, indè febricula, ſitíſque moleſta.

[Margin: Colliquatio abſque calore ingenti in corporibus fieri nequit.]

[Margin: Hydropis anaſarcæ cauſæ.]

[Margin: Farinacea hypoſtaſis in urinis in ventriculo colligitur.]

[Margin: Serum putreſcens renes averſantur.]

His ita conſtitutis protinus indicationes curativæ, id eſt, opera in curatione præſtanda eluceſcunt: nempe calor roborandus: obſtructio expedienda: impuritate, ejus causâ, evacuatâ: renes expurgandi: urinæ promovendæ: & qui membra in tumorem attollunt frigidi ſucci, attenuandi, diſſipandíque; quæ omnia viribus conſtantibus in ætate iſta necdum provecta, DEO benignè favente, auxilijs idoneis adhibitis, ſperare magna cum ratione poſſumus. remedia petantur à vivendi normâ, à pharmacia, à chirurgia.

In Diæta meminerit Vir præſtantiſſimus eorum, quæ à Celſo de hydrope ſcripta ſunt *Lib. 3. Cap. 21.* ubi iſthæc verba leguntur: *facilius in ſervis quàm in liberis tollitur hydrops: quia cùm deſiderat famem, ſitim, mille alia tædia, longámque patientiam ferre, promptiùs his ſuccurritur, qui facilè coguntur, quàm quibus inutilis libertas eſt.*

[Margin: Hydrops faciliùs in ſervis quàm liberis tollitur.]

paulò

paulò dein pòſt: *potio non ultrò danda eſt, quàm ut vitam ſuſtineat, optimáque eſt, quæ urinam movet.* Chirurgicis præſidijs hîc nullus hoc tempore eſt locus, quia crura nec veſicatorijs, nec ſcarificationibus, multò minùs cauterijs impreſſis vexanda putaverim. In medicamentis, cùm validis ſatis & crebris evacuationibus ac præparantibus jam ſit uſus, placeret benignum aliquod purgans, cujuſmodi eſt potio ſic paranda.

Potio purgans benigna.

R. *Agarici* ʒij.
Foliorum Senæ ʒiij.
Seminis Aniſi,
Zinziberis ana ʒj.
Radicum Elenij ℈j.
Liquiritiæ ʒß.
Paſſularum ℥ß.
Florum Cordialium ana Pj.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ Boraginis* ad ℥iiij. ſtent per noctem, manè factâ colaturâ, diſſolve
Mannæ ℥ij.
Mellis Roſati laxativi,
Oxymellis ſimplicis ana ℥j.
Rhabarbari pulveriſati vino albo irrorati ʒj.
Miſce fiat potio. adde *aquæ Cinnamomi* ʒß.

Evacuato rurſus corpore hac potione, quoties Medico præſenti ſatis eſſe videbitur, præmiſſo Oxymelle ſimplici ad hepatis obſtructiones referandas, ejuſdémque corroborationem efficacem valde atque utilem omnino experietur chalybis uſum.

Electuarium chalybeatum.

R. *Limaturæ chalybis præparati* ℥vj.
Cinnamomi,
Nucis Moſchatæ ana ʒiij.
Rhabarbari ʒij.
Specierum Aromaticarum Roſatarum ʒvj.
Mellis optimi,
Sacchari ana ℔j. ℥j.
Cum lento igne fiat electuarium.

De iſto electuario ſumat inſtar caſtaneæ, vel ſemi unciam, ſuperbibat unceolam vini abſinthitis, manè horâ quintâ, quieſcat ad ſeptimam uſque, deinde corpus exerceat unâ vel alterâ horâ, ambulando vel alia ratione: veluti ſerram ducendo, vel dolabrâ aſſerem complanando: id fiat biduo; tertio die, intermiſſo electuario, manè inter ſextam & ſeptimam, præmiſſo pauxillo juſculi, hauſtum bibat vini medicati, quod ità ſit paratum.

Vinum medicatum.

R. *Foliorum Senæ* ℥j.
Agarici optimi inciſi & conquaſſati,
Radicum Turpethi craſsè pulveriſati,
Mechoacæ ana ʒiij.
Zinziberis ʒjß.
Radicum Helenij ʒj.
Comarum Abſinthij,
Foliorum Cardui benedicti,
Agrimoniæ ana ℞j.
Omnia ligentur in ſindone, & fiat ſacculus infundendus in vini Neccarici ℔iij. doſis ſit ℥vj.

Si malit catapotia devorare, placent *ex duabus partibus ſpecierum Hieræ picræ ſimplicis, Agarici trochiſcati & Rhabarbari ana parte una* paratæ. Electuarij etiam Chalybeati loco, *pulvere Chalybis* crebrò uti ſoleo, doſi drachmæ unius, additis *Caryophyllorum* quatuor aut quinque granis, bolo cum pauxillo *vino* parato, qui ex cochleari facilè deglutitur; ſuperbibendo *vini abſinthiaci* tria vel quatuor cochlearia, addi poteſt *Pulveris Rhabarbari* ℈j. in ſingulas doſes. Ex uſu pariter eſſe poterit Chalybs in vino Malvatico maceratus, quem Fallopius docet *in Libro de Metallis Cap.19.* aſſumpto chalybe, xxv. vel xxx. diebus, ex uſu erunt medicamenta ciendis urinis idonea, in quibus tria præcipuè mihi probantur. Primum *Spicænardi Indicæ* ʒj. *ſex uncijs ſeri lactis caprini incocta*, ad unam doſin manè jejuno ventre porrigenda. Alterum eſt electuarium quod ſequitur.

Chalybs in vino malvatico maceratus ſecundùm Fallopium.

Serum lactis cum Spica indica.

Electuarium aperiens diureticum, cum vino diuretico.

R. *Conſervæ Abſinthij vulgaris,*
Radicum Pimpinellæ hircinæ Sacccharo conditæ ana ℥iiij.
Specierum Diacurcumæ ʒiij.
Diatrionſantalorum ʒj.
Miſce & cum *Syrupo Byzantino* q. ſ. fiat electuarium inſtar opiatæ.

Cujus ℥ß. manè devoretur, móxque bibantur quatuor vel quinque unciæ vini, in quo fructus Alkekengi radíxque Eryngij ſit infuſa. Tertium aqua acida Spadana vel Schwalbacenſis, non longè à Moguntia ſcaturiens, quæ rectè pota movendis urinis, repurgandis renibus, roborandíſque viſceribus nutritioni dicatis remedium ſorent uti palato gratum, ita & longè convenientiſſimum, corpore priùs rectè exactéque præparato; atque utinam Nobiliſſimo Viro ægro grave non ſit eò ſe conferre, id quod lecticâ vectus facere poſſet haud difficulter atque propter corporis exercitationem non inutiliter. Deus Optimus Maximus auxilijs hiſce gratiam ſuam addere, & clariſſimum Virum priſtinæ valetudini integrè reſtituere dignetur. Monachij 31. Auguſti. 1607.

Acidulæ Spadēſes, Schwalbacenſes.

CON-

CONSULTATIO XX.

TUMOR VENTRIS AC PEDUM.

PRO VIRO CLARISSIMO.

Primum remedium erunt pilulæ A. ſignatæ, quarum dimidia pars devoretur duabus horis ante prandium, duobus diebus continuis, vel alternis, prout alvus exinde largiùs parciúsque fluxerit. Alterum erit liquor B. ſignatus cujus tertia pars manè bibenda, affuſo jure pulli modico. Tribus his potionibus triduo aſſumptis, purgandum corpus ſequenti pharmaco, quod tertium erit remedium C. ſignatum, ſummo manè id ebibendum uno hauſtu, & ſomno rurſus indulgendum horulæ unius ſpatio. Interpoſita diei unius quiete, vena baſilica dextri brachij ſecanda, mittendúmq; ſanguinis tantũ, quantũ præſenti Medico videbitur; eritque id quartum remedium. Quintum ſit repetitio purgantis potionis C. poſt dies aliquot viribus conceſſos. Sextum ſacculus purgans D. infundendus vini albi ℔iij. de quo hauſtulus bibatur, manè poſt aſſumptum juſculum, ídque continuetur pro ratione virium & vacuationis.

Hæc auxilia prudenter adhibita Viro Clariſſimo plurimùm profutura ſpero ac confido, ſi modò conveniens accuratáque accedat vivendi ratio, in qua cavenda inprimis repletio ac crapula, deinde cibi omnes ex lacte parati, caſeus item, omniáque paſtilia ac frumentacea, olera, legumina, fructus horarij, potus aquæ, cereviſiæ, muſti, cæterorúmque vinorum dulcium.

℞. *Specierum Hieræ ſimplicis* ℈iiij.
Eleſcophi ℈ß.
Aloës Soccotrinæ ℈iß.
Miſce & cum *aqua Cinnamomi* fiant pilulæ N°. xxx. deaurentur ad duas doſes. A.

℞. *Mellis Roſati ſimplicis*,
Oxymellis ſimplicis ana ℥iij.
Miſce ad tres doſes. B.

℞. *Agarici optimi* ʒiß. — Potio purgans.
Foliorum Senæ electæ ʒijß.
Seminis Aniſi,
Zinziberis ana ℈ij.

Radicum Elenij ℈j.
Cichorij ʒiß.
Liquiritiæ ʒß.
Paſſularum ℥ß.

Decoquantur in *aquæ fontis* ℥vij. ad tertiæ partis conſumptionem. ſtent per noctem. manè fiat colatura, in qua diſſolve
Mannæ ℥ij.
Mellis Roſati laxativi,
Oxymellis ſimplicis ana ℥j.
Pulveris Rhabarbari aquâ Cinnamomi irrorati ʒj.

Miſce fiat potio. C.

Vinum medicatum.

R. *Foliorum Senæ electæ* ℥j.
Agarici optimi,
Radicum Turpethi albiſſimi,
Mechoacannæ ana ʒiij.
Zinziberis ʒiß.
Cichorij ʒß.
Elenij ʒj.
Herbarum Cardui benedicti,
Agrimoniæ,
Comarum Abſinthij ana Pj.

Inciſis incidendis, omnia ligentur in ſindone & fiat puppa.

CONSULTATIO XXI.

NIMIUS HÆMORRHOIDUM FLUXUS, ET EXIN IMMINENS HYDROPS.

PRO

REVERENDO QUODAM RELIGIOSO.

CUm Reverendi Patris N. corpus initio quadam cachexiâ, ac manifeſtâ caloris nativi inopiâ ; viſcera verò, ac jecur præcipuè obſtructionibus, ſeu impuritatibus magnis laboret, hæc verò mala à ſanguinis jactura, quam per hæmorrhoidum fluxum immodicum hactenus fecit, facitque indies; idcirco in hanc curam ante omnia incumbendum eſſe

eſſe arbitramur, ut venarum iſtarum hæmorrhagia omnino ſiſtatur; deinde viſcera deobſtruantur, expurgentúrque; coctionúmque tam primæ quàm ſecundæ vitia reſtaurato (quantùm fieri poteſt) calore, emendentur.

Compeſci hæmorrhoidum fluxus non poterit, niſi ventris excrementa mollia, excretioníque idonea magis reddantur: conſequetur hoc (uti ſperamus) Reverendus Pater victûs ratione convenienti, in qua obſervanda erunt, quæ hîc ſequuntur. Panis è farina conſtet à furfuribus non planè mundata. Carnibus elixis ſæpius, aſſis rariùs utendum. Butyri recentis non ſaliti in prima menſa aliquid guſtetur. Hordei ad putrilaginem cocti cremor lentus valde in prandio vel cœna quotidie offeratur. Convenientia quoque fuerint Spinachia vocata cum jure carnium, pruna item Vngarica dulcia in aqua cum ſaccharo decocta, uti & uvæ paſſæ majores, quas Zibebas vocant, abjectis acinis; horum unum vel alterum quotidie reliquis cibis præmittendum. Potus ſit vinum Neccaricum album, maturum non auſterum, non diureticum. contulerit autem fortè pluſculum in menſa bibere, quo cibus humectatus ad faciliorem deſcenſum fiat aptior, id quod tamen cautè ac cum grano ſalis (ut dici ſolet) accipiendum. Conſultum præterea foret poſthac non modò alvi excrementa non cohibere, ut hactenus cum gravi valetudinis detrimento fecit, ſed conferendo ſe ad locum, ibíque aliquamdiu ſedendo naturam quamvis non ſtimulatam, quodammodo ad excretionem invitare. Curæ omnes graves ac ſtudia ſeria omittenda, atque ex adverſo, quæ recreare, oblectaréque animum queant, omnino ſunt imperanda.

Hæmorrhoidum fluxus non compeſcitur, niſi alvi excrementa ſint mollia, excretioníque idonea magis reddantur.

Expedit ſingulis diebus naturam quamvis non ſtimulatam ad excretionem invitare.

Inter medicamenta ſanguinis fluxum ſiſtentia probamus pulverem ex Aloë, Thure, ſanguine Draconis, Terra Lemnia, radicibus Conſolidæ majoris ac pilis leporinis, quo poſt omnem dejectionem utatur, ſicut à nobis Chirurgus eſt doctus. Si ſatis validus is non fuerit, Crocus Martis vocatus addatur, vel is ſolus imponatur: quòd ſi neque hunc ſatis efficacem experiatur, ad Vitriolum calcinatum (Calchantum Chymici vocant) confugiatur, ac tandem urgente neceſſitate ad ignem. verùm ut Hippocrates monet, ferro candenti ita urendæ ſunt, ut eas non contingas.

Pulvis ad fluxum hæmorrhoidalẽ.

Venæ hæmorrhoidales quomodo inurendæ?

Quæ intra corpus ad ſanguinis hunc fluxum aſtringendum aſſumi ſolent, omnia ferè habemus ſuſpecta, Nuce Moſchata excepta, quæ aſſa interdũ locum habere poterit, corpore nõnihil priùs purgato. Ad reliqua auxilia quod attinet, placeret primo loco hoc purgãs.

Adſtringentia interna ſuſpecta.

℞. *Electuarij Diacatholici* ℥vj.
Pulveris Rhabarbari electi ʒj
Miſce fiat bolus aſſumendus quatuor horis ante prandium.

Inter

Inter præparantia ſuſpecta ſunt, quæ nimiùm calefaciunt, nimiúmque aperiunt. tutum & fortè ſatis fuerit juſculum pipionis, vel pulli gallinacei, in quo folia & flores Boraginis & Bugloſſi, parùm item Agrimoniæ, atque aliquot folia Menthæ efferbuerint. His quater aut quinquies horâ matutinâ aſſumptis ſuperiùs præſcriptus bolus rurſus offerri, ac deinde idem repeti juſculum ſex vel ſeptem dies, ac poſtremò, quæ ſequitur, potio aſſumi poterit.

Potio purgans corroborans.

R. *Rhabarbari electi, pulveriſati & vino albo irrorati* ℥j.

Affunde *aquæ Plantaginis* ℥iiij. ſtent in loco tepido una nocte, manè colentur cum expreſſione, adde

Mannæ ℥iß.

Pulveris Rhabarbari ℈j.

Myrobalanorum citrinarum ℈ß.

Syrupi Myrtini ℥ß.

Miſce fiat hauſtus manè porrigendus.

Electuarium corroborans adſtringens.

His peractis quieſcat aliquot dies,ſed octavo quoque die ℨj. Rhabarbari cum paſſulis præmanſam devoret. Interea roborantia quoque ex uſu erunt, præcipuè verò electuarium ex conſerva Roſarum & florum Roriſmarini cum ſpeciebus Diarhodon Abbatis & Nuce Moſchata paratum. quòd ſi hæc omnia efficacia ſatis non fuerint, de majoribus præſidijs cogitabitur. Hæc interim boni conſulantur. Monachij 19. Aprilis. 1596.

CONSULTATIO XXII.

HYDROPS IN VIRGINE DELICATA.

Quandoquidem Ægrota, magna & multa remedia, quæ morbus iſte contumax & diuturnus requirit, ferre non poteſt; ſuavia quædam, & pauca conſulo. Primum eſt tale.

Purgans ſuave in hydrope.

R. *Succi Ireos per reſidentiam depurati,*

Mellis Roſati ana ℨvj.

Miſce.

Dividatur in tres partes, quarum una manè in brodij gallinæ cochlearibus quinque, vel ſex diſſoluta aſſumatur, ſuperbibendo poſteà elapſis tribus horis brodium gallinæ optimum; hoc inquam

aſſumet

aſſumet ægra, niſi forſan priùs alvum habeat nimis citam; quo in caſu purgantia iſta omittenda erunt.

Quòd ſi Patiens hanc potiunculam ferre poſſit, intra ſex, vel ſeptem dies alteram, atque iterum exſpectatis tot diebus tertiam partem hujus potiunculæ exhaurire poterit. ſin verò nec hoc medicamen ſuſtineat, quod tamen vix mihi perſuadeo, totum negotium committendum erit DEO.

Cæterùm cibis utatur non multùm potulentis, utpote avibus ſylveſtribus, gallis, caponibus &c. à potu, quantùm poteſt, abſtineat; in menſa nullo alio quàm vino diluto cum aqua ſequenti utatur. Cibi non ſint nimis potulēti.

Aqua pro diluendo vino in hydrope

R. *Calami aromatici* ℥ß.
Cinnamomi electi ℥iß.
Radicum Apij,
Aſparagi,
Rubiæ tinctorum,
Eryngij,
Seminum Aniſi,
Fœniculi ana ℥ij.
Florum Roriſmarini ℥j.
Omnia craſsè inciſa, & modicè contuſa miſce ad chartam, parentur in quintuplo, & dentur in chartis diſtinctis.

Quarum una infundatur in menſura una & ſemis, & coquatur ad tertiæ partis conſumptionem.

Alterum eſt ſyrupus, cujus ſingulis diebus quàm diu ſuppetit, exceptis illis, quibus præcedenti purgante utitur, cochlearia duo vel tria accipiat.

R. *Syrupi Byzantini*, Syrupus aperiens.
De 5. radicibus,
Acetoſæ ana ℥iiijß.

Præterea manè, & duabus horis ante cœnam unam ex his rotulis deglutiat pro corroboratione.

R. *Specierum aromaticarum Roſatarum* ℥iij. Rotulæ.
Sacchar. q. ſ. fiant Rotalæ.

Venter ſequenti oleo ſingulis diebus bis manè & veſperi ante cœnam benè inungatur, ita ut unctuoſus appareat, quo facto pulvis ſequens copiosè inſpergatur.

R. *Olei Liliorum*, Inunctio, unà cum inſperſione pulveris.
Anethi ana ℥ijß.
Miſce.
R. *Seminis Aniſi*,
Baccarum Lauri ana ℥ij
Miſce fiat pulvis.

Lavationes. Quòd ſi ventrem exteriùs ſubinde lavare placeat, fiat hoc cum ſpongia vino intincta, in quo Salvia, Chamomilla, Abſinthium &c. fuerint incocta. Monachij 26. Martij. 1583.

CONSULTATIO XXIII.

HYDROPIS PRINCIPIUM, ET HEPATIS OBSTRUCTIONES.

PRO

VIRO QUODAM HONESTO.

JOannes Mayr judex in Brach principio Hydropis laborans multis adhibitis medicamentis, meliùs valere cœpit. tandem ad obſtructionum reliquias tollendas feliciter eſt uſus his pilulis & vino purgante quarto quoq; die interpoſito, convaluit & ſanus vivit. 1608.

Pilulæ chalybeatæ.

℞. *Limaturæ Chalybis cum aceto præparati* ℥ij.
Rhabarbari electi & jamjam pulveriſati ℥ß.
Cum *Oxymelle Scyllitico* formētur pilulæ N°. vij. pro ʒj.

Vinum medicatum purgans.

℞. *Foliorum Senæ* ℥vß.
Agarici crudi conquaſſati ʒiß.
Zingiberis inciſi ʒß.
Comarum Abſinthij,
Agrimoniæ ana Pj.
Fiat ſacculus, paretur in ſextuplo.

CONSULTATIO XXIV.

HYDROPS IMMINENS EX INTEMPERIE FRIGIDA HEPATIS ET LIENIS.

PRO

FOEMINA HONESTA.

*

Victûs ratio.

HAbet Dominatio Veſtra obſtructiones magnas, hepar & ſplen intemperie frigida laborant, atque ad hydropem ſunt diſpoſita. Quapropter ab aqua abſtineat &

neat & à cereviſia, vino utatur Neccarico ſed pauco; copioſus enim potus vehemẽter nocet. Inter cibos vitet omnia frixa, farinacea, paſtilia, caſeum, ex ovis albumen abijciat, ſolo vitello recenti contenta. venæ ſectiones non proſunt. poſt menſam quieſcat non laboret, nec ambulet, donec concoctio in ventriculo fuerit peracta, exercitium verò corporis ante prandium & cœnam inſtituatur.

Ante omnia corpus ritè expurgetur vino medicato ſequenti. ſumantur herbæ & ſimplicia in nodulo ligata, indantur vaſi ſeu ollæ vitreatæ, vinúmque affundatur abſinthiacum ad menſuram unam & dimidiam, ebulliant ſimul aliquamdiu, poſtea in cellam vinariam reponantur. de hoc vino manè horâ octavâ bonus hauſtus fiat præaſſumpto juſculo. continuet hunc potum ſingulis diebus, donec vinum ſit abſumptum; quòd ſi verò nimiùm purgare videretur, alternis diebus tantùm, vel prout vires id ferant, aſſumatur. corpore ita purgato, electuarium poſtea chalybeatum devoret pondere ʒv. pro vice vel ℥ß. manè horâ ſextâ ſuperbibendo cochlearia duo vini malvatici. Dein exerceat ſe Patiens ambulatione ad bonam defatigationem, debito tamen moderamine obſervato, per horam unam ſemis, vel ſi ita videbitur per horam unicam tantùm. Hoc per octiduum ita continuato, niſi diarrhœa adſit, vinum purgans denuo præparetur, bibatúrq; per dies duos, omiſſo electuario. poſt vinum iterum per dies decem electuario utatur, & vinum undecimo & duodecimo die repetat; tandémque electuarium abſumat totum; niſi interea alvi fluxus aliquis methodum turbaret, de qua re certior factus ego, alia conſulam. Therapia.

NB. *Vinum medicatum uti nec electuarium ſcriptum reperi. illud tamen ſcio conſtitiſſe ex Sena, cum correctivis & aperientibus; hoc verò ordinarium fuiſſe, alibi ſæpius deſcriptum, non dubito.*

CONSULTATIO XXV.

HYDROPS.

PRO

REVERENDO ALIQUO RELIGIOSO.

PRæter illa, quæ de Reverendi Patris valetudine à me nuper ſunt ſcripta, paulò ampliùs de ſingularibus nonnullis informatus, hæc quæ ſequuntur auxilia propono. Primùm parciùs bibere omnino debebit, quòd ſola potûs paucitate & abſtinentiâ morbum hunc, alijs remedijs fruſtra adhibitis, evictum ac ſublatum aliquando non modò in Benivenij obſervationibus legerim, verùm etiam ex ore Nobiliſſimæ Ma- Potûs abſtinentia hydropicos curat.

tronæ Pariſienſis Añæ de Lygni cognoverim, quæ hydrope laborans, poſt remedia quàm plurima ſine fructu uſurpata, per abſtinentiam à potu ferè per totum annum, convaluit. Inter purgantia placeret in hoc caſu illud Gulielmi Placentini, cujus in ſcripto meo feci mentionem, porrigendum una hebdomade ſemel atque iterum, ſi vires ferant, ſed additâ Mannâ hunc in modum.

Purgans potio Placentini.

R. *Seminum Scariolæ,*
Fœniculi,
Radicum Petroſelini ana ℥i.
Coque in ſ. q. *aquæ* ad ℥iijß.
His infunde per noctem
Rhabarbari electi vino albo irrorati ℨij.
Manè colentur, addendo
Mannæ ℥ij.
Oxymellis compoſiti ℥j.
Miſce.

Si vinum medicatum malit, hoc, quod ſequitur, probo; ita tamen, ut in ſeptimana vel ſemel prædicta potione utatur.

Vinum medicatum.

R. *Agarici optimi non præparati* ℨij.
Rhabarbari electi ℨj.
Foliorum Senæ electæ ℨiij.
Radicis Ebuli recentis ℨvj.
Herbæ Cardui benedicti,
Comarum Abſinthij ana Pj.
Excipiantur ſindone, fiat ſacculus, infundendus in *vini albi* ℥xx. de quo manè ſumat ℥v. poſt aſſumptum priùs juſculum caponis, cui ovi vitellus conquaſſatus cum momento aceti ſit incoctus.

In diureticis placet vinum ſic paratum.

Vinum diureticum.

R. *Granorum Alkekengi* ℥j.
Juniperi ℨij.
Corticum Tamariſci ℥ß.
Inciſis & in ſindone ligatis, affunde *vini albi* ℥xxij. bibat manè quatuor horis ante prandium ℥v. vel vj.

Aliàs plura ubi cognovero, quo cum ſucceſſu iſta exhibita fuerint. Monachij 9. Auguſti. 1606.

CON-

CONSULTATIO XXVI.

EVAPORATIONES, PRÆCIPUE INCIPIENTE VENTRICULI COCTIONE, VELUTI HYPOCHONDRIACÆ AFFECTIONIS PRÆLUDIA.

PRO

VIRO PERILLUSTRI.

Ad Medicum quendam Clariſsimum.

Cogitavi rurſus diligenter de evaporationibus illis, quæ Illuſtrem Dominum noſtrum denuo affligere cœperunt. rectè autem ſentit Excellentia Tua, cùm ſymptoma hoc melancholicum vocat, cùm id melancholiæ hypochondriacæ rudimentum & quoddam quaſi præludium ſit, à ventriculi imbecillitate, atque meſenterij intemperie paulò calidiore enatum: dubium enim apud me non eſt, quin ventriculus fortaſſis naturâ frigidior, maláque victûs ratione paulatim laxior, ac debilior factus, in iſta convaleſcentia, ſubinde pituitæ, ac crudi humoris aliquid colligat; quod à meſaraicis attractum, dum corrigi nequit, aſſetur ſeu aduratur, vaporibúsque illis materiam & occaſionem præbeat; id quod de ipſo chylo dicendum eſt, intempeſtiviùs præſertim à jecoris & meſenterij calore, rapto. Non opus autem videtur hoc argumentis novis oſtendere; cùm meminerim, jam pridem ambos in hanc ſententiam veniſſe, in eáque manſiſſe hactenus; quum non ſemel manifeſtas aduſtiones in lotio obſervaremus, evaporatióque illa in ipſa prima coctione, vel ſub finem ejus viſa ſit excitari.

Melancholiæ hypochondriacæ præludium.

Vaporum cauſæ efficiétes & materiales.

Ad remedia igitur quod attinet, operam inprimis ſemper dandam eſſe judicavimus, ut omnia tam alimenta, quàm medicamenta, quantùm fieri poſſet, eſſent temperata: quam ſententiam adhuc conſtanter teneo, planéque exiſtimo, malum ipſum leve eſſe, lapſúmque hunc viſcerum ad nativam temperaturam haud difficulter reduci poſſe.

Quæ autem ex uſu fore hoc tempore arbitror, hæc ferè ſunt. Primùm vitetur vinum colore fulvum potens & vetus, eligatur Neccaricum præteriti anni, quod rectè dici queat oligophorum ſeu non potens, non tamen acerbum & immaturum. Vitentur aromata, acetum, acria & vaporoſa omnia. Cibi ſint euchymi, uti ſolent.

Victûs ratio.

 Inſtituatur

Inſtituatur ante cibum moderatum exercitium, quale eſſe poſſet deambulatio per aulam illam, ante conclave Illuſtris Domini, vel etiam ſub libero cœlo, modò id ſerenum ſit & tranquillum. Alvus moveatur benedicto aliquo medicamento, quod ſine magno calore ventriculum & primas vias poſſit extergere; placéntque inter omnia alia Paſſulæ laxativæ hunc ferè in modum paratæ.

Paſſulæ laxativæ retorridam melancholiam & pituitam purgantes.

R. *Florum Bugloſſi,*
Boraginis ana ℈ij.
Radicum Polypodij querni,
Bugloſſi,
Cichorij ana ℥ß.
Foliorum Senæ ſelectæ ℥ij.
Seminis Aniſi ℥ij.
Cinnamomi electi ℈ij.
Galangæ,
Zinziberis ana ℈j.
Omnia decoquantur in *aquæ fontanæ* ℔ijß. ad mediæ partis conſumptionem, deinde relinquantur per noctem in loco tepido, manè fiat colatura cum modica expreſſione, cui adde *ſacchari* ℥ix. coquendo ad formam Julapij, dein impone
Paſſularum lotarum ℥vj.
Miſce & reponantur in fictili vaſe.

Harum paſſularum cochlearia duo vel tria, unà cum brodio ſeu Julapio ſuo aſſumpta, pituitam & retorridam melancholiam ex primis venis, in quibus potiſſimùm illuviei hujus ſentinam conſtituimus, commodiſſimè repurgabunt; præſertim ſi ſemel atque iterum ex intervallo, quod & operatio & tolerantia docebit, repetantur. exhibendæ erunt hæ paſſulæ ſtatim ante prandium, omninóque juris caponis vel pulli ſcutella ſuperbibenda.

Syrupus de Cichorio cum Rhabarbaro incomparabilis ad hepatis & meſenterij correctionem.

Evacuato hac ratione corpore, ad hepatis & meſenterij correctionem, putaverim ego incomparabilem eſſe Syrupum de Cichorio cum Rhabarbaro, cujus ℥iß. cum juſculo pulli, aliquot diebus continuis, magno cum fructu propinabitur, horâ matutinâ conſuetâ; nihílque occurrit in hoc corpore ad præcavendam veram melancholiam hypochondriacam efficacius & præſentius. quòd ſi moleſtiam aliquam medicamenti hujus aſſumptio Illuſtris Domini palato afferat, cum utilitate ſua abunde compenſabit. Suadet quidam vir doctus in ſimili caſu, ut cùm concoctio fieri incipit, parùm aquæ bibatur: indè enim impediri putat effumationem & cibi aſſationem: quod remedium Illuſtris Dominus tentare poſſet, præſertim ſi aquæ modicum ſeminis Coriandri præparati incoctum fuerit.

Aquæ potus, cùm concoctio fieri incipit, effumationem & aſſationem cibi prohibet.

Hæc

Hæc ſunt, Vir Doctiſſime, quæ mihi ad ſymptomatis propoſiti propulſationem occurrunt, quod, ut ſuprà dixi, leve certè eſt, faciléque tandem vel ſola victûs ratione miteſcet ſeu evaneſcet potiùs. Vale feliciter 30. Octobris. 1585.

CONSULTATIO XXVII.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA.

PRO

VIRO NOBILISSIMO.

Quæ de adverſa valetudine Nobilisſimi Viri accepi, ea Melancholiam Hypochondriacam arguunt, malum non ægros tantùm, ſed & ipſos Medicos ſubinde pervicaciâ ſuâ fatigans. Quid de eo Galenus noſter, quid Neoterici ſentiant Medici, otioſi hominis eſſet hoc loco commemorare. Ego longa obſervatione didici non unam, eandémque eſſe vitii hujus faciem, non eadem ſymptomata, ſed neque ſedem malè affectam ſemper eandem. Duo ferè communia habent, qui melancholiâ conflictantur, triſtitiam nempe & metum, ſummum nunc metuunt diem, nunc optant. Relatum mihi eſt, nobilem Dominum ægrotum ita interdum triſtari, ut & lachrymas ſubinde fundat, mox verò mœrore exemptum ad priſtinam alacritatem redire. Contingit hoc Phantaſiæ errore, quæ cùm objectis intelligibilibus, ac memorabilibus quædam quaſi janua ſit ad rationem, & memoriam, mirum non eſt cur primùm ac præcipuè iſto offendatur. Deinde ſi verum eſt, anteriorem cerebri partem poſticâ humidiorem eſſe, in eaque ſede imaginationem potiſſimùm vigere, nequaquam ineptè philoſophari videntur, qui ipſam recipiendæ melancholiæ malignitati inprimis opportunam crediderunt. Reliqua hypochondriacis familiaria ſymptomata ſunt vertigo, capitis dolor, aurium ſonitus, ructus acidus, vomitus pituitæ bili permixtæ, ſalivæ copioſæ in os aſſurgentis ſputatio, præcordiorum ad ſuperiora revulſio, ac præter gravitatem diaphragmatis à materia irruente, compreſſio, ſpirandi difficultas, ventris adſtrictio, cordis palpitatio, rugitus, atque à flatibus perturbatio; dolor item ad ſcapulas, dum ventriculus concoquit, qui peracta coctione plerumque diſparet. Ex iſta malorum iliade, præter mœrorem, & metum, duo præcipuè experitur Dominus Patiens, vertiginoſam ſcilicet capitis diſpoſitionem, ructus, ac flatus. De prioris ſymptomatis cauſa ſic ſtatuo. In Hypochondriaca Melancholia Diocles, referente Galeno

Melancholia hypochondriaca nõ ęgros tantùm, ſed & Medicos fatigat.

Melancholiæ hypochondriacæ diverſa ſæpe facies.

Phantaſiæ errores.

Anterior pars cerebri recipiendæ melancholiæ opportuna magis.

Hypochondriacorum ſymptomata.

te Galeno, venas illas, quæ ex ventriculo alimentum recipiunt, inflammatione laborare cenſebat: id ſi de vera phlegmone dicatur, haud immeritò reprehendas: ſed inflammationis nomine intemperies calida intelligenda, à qua dum epulæ in ventriculo laborioſè coquuntur, vapores magnâ copiâ elevati, caput implent, ac ſpiritus in gyrum rotant, quæ vertiginis cauſa cenſenda eſt. De altero ſymptomate, de flatuum ſcilicet procreatione, rectè ſentiunt, qui ipſos calore fieri ſcribunt, ſed pauciore, ac minùs valido, quàm qui cibis probè conficiendis,nec non pituitæ ac melancholico ſucco abſumendo ſit ſatis. Non parùm etiam ad flatus excitandos facit ventriculi fluctuatio, alimenta præhumida, ac potum copioſum ſequi ſolita; per quam impedita ingeſtorum comprehenſione, coctionem & tardam, & infelicem fieri eſt neceſſe. ſed hæc nota ſunt & longiori explicatione non indigent; quâ verò ratione ſpiritibus animalibus oblæſis,phantaſia, & tandem mens ipſa depravatè moveri queat, id ſanè obvium omnibus, & clarum ita non eſt, ut altiori indagine opus non habeat. Nobis in præſenti ſatis ac pro indubitato ſit, ſpiritus lumine ſuo, quod à natura poſſident, egêre, ac proinde obſcurato eorum ſplendore noxam ingentem rectricibus facultatibus adferre: pluribus hac de re diſputare non eſt neceſſe, cùm non accurata ejus diſquiſitio,ſed curatio à nobis flagitetur, quam mox ſubjiciemus, ubi de loco affecto ſententiam noſtram paucis expoſuerimus.

Locus affectus in hypochondriacis.

Vertiginis & flatuum cauſa.

Spiritus lumine ſuo, quod à natura habent, egent; quo obſcurato, ingens noxa rectricibus facultatibus infertur.

Solent in Affectu Hypochondriaco nunc ventriculus nunc os ejus inferius,quod pylorum vocant, nunc & meſenterii venæ incuſari, ego non unam vel duas partes, ſed omnes illas malè affici poſſe perſuaſum habeo, in quibus niger ſuccus ac melancholica fæx aggregari, effervefcere, atque, ut cum Hippocrate loquar, fermentari queat. In nobili iſto Viro materiam peccantem pylori venis impactam ac coërcitam, uti ſanè in alijs malis ſolet, non eſſe, inter alias artis conjecturas, vel una ſitis abſentia patefacit; alius igitur locus ipſi aſſignandus,quem ego præcipuè Splenem eſſe ex eo colligo, quòd & olim ipſum ex Splene vehementer laboràſſe intelligam. In ejus igitur viſceris cavo humores craſſos, fæculentos, melancholicam nempe impuritatem contineri, atque indè totam naturalis facultatis œconomiam non mediocriter perturbari non dubito; ſicuti ab ea quoque (ut ad curationem accedam) intentiones curativas, quas vocant, deſumendas perſuaſum habeo; materia nimirum attenuanda, atque ſic ad exitum præparata, per idonea auxilia è corpore educenda; calor dein partis, ſi quis præter naturam ſupererit, remittendus; quæ fortè uſque adeò difficile non foret præſtare, ſi & remedia aliquamdiu patienter admiſerit Æger, & vivendi ratio accurata, ſine qua fructum planè nullum ſperare licebit, acceſſerit.

Splen ſæpe cauſa omnium malorum.

In Diæta

In Diæta moneo, ut parcè edatur, bibatúrque; vitetur ciborum varietas, qui in corpore, ut Hippocrates docet, ſeditionem faciunt; non deguſtentur lacticinia; caſeus, frumentacea, legumina, piſces, & carnes ſalitæ; excludantur à menſa fructus omnes, præter uvas penſiles, & paſſas, Amygdalas, Nucleos Pineos aquâ Roſarum infuſos, Piſtachia, ſed & horum uſus moderatus eſto.

Ciborum varietas ſeditionem in corpore facit.

Ratio corpus evacuandi ex hiſce remediorum formulis, quas meis ægris felici cum ſucceſſu porrigere ſoleo, patebit. Minorativi (quod vocant) loco, hoc aſſumatur.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis* ℈ij.
Aloës Roſatæ ℈j.
Specierum Eleſcophi ℈ß.
Cum *aquæ Cinnamomi* guttis aliquot fiat bolus nebulis involvendus.

Duabus ante prandium horis devorandus, ſi parcior indè ſequetur egeſtio, repetatur poſtridie, vel clyſter iſte infundatur.

Clyſter è capite vervecis in hypochondriacis.

R. *Caput Vervecis*,
Florum Chamæmeli,
Meliloti,
Anethi ana Mj.
Seminis Carvi,
Radicis Althææ ana ℥ij.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℔j. in colatura diſſolve
Benedictæ laxativæ ℥ß.
Sacchari rubei ℥ij.
Olei Amygdalarum amararum,
Liliorum alborum,
Chamæmeli ana ℥j.
Salis ℈ij.
Miſce fiat enema.

Quod impoſterum quoque ſubinde injeciſſe profuerit. In ſequens triduum apozema propinetur ſic paratum.

Apozema ſpleneticum laxans aperiens.

R. *Radicum Cichorij*,
Bugloſſi ana ℥vj.
Polypodij querni ℥ß.
Liquiritiæ ℥j.
Foliorum Boraginis,
Bugloſſi ana Mß.
Capillorum Veneris,
Meliſſæ,
Ceterach ana Mß.
Foliorum Senæ ſelectæ ℥iiiß.

Florum Boraginis,
Bugloſſi,
Anthos ana P ij.
Seminum Citri,
Fœniculi,
Aniſi,
Coriandri præparati ana ℈ j.
Paſſularum ℥ iß.
Decoquantur l. a. in ſ. q. *aquæ fontanæ* ad ℥ xv. in colatura dilue
Syrupi è Fumaria,
è Lupulis,
è Corticibus Citri ana ℥ j.
Miſce.

Hoc aſſumpto apozemate, laudo, quod ſequitur, purgans.

Potio purgans.

R. *Foliorum Senæ electæ* ʒ ijß.
Agarici præparati,
Radicum Mechoacæ,
Polypodij ana ʒ j.
Corticum radicum Hellebori nigri ℈ ij.
Seminis Aniſi,
Zinziberis ana ℈ j.
Macis,
Cinnamomi ana grana vj.
Florum Cordialium,
Nymphææ ana P j.
Paſſularum ℥ ß.
Pulpæ Tamarindorum ʒ j.
Decoquantur in ℥ ix. *aquæ Boraginis* ad tertiæ partis conſumptionem. poſt horas 12. colentur, adde
Mannæ ℥ ij.
Mellis Roſati laxativi ʒ x.
Oxymellis ſimplicis ʒ vj.
Miſce fiat potio.

His peractis ad aliud paulò efficacius apozema pergendum, quod hunc in modum ſe habeat.

Apozema purgans melancholiam.

R. *Foliorum Senæ electæ* ʒ vj.
Epithymi,
Polypodij quercini ana ℥ ß.
Corticum Hellebori nigri ʒ iij.
Seminum Citri,
Aniſi,

Fœniculi

Fœniculi ana ʒß

Florum Nymphææ,

Violarum,

Boraginis,

Bugloſſi ana Pj.

Macis,

Cinnamomi ana ℈j.

Zinziberis ʒj.

Herbarum Boraginis,

Ceterach ana Mj.

Meliſſæ Mß.

Paſſularum majorum ℥ij.

Decoquantur in ſ. q. *aquæ Boraginis* ad ℔j. colatura dulcoretur *Syrupi Violarum*, *è corticibus Citri ana* ℥iß.

Hoc tribus diebus continuis, vel alternis aſſumpto apozemate, ac ſi videatur, unius diei quiete interpoſita, ſuadeo Extractũ Radicum Hellebori nigri, hoc eſt medicamentum purgans ex Hellebori nigri radicibus more recentiorum ſic parandum.

R. *Corticum radicum Veratri nigri veri quantum placet.*

Super hos funde *aquæ Aniſi*, cum qua oleum Aniſi ſit extractum, oleo priùs remoto, leni calore ebulliant, deinde ſtent in vaſe vitreo per noctem, hanc aquam colatam affunde in vaſculum, & rurſum affunde tepidam, & modicè aliquamdiu efferveat, ſpumâ ſemper abjectâ, atque ita ſexies vel novies permutando aquam, donec radices nihil ferè amaritudinis reſipiant, tandem omnes aquas unà in vas fictile vitreatum confuſas ad mellis ſpiſſitudinem decoque, & rude ſubinde agita, ne ſuccus aduratur, & tunc pro ℔i radicum inſperge Maſtiches ʒij; nec rude commovere ceſſa, donec ſuccus ſatis condenſatus fuerit, ut pilulæ ex eo formari poſſint. Doſis ſit ℈ß. vel paulò amplior. Corpore ſic purgato aliam cònſulo therapiam, eàmque magnam ita vocatam, non quia vires exhauriat, aut repentè naturam alteret; ſed quia morbos magnos paulatim curat, quod enim paulatim fit, tutum eſt, ſi Hippocrati credimus. Ea ſit potatio aquæ medicatæ de Tettucio nuncupatæ, quam flatibus diſcutiendis ac reliquijs vitioſorum humorum per alvum eluendis, mirè accommodatam fore confido. Hoc remedio Sereniſſimus Bavariæ Dux Guilielmus ab antiquo, & penè deſperato capitis dolore, quem partium naturalium impuritas, ac colluvies inexhauſta fovebat, poſt alia quam plurima cum fructu perexiguo tentata (DEO adjuvante) convaluit.

Hellebori nigri extractum peculiare.

Aqua Tettuciana.

Tertium auxilium eſt Chalybis limatura ignita & aceto acerrimo extincta, deinde ſuper lapide Porphyrite lævigata, ſepties opus re-

Chalybis uſus.

opus repetendo,ejus ℨj additis aliquot granis pulveris Caryophyllorũ bolo indè formato,ac nebulis involuto manè exhibenda,exercitium imperandum duarum (plùs minùs) horarum. Potentiſſimè veteres obſtructiones referat,morbóſque indè progenitos ſanat, ut ſæpiſſimè magno cum ſucceſſu ſum expertus. Quod reliquum eſt ad obſtructiones plenè expediendas, calorem præter naturam contemperandum, partéſque omnes nutritioni dicatas bellè recreandas, confirmandáſque placeret omnium maximè aqua medicata naturalis, ſapore acida,gratiſſima palato, quales quam plurimi fontes Germaniæ noſtræ fundunt,qui vel ſucco, vel ſpiritu Vitrioli, Aluminis, & Nitri imbuti cenſentur. In his principatum ferè obtinent Schwalbacenſes prope Moguntiam, & Spadana non procul Leodio ſcaturiens. Sed vereor,ut Nobilis Vir ad regiones tam procul à patria diſſitas conferre ſe velit,ac poſſit.

Acidulæ Spadenſes, & Schwalbacenſes.

CONSULTATIO XXVIII.

HYPOCHONDRIACA ALIAQUE GRAVIORA,QUÆ IPSUS MERMANNUS PERPESSUS EST, SYMPTOMATA.

Ad Henricum Boterum Medicum.

AFflictiſſima valetudo mea fecit, ut ſeriùs ad humaniſſimas litteras tuas reſpondeam,idque nunc breviùs faciam,quàm vellem,noſtráque amicitia poſtularet. Hæreo in eodem luto, hoc eſt, vetere morbo meo conflictor miſerè, ptyaliſmus ille, ac reſpirandi difficultas, flatus hypochondriaci,calculus, ac ſitis ſumma moleſta,ipſiúsque vitæ tædium me afficiunt; cùm ſedeo, ſuffocari videor pectore prægravato ac compreſſo, atque ſic toto die inambulare cogor, unde calculus, ſitis ac pedum dolor continuus, ſupinus cubare nequeo, neque in latus ſed pronus in faciem capite demiſſo thoracéque altiore,hinc defluxiones ad oculos ac Ophthalmia perpetua. Vides quàm me exerceat malorum ilias. ſed ferenda hæc ſunt,quamdiu ſic viſum fuerit DEO meo. Si quid habe+res ſingulare hypochondriacis flatibus, quæſo mecum communica; mitto ad te deſcriptionem Electuarij, quo feliciſſimè utor in cachecticis & oppilatis,corpore benè priùs purgato.. Vale Vir Doctiſſime, méque mutuò ama. Monachij Anno 1600.

Suffocationis periculum rarum.

Electuarium transmiſſum ſine dubio chalybeatum fuit electuarium Mermanni in conſiliis iſtis ſæpius obvium.

CON-

CONSULTATIO XXIX.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA, CUM CAPITIS DOLORE, ALIQUA VERTIGINE, FAUCIUM ARIDITATE, VENTRIS CONSTIPATIONE.

PRO VIRO PERILLUSTRI.

Valetudinis incommoda, quæ Perilluſtris Dominus N. experitur,hæc ferè ſunt. Primò Capitis Dolor, interdum ſed rarò cum Vertigine conjunctus. Secundò Conſtrictio Thoracis. Tertiò Cordis Palpitatio,ſeu Tremor aliquis non admodum vehemens. Quartò Ariditas Faucium, Palati, Linguæ,noctu præcipuè moleſta. Quintò Splenis Commotio. Sextò Ventris Conſtipatio crebrior. Mala hæc ab una duntaxat radice enaſci,atque in dies magis magiſque excreſcere, omni caret dubitatione. Ea eſt Hypochondriaca vocata, quæ ut non ægros modò, ſed & Medicos ſubinde fatigat, ex me dudum cognovit Vir Nobiliſſimus. Aſſociatur huic affectui (teſte Hippocrate) perpetuò metus & triſtitia,quæ cùm abſunt, verè dici Melancholicus non poteſt; memini Dominum meticuloſum, ſibique nunc ab hoc nunc ab illo morbo ac periculo timere, de mœrore, quòd mentionem ullam feceritnon puto. Itaque perfectè ac propriè Melancholica Paſſio nequaquam ſed Hypochondriaca ſimpliciter dicenda videtur, præſertim cùm timor ille nullo Phantaſiæ errore contingat, ſed ratione aliqua nitatur non prorſus improbabili. Niſi enim certâ ratione viven-diuteretur,omniáque remedia non negligeret,omni prorſus periculo deterioris valetudinis non careret. Sed diſputatione de nomine omiſſâ,de cauſa propoſitorum ſymptomatum ſeu querelarum omnium, quæ ſcitu digna ſunt, pauca adnotabimus. Materia morbi eſt ſuccus Melancholicus craſſus ac fæculentus, qui variis in locis ac partibus nutritioni famulantibus colligi ſolet, hîc verò Lienem præcipuè occupat. Effectrix cauſa calor eſt alienus, ab infarctu lienis ortus, chylum adurendo, vaporem ſeu ſpiritum craſſum ac tenebricoſum ſuſcitans, quem ſymptomatum omnium, Nobiliſſimum equidem affligentium, auctorem eſſe planè ſtatuo. Quippe ille in caput ſubvolans, ac cerebri membranas feriens dolorem, ſpiritus verò turbans, in gyrúmque rotans, vertiginem inferre ſolet. Dum quoque cor petit, palpitationem; ubi in diaphragma irruit, thoracis

Melancholia hypochondriaca ab hypochondriaca ſimpliciter diſtinguitur.

compreſſionem ac ſpirandi difficultatem inducit. Quis verò dubitet, quin idem per œſophagum in os aſſurgens faucium, palati, ac linguæ moleſtam ſiccitatem illam efficiat? Ventris conſtipationem, quæ hypochondriacorum perpetua querela eſt, ad ſiccitatem ſucci fæculenti per obſtructiones præter naturam incaleſcentis, referendam, nemo eſt neſcius. His ità conſtitutis, nullo negotio Perilluſtris Dominus perſpicit, quid hujusce morbi curatio poſtulet. Nempe craſſus humor Lienem, ejúsque venas ad ventriculum exporrectas obſtruens, vacuandus; ſed quia craſſus eſt, priùs extenuandus. Omnium verò primò ne novus in corpore acervetur, prævidendum. Hoc præſtabit accurata vivendi norma, illud medicamenta ac Chirurgia. In diæta moneo, vitet lacticinia, paſtilia, in ſartagine frixa, caſeum, carnes & piſces ſale conditos ac fumo ſiccatos, carnes porcinas, bubulásque, cervinas, braſſicam, legumina, aliáque ſuccum craſſum corpori præſtantia. ad menſam non accedat, niſi corporis exercitatio præceſſerit, inambulatione igitur matutina utatur, & veſpertinâ, cujus uſum & laudem apud Cornelium Celſum elegantiſſimum Medicum legere non gravetur. Temperet ſibi à ſtudiis, ab occupationibus mentis, ac curis quantùm id fieri licet. Ad medicamenta quod attinet, ſuadeo, ut absque mora, priusquam bruma accedat, corpus exquiſitè evacuet, his quæ ſequuntur auxiliis.

Victûs ratio.

Exercitij laus apud Celſum.

R. *Electuarij Diacatholici*,
Lenitivi Florenzolæ ana ℥ß.
Mellis Roſati laxativi ℥j.
Diſſolve in *aquæ Boraginis* ℥iijß. Miſce fiat potio. Sequenti die vena ſiniſtræ manûs, Salvatella Practicis dicta, incidatur. Indè ad humoris inciſionem ac levem abſterſionem tale apozema paretur.

Apozema incidens, abſtergens, purgans.

R. *Radicum Buglоſſi* ℥j.
Cichorij ʒvj.
Polypodij ʒiij.
Liquiritiæ ʒij.
Foliorum Senæ ſine ſtipitibus ʒiij.
Epithymi ʒß.
Zinziberis,
Seminis Aniſi ana ʒj.
Herbarum Capillorum Veneris,
Betonicæ,
Meliſſæ,
Ceterach ana Mj.
Florum Boraginis,
Bugloſſi,

Violarum

Violarum,
Anthos ana ℔j.
Paſſularum ℥j.
Decoquantur in ſ.q. *aquæ* ad ℔j. quieſcant per noctem, manè dilue in colatura
Syrupi è Betonica,
De Fumaria,
De Lupulis ana ℥iß.
Mellis Roſati,
Oxymellis ſimplicis ana ʒvj.
Miſce fiat apozema ad tres doſes, tribus diebus continuis aſſumendas, horâ matutinâ & ſuperdormiat. Vltimò purgãs illud porrigatur.

Potio purgans melancholiam.

℞. *Foliorum Senæ* ʒij.
Epithymi,
Agarici præparati ana ʒj.
Radicum Polypodij querni ʒiß.
Liquiritiæ ʒß.
Corticum Hellebori nigri,
Seminum Aniſi,
Fœniculi,
Zinziberis,
Macis ana ℈j.
Cinnamomi acuti ℈ß.
Paſſularum ℥ß.
Florum Cordialium ana ℔j.
Decoquantur in *aquæ Boraginis* ℥ix. ad tertiæ partis conſumptionem. ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua diſſolve
Mannæ ℥ij.
Mellis Roſati laxativi ℥iß.
Oxymellis ſimplicis ʒß.
Aquæ Cinnamomi ʒj.
Miſce fiat potio.
Interim ad fauciũ & oris ſiccitatẽ aquâ paſſulata morbificam cauſam reſpiciens talis paretur, palato haud ingrata futura, pota ad paſtum.

Aqua paſſulata cum lignis, pro potu ordinario.

℞. *Paſſularum* ℥x.
Tamarindorum ℥ij.
Scobis ligni Tamariſci ℥j.
Herbarum Linguæ Cervinæ,
Ceterach,
Capillorum Veneris ana Mj.

Imponantur

Imponantur in vas ligneum continens *aquæ fontis* ℔xx. collocentur in cellam vinariam, ibique remaneant, donec deferbuerint. deinde appendantur in linteolo ligatæ & parùm contuſæ *Cinnamomi acuti* ℥ij. Venti laxando inſervit Diaprunis magiſtralc ℥i. pondere in ipſo acceſſu ad menſam devoratum. Anno 1603. 8. Novembris.

CONSVLTATIO XXX.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA, CUM TVSSI ET PALPITATIONE &c.

PRO

FOEMINA ILLUSTRI.

✶

QUæ de affectu, cauſis & curatione Illuſtri Dominationi Veſtræ nuper oretenus recenſui, nunc paucis etiam ſcripto enarro. Primò tuſſis & per ſputum excretio partim à capite fluxionibus obnoxio, partim ex ventriculo provenit. Secundò melancholia hypochondriaca, quâ Illuſtris Dominatio Veſtra afficitur, radix eſt, ex qua reliqua accidentia omnia ſuccreſcunt, præſertim verò cordis palpitatio, & copia pituitæ in capite & ventriculo cumulata. Hæc Melancholia, cùm cerebri ſpiritus non admodum inquinet, ſed cor potiſſimùm occupet, cordis palpitationem, lipothymiam, compreſſiones pectoris, reſpirationi que gravitatem potiùs, quàm depravatæ Phantaſiæ cogitationes, aut metum & triſtitiam producit. Unde & Melancholia iſta, cùm perfecta non ſit, atque communia ſua, metûs & triſtitiæ accidentia, conjuncta non habeat, aliud nomen meretur, & morbus hypochondriacus rectiùs indigitatur. cùm præſertim in ambobus lateribus ſeu hypochondriis fixas habeat ſuas radices.

Hypochondriacæ deſcriptio. De hoc morbo jam nuper Illuſtri Dominationi Veſtræ aſſerui, quòd aliud nihil ſit, quàm calor extraneus præter naturam, ac venarum Pylori, Meſenterii, Lienis, & quandoque etiam Hepatis aliarúmque partium in abdomine contentarum obſtructio.

Superfluus hic calor, ex præcalida, naturali tamen, complexione hepatis venoſique generis oritur, ac tum maximè, ſi hæc ex diverſis quidem cauſis, præcipuè tamen ex uſu calefacientium ac ſiccantium alimentorum adaugetur.

Obſtructio

Obſtructio contingit à craſſo & terreſtri ſanguine, quæ porrò in cauſa eſt, quòd naturalis calor non eventilatus ſufficienter, augeatur & nimiùm increſcat; interim incrementum hoc caloris nondum perſentitur, quia febrilis non eſt, ſucceſſivè tamen occultam & erraticam febriculam producit, ægro quidem non admodum moleſtam, niſi quòd totius corporis macies, ac virium notabilis defectus paulatim ſuccedat.

Obſtructionis cauſa & effectus.

Inter alia quoque declaravi, quòd effectus & ſymptomata morbi hujus hypôchondriaci diverſa omnino ſint, ac vix quidem enumerari omnia poſſint. In Perilluſtri Dominatione Veſtra perpetuæ ferè evaporationes in caput elevantur, ex quibus indè Cerebrum continua labe affectum, humiditates multas cumulat, catarrhi tandem ac ſubſequentis tuſſis cauſas antecedentes.

Eædem evaporationes, dùm ad cor deferuntur, animi defectus producunt, quales IlluſtrisDominatioVeſtra ſæpius experta eſt, quòd ſi verò ad diaphragma allidunt, illud premendo attollunt, atque pectoris anguſtias, compreſſiones, nec non difficultates reſpirationis creant, maximè dum Illuſtris Dominatio Veſtra paulò velociùs incedit, ac proin corde magis calefacto aëris augetur uſus.

Portò intellexit à me Illuſtris Dominatio Veſtra, omnes illos, qui hoc morbo detinentur, malè & tardè concoquere, ac proinde multum pituitæ ac humiditatis cumulare; unde ventriculus oppletus quaſi à ſuperfluis hiſce ibi ſtagnantibus cruditatibus frigidiorem induit intemperiem, nec non obſtructiones venarum magis firmantur. Quòd ſi igitur calor præternaturalis, juxta viſcera, primæ coctioni dicata, ita uti dictum adauctus efferveſcat, facilè pituitoſum ſuccum fermentando attollit, ſurſúmque per gulam & os reijcit, unde quoque fit, ut pars dum ad fauces delabitur, pectoris exin compresſiones ac tuſſes permoleſtę exoriantur. Quæ omnia haud aliter contingunt, ac in vini aut cerevisiæ doliis, efferveſcente intus ſpirituoſo fermento, impura ac ſpumoſa excrementa, per ſuperius dolii oſculum expelli, ac dein per vaſis latera ubique defluere videmus. Atque hæc Illuſtri Dominationi Veſtræ eò libentiùs nuper declaravi, & nunc ſcripto quoque explicavi, ut pateret, tuſſem illam non tantùm à defluxionibus à capite factis, ſed etiam magna ex parte ab aſcenſu ſeroſitatum à ventriculo pervenire.

Hypochondriaci omnes malè & tardè concoquunt.

Fermentationes in corpore ſiũt uti in dolijs plenis muſto.

Curationem quod attinet, neceſſarium quidem foret, ut craſſus & terreſtris ſanguis evacuaretur, obſtructiones reſerarentur, calor & ſiccitas præter naturam in viſceribus attemperaretur. quandoquidem verò morbus magnus non eſt, nec adeò periculoſus, multa tamen remedia ad totalem illius extirpationem, quæ difficilis admodum aliquando eſt, requirerentur; conſultor ego omnino ſum, ut talia adhibeantur remedia, per quæ præcaveri poſſit; ne morbus ingraveſcat & ad-

Cura.

augeatur. fiet autem hoc diuturnâpatientiâ & obedientiâ, ac præcipuè recta & exquiſita victûs ratione, quæ in ſequentibus ſex rebus nonnaturalibus conſiſtit.

Aëris plurimùm ſanè intereſt, quandoquidem tam calidus quàm frigidus illius exceſſus capitis fluxiones concitat. hypocauſta calidiora, commoratio ſub ſole æſtuante, ventus & nocturnus aër nocent. itinera hyeme,aut etiam aliis frigidis vel nebuloſis temporibus non inſtituantur. Et ſum ego illius planè opinionis, gravem illam & tam contumacem tuſſem, originem ſuam ab aëris inclementia ſumpſiſſe: quamvis etenim probabiliter copia humiditatũ in capite extiterit priùs,illa tamen ab aëre videtur commota, & ad defluxionem eſſe concitata; atque adeò illa ipſa humiditas in capite præexiſtens (niſi aëris intemperies ad commovendos humores concurriſſet) concocta forſan,aut per ſuturas cranii inſenſibiliter diſſipata, aut per nares,vel alia loca paulatim evacuata fuiſſet.

Cibus & potus,quandoquidem in hoc affectu coctione opus eſt bona, paucus ſit ſed exquiſitus. placerent mihi hœdi, agnelli, caro vitulina, ac præcipuè aviculæ, & id genus alia, quæ ſubtilem ac bonum ſanguinem generant. nocent anſeres, anates, caro bubula, ſuilla,ſale condita,fumo indurata, cervina, leporina; lacticinia, item farinacea, paſtilia, caſeus. Ex piſcibus exulent paſſeres,aſſellus marinꝰ, lumaces, gambari,tinca,carpio,anguilla; conceduntur aliquando lucii minores,trutæ,thymali,funduli. Ova ſorbilia proſunt demptotamen albumine. Potus ſit vinum Neccaricum benè maturum, aquâ in qua panis biſcoctus priùs fuerit infuſus, lymphatum; vina enim generoſa obſunt. Somnus interdiu minimè conducit, ac proinde quantùm fieri poteſt, fugiendus.

Exercitium corporis ſalutare eſt; imò neceſſarium, ſi non poſt ſed ante cibum abſolvitur; quocirca Illuſtris Dominatio Veſtra poſt menſam quieſcat,donec ventriculus coctionem ſuam benè peregerit.

Alvus aperta ſit,neceſſum eſt,unde ſi pigrior illa aliquando fuerit,alimentis & medicamentis laxantibus ſollicitari debebit.

Triſtitiam, iram, alióſque animi motus Illuſtris Dominatio Veſtra fugiet, quantùm eſt poſſibile. atque hæc de Diæta, ac vitæ regimine.

Pharmacia. Medicamenta pharmaceutica quod attinet, quamvis illa vehementer abhorreantur, in uſum tamen aliquatenus deducenda ſunt. ego cum præſcitu Medici ordinarii ſequentia ſuadeo: nempe ut bis in anno ſufficienter corpus expurget, medicamentis in ſimilibus caſibus mihi cæteroquin uſitatis. Itaque primò electuarium laxans ſuadeo manè horis quatuor ante prandium aſſumendum,ac mox juſculum pulli ſuperbibendum.

R. *Florum*

R. *Florum Caſſiæ recenter extractæ* ℥vj. Minorativa.
Turpethi albiſſimi grana xv.
Cinnamomi grana v.
Miſce fiat bolus cum *Saccharo.*

Bolo hoc devorato, tribus ſequentibus diebus ſyrupum talem, in tres partes æquales diviſum, & in brodio gallinæ q. ſ. ſed non ſalito diſſolutum, ſummò manè ebibat, atque iterum ſomno quantùm poteſt indulgeat.

R. *Mellis Roſati* ℥ijß. Præparantia.
Syrupi è Betonica ℥iß.
Oxymellis ſimplicis ℥vj.
Miſce fiat ſyrupus, in tres doſes dividendus.

Humoribus ſic præparatis, purgatio ſimili modo inſtituatur.

R. *Foliorum Senæ electæ* ℥ij. Purgantia.
Agarici trochiſcati vel crudi inciſi,
Radicum Polypodij querni,
Liquiritiæ ana ℥j.
Hellebori nigri ℈j.
Paſſularum ℥ß.
Florum Nymphææ,
Boraginis,
Bugloſſi,
Anthos ana Pj.
Decoquantur in *aqua Boraginis* ℥vij. ad tertiæ partis conſumptionem. ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua diſſolve
Mannæ electæ,
Mellis Roſati laxativi ana ℥iß.
Oxymellis ſimplicis ℥vj.
Electuarij Diaphænici ℥j.
Miſce fiat potio.

Aſſumatur hæc potio manè & horâ unâ deſuper ſomno indulgeatur; indè circa horam nonam juſculum aſſumatur. & hæc de purgatione.

Quandoquidem verò corpora noſtra novis perpetuò excrementis onerantur, pilulas præſcripſi, ſingulis menſibus circa noviluniũ deglutiendas. quæ etſi parùm purgent, Illuſtris Dominatio Veſtra non erit ſollicita, commodè tamen faciet, ſi ante vel poſt aſſumptas pilulas, clyſterem quem poſtea deſcribam, ſibi inijci curaverit. pilulæ iſtæ ſunt.

R. *Maſſæ Pilularum Maſtichinarum* ℈ij. Pilulæ.
Aſſajeret ℈j.
Cum *aqua Betonicæ* fiant pilulæ N°. xxv. deaurentur. pro una doſi.

Denique pro corroboratione capitis ſequens opiata inſerviet, nam cordialis quoque & ſtomachica eſt, nec non & ſpiritus vitales refocillat & auget. de hac ſingulis manè Illuſtris Dominatio veſtra devorabit ℥ß. ſuperbibendo juſculum, ſi placet.

Electuarium corroborans caput, ſtomachum, cor.

R. *Conſervæ Roſarum Damaſcenarum* ℥iij.
Florum Roriſmarini,
Boraginis,
Betonicæ ana ℥j.
Corticum Citri ſaccharo conditi ℥iß.
Zinziberis conditi ℥ß.
Specierum Aromatici Roſati,
Diambræ,
Pulveris Santali rubri,
Citrini ana ℈j.
Raſuræ Eboris ʒiß.
Caryophyllorum inciſorum,
Nucis Moſchatæ ana grana xv.
Syrupi de corticibus Citr q. ſ.
Miſce fiat Electuarium inſtar opiatæ.

Sanguinis miſſio.

Cæterùm ſemel ſaltem in anno ſanguinem mittat, nempe è mediana brachij dextri in Vere, præſente tamen & conſulente Medico ordinario; nec forſan obeſſet tempore autumni, ſi vena Salvatella manûs ſiniſtræ aperiretur; uti etiam neceſſaria judico Cauteria in ambobus brachijs inuſta, ſine omni dolore imprimenda.

Cauteria.

Tuſſis cura & præſervatio.

Quòd ſi porrò, quod DEUs avertat, tuſſis illa vehemens rediret, paucis hîc annotabo, quâ curâ & methodo Illuſtris Dominatio Veſtra obſervare & curare ſe debeat. Primò cibus ſit paucus; potus aqua, tali modo parata. Accipiantur *Paſſulæ minores, Saccharum candi ana* ℥ij. *Quinque aut ſex ficus, Seminis Aniſi* ʒß. *Cinnamomi* ʒiß. Coquantur. Secundò in cœna aliud nihil aſſumat Illuſtris Domina Patiens, quàm panatellam, aut hordeum benè coctum, aut brodium cum ovis conquaſſatum, aut juſculum avenaceum. A potu ſi fieri poſſit omnino abſtineat, quamdiu defluxiones durant. Tertiò corpus per medicamentum leniens expurgetur hoc vel ſimili modo. Accipiantur ℥ij. vel ℥ijß. *Mannæ* diſſolutæ in *brodio carnis*, & ebibantur. Aut ſi placet devorentur ℥j. vel ℥jß. *Caſſiæ recenter extractæ*, admixtis parùm *Cinnamomi & ſeminis Aniſi.* Item optimum foret clyſma ſubinde domeſticum accipere, tali modo paratum. Accipitur *brodium carnis,* in quo diſſolutę ſint *Sacchari rubri* ℥ijß. *olei Olivarum cochlearia* 7. *vel* 8. *ſalis Gemmæ* ʒß. Atque hoc in loco advertendum eſt, ſimiles clyſteres, etiam aliis vicibus utiles fore, nempe dum Cordis palpitatio inſtat, & alvus lubrica non eſt, præſertim verò dum tuſſis affligit, alvum lubricam eſſe oportet. Quartò durante & afficiente tuſſi, veſperi

Clyſma domeſticum.

ſperi

ſperi ante ſomnum quarta pars electuarii ſubſequentis deglutiatur; medicamentum eſt ſuave, ac capiti roborando apprimè utile, ſumi poteſt quotidie donec omnino abſumatur.

Electuarium ad tuſſim & ſiſtendos catarrhos.

R. *Syrupi è Jujubis*,
Conſervæ Roſarum ana ℥ij.
Olibani ℈j.
Maſtiches ℈ß.
Nucis Moſchatæ raſæ,
Boli Armeni præparati ana grana xv.
Miſce fiat electuarium.

Quintò Illuſtris Dominatio Veſtra ſæpe de ſyrupo parùm deglutiat, noctu præſertim ac mediâ nocte tranſactâ. inſerviunt hæc duo remedia (electuarium nempe modò præſcriptum & ſyrupus mox deſcribendus) ne defluxio cum impetu fiat, atque in pulmones irruat, maximo patientis cum periculo.

Linctus pectoralis.

R. *Syrupi è Jujubis* ℥iij.
Rotularum Diatragacanthi frigidi,
Sacchari candi pulveriſati ana ℥j.
Miſce pro linctu pectorali.

Sextò pro expurgatione pectoris nec non ſputo promovendo julapium inſerviet, ſi manè jejuno ventriculo, & ante cœnam quatuor quinque aut ſex cochlearia calidè aſſumantur.

Julapium pectorale ad promovendum ſputum.

R. *Aquæ Farfaræ*,
Scabioſæ,
Veronicæ,
Hyſſopi ana ℥iij.
Syrupi è Jujubis,
è Liquiritia ana ℥iß.
Miſce pro Julapio.

Denique ſciendum eſt, particulares capitis evacuationes per maſticatoria & errhina factas non eſſe ſecuras, niſi univerſalis & totius corporis purgatio præceſſerit. Verùm facta hac univerſali purgatione, ac præcedente ſanguinis miſſione bis in anno inſtituendis, non oberit ſimilibus remedijs uti, quæ mucum è naribus paulatim derivent & evacuent: in quem finem linimentum ſternutatorium adpoſui, de quo parùm naribus immittatur, ſeu intus illinatur. utpote

Errhina & maſticatoria, niſi evacuationes univerſales præceſſerint, non ſecura.

Linimentum ſternutatoriū.

R. *Succi radicum Betæ* ℥iij.
Pulveris radicum Elaterij,
Hellebori albi ana ʒß.
Olei Majoranæ,
Ceræ ana qs.
Miſce fiat linimentum pro naribus.

Cæterùm durante tuſſi, pectus quoque ut ungatur ſuadeo, oleo *Amygdalarum dulcium, pinguedine caponis recenti* ſimul mixtis.

Inunctio tamen hæc non ab initio ſtatim, ſed facta jam fluxione, & ſputo ſubſiſtente fieri debet. DEVS Optimus Maximus hiſce ſuam gratiam addat. Hechingæ in arce Illuſtriſſimi Comitis de Hohenzollern. 10. Julij. 1608.

CONSULTATIO XXXI.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA, CUM DOLORE PUNGITIVO LATERIS, ET ALVI PROFLUVIO.

PRO

VIRO NOBILI.

*

Dolor ſeu punctura, quam Nobilis Vir in duobus diverſis locis patitur, nempe in pectoris parte ſiniſtra, & etiam eodem in latere infra coſtas, oritur à morbo, Melancholia Hypochondriaca vocato. Morbus hic varios & graves affectus ſuſcitat; inter alios elevantur ex illo multi craſſi vapores ac flatus, qui non raró puncturas ac tenſiones in pectore, in ambobus hypochondriis ſeu lateribus, dolores dorſi, lumborum, producunt. Et eſſent de his ſcribenda multa, quomodo ſcilicet dolores iſti ex flatibus craſſis continuò ſuccreſcentibus effluerent. Verùm ſcire ſufficiat, flatus naſci, ex tarda imperfecta & mala coctione ventriculi, & maximè cum cibus & potus copioſè ingeritur; cumulantur enim tunc variæ cruditates ac flatus, unde ſæpius excrementa liquida & diarrhœa ſubſequitur; atque hoc ipſum in Nobili Viro contingit, in quo venæ meſaraicæ multá pituitá obſitæ & obſtructæ ſunt, ita, ut potius humiditatem ad ſe ſufficienter non trahant; unde hac diluente excrementa cibalia, perpetua ferè diarrhœa illa ortum ſuum habet.

Cibus & potus copioſè ingeſtus flatuum cauſa.

Curationem quod attinet, conſiſtit hæc potiſſimùm in moderata & debitá victûs ratione, quá ritè obſervatá coctio peragetur rectiùs, non ſine magno omnium ferè ſymptomatum remiſſione, quandoquidem tali pacto cruditates conſumuntur ac præſervantur, nec non meſenterii paulatim aperiuntur obſtructiones. Inter alimenta Nobilis Dominus vitet, omnia quæ difficulter concoquuntur ac flatulenta ſunt, nempe lacticinia, farinacea, paſtilia, item carnem duram, veterem, fumo induratam, olus, rapas, fructus horarios crudos. Vi-

Victûs ratio.

num re-

num recens, muſtum, cerevifia, aqua cruda nocet, ac præcipuè lauta ac diuturna menſa. Interim medicamenta pauca præſcripſi,modo, ut ſequitur,in uſum deducenda.

Primò pilulæ præſcriptæ in quatuor partes dividendæ ſunt, & harum pars una aſſumenda duabus horis ante prandium : alvum movebunt parùm, ſtomachum verò corroborabunt & obſtructiones ſolvent in meſenterio; poterunt poſt octiduum repeti, quod idem de tertia & quarta doſi intelligendum.

Secundò tragéa ſuavis notata eſt,de qua unà cum pane toſto vino madido, poſt menſam quantitas devoranda. Tertiò rotulas adſcripſi, pro corroboratione ſtomachi etiam inſervientes nec non ad flatus diſcutiendos, de his una alteráve manè deglutiatur. Denique unguentum addidi,ad partes,ubi puncturę moleſtę ſunt, calidè inungendas manè & veſperi poſt menſam. Verno imminente tempore placerent mihi acidulę certo modo epotæ. DEUS interim hiſce ſuam addat benedictionem. Monachij 14. Decembris 1611.

Pilulæ ſtomachales corroborantes.

R. *Balſami Aloëtici*,
Rhabarbari electi ana ℥ij.
Maſtiches,
Galangæ,
Cubebarum,
Spicæ Nardi ana ℈ß.
Miſceantur pulveriſata & cum *aqua Cinnamomi* fiant pilulæ N°. LX. deaurentur. per quatuor vices aſſumendæ.

Rotulæ corroborantes ſtomachum.

R. *Specierum aromatici Roſati* ℥ij.
Diambræ,
Diamargariti calidi,
Cinnamomi ana ℈ij.
Sacchari albiſſimi diſſoluti in *aqua Mëthę* ℥iiij.
fiant rotulæ pondere ʒß.

Tragéa temperata ſtomachica.

R. *Specierum aromatici Roſati* ʒj.
Santali rubri,
Citrini,
Cinnamomi acuti ana ʒß.
Florum Roſarum rubrarum ſiccarum,
Nucis Moſchatæ raſæ,
Macis,
Zinziberis ana ℈ß.
Seminis Coriandri præparati ℥j.
Confectionis manus Chriſti perlatæ,
Sacchari albiſſimi ana ℥iij.
Miſce fiat tragéa.

R. *Pin-*

Unguentum anodynum.

℞. *Pinguedinis Caponis recentis* ℥iß.
Olei Anethini,
Amygdalarum amararum ana ʒvj.
Nucis Moſchatæ expreſſæ ʒj.
Miſce; liquentur ad ignem. fiat unguentum.

CONSULTATIO XXXII.

AFFECTUS HYPOCHONDRIACUS CUM PITUITA COPIOSA.

PRO

VIRO REVERENDO.

Quæ de valetudine Reverendi P. à doctiſſimo Viro Domino Joanne Mezio ſunt ſcripta, ea cùm recta ratione, & ſolido artis Medicæ fundamento nituntur, & omnibus Hippocraticam doctrinam ſectantibus probari meritò debent. Affectus hypochondriacus eſt, ſive hunc Melancholiam hypochondriacam, ſive hypochondriacum flatum vocare lubeat. neque enim melancholia propriè dici poteſt, cùm ab eo & triſtitia & metus abſunt, ſigna mali hujus pathognomonica; quæ ſymptomata, quò minùs hactenus acceſſerint, unum vitalis facultatis robur facere videtur, dum ſpiritus cerebro ſat benè elaboratos, ac puros ſuppeditat. Obſtructiones ſubſunt haud dubiè craſſorum humorum copiâ factæ, ſed locum earum, ac domicilium certum indicare, non eſt ita facile: in venis pylorum complectentibus, (quas Diocles referente Galeno præcipuè in affectu iſto incuſabat) humores iſtos impactos non eſſe, neque ibi effervеſcere, ac fermentari, abſentia ſitis haud obſcurè declarat. Quærenda igitur, aſſignandáque peccantium humorum ſedes alibi eſt, in locis nempe paulò magis à ventriculo diſtantibus, qui craſſis ac viſcidis ſuccis melancholicis ſcilicet & pituitoſis recipiendis, & diu retinendis ſint idonei. Equidem de re tota ita ſentio, in corpore iſto colligi, ac coacervari pituitæ craſſioris copiam inſignem, qualem in quàm plurimis ſuccreſcere, atque tam infrà, quàm ſuprà evacuari ſubinde obſervavi, quæ in anguſtis meſenterii locis, in lienis cavo, ac circa pancreas diutius detenta excalefacta, aſſatáque melancholici humoris naturam induat, flatibus aſſiduis, atque aliena qualitate ſua coctionem primam vitiet, aſcenſum pituitæ ſalivoſæ in os promoveat, ac vaporibus caput replendo, fluxionis in ſubjectas partes materiam præbeat. Memini

Pituitæ ſuccreſcentis copia. locus generationis.

pituitam hance, inter humoris melancholici ſpecies collocâſſe Avicennā, quam atri coloris eſſe, uti ſanguinis fæx non eſt neceſſe; nec latet peritos Medicos tam pituitam, quàm melancholiam flatibus procreandis eſſe opportunam, diſcrepare verò inter ſe, quod ab hac copioſiores, ab illa craſſiores excitentur.

Pituitā humoris melancholici ſpecies collocavit Avicenna.

His ita conſtitutis facile eſt in curatione affectus hujuſce præſtanda (indicationes Medici vocant) proponere; quippe providendum, ne vitioſi humores denuo congerantur, qui vero congeſti ſunt, incidantur, attenuentur, ac tandem idoneis auxiliis exturbentur.

Cura.

Ad corporis proviſionem neceſſaria imprimis eſt èxquiſita victûs ratio, quæ vi ſua attenuante, curationi quoque ſit accommodata. Hanc itaque diligenter accuratéque perſecutus eſt Vir Doctiſſimus; ut quod in ea moneam, nihil planè occurrat. Medicamentorum igitur tam præparantium, quàm evacuantium materiam, nec non ipſorum formulas mihi in id genus affectibus, uſu & experientiâ præcipuè probatas, adſcribam, à Medico præſente, virésque ægri ponderante, quatenus opus fuerit, immutandas. Ad vias primæ regionis in corpore iſto extergendas ex uſu erit, quod ſequitur.

Minorativum.

℞. *Specierum Hieræ ſimplicis Galeni* ℈iiij.
Pulveris Senæ præparatæ Montagnanæ ℈ij.
Miſce & cum *conſerva Boraginis* fiat bolus nebulis involvendus, ac duab⁹ horis ante prandium porrigendus, ſuperbibendo *jus Zinziberis* vel *corticum Citri conditi*. Si parciùs evacuet, poſtridie repetatur, tertiâ vel dimidiâ ejus parte detractâ.

Quòd ſi neque hoc ſatis videbitur, clyſter injiciatur ex decocto *capitis vervecis, herbarum & florum Chamæmeli, Meliloti, Anethi*, additis *ſaccharo rubro, Melle deſpumato, Oleo & Sale*. Exinde apozema aperiens, præparans, & moderatè vacuans hunc in modum paretur.

Clyſ.na.

Apozema aperiens præparans & moderatè evacuans.

℞. *Cichorij recentis cum toto,*
Boraginis ana Mj.
Capillorum Veneris,
Ceterach,
Fumariæ.
Meliſſæ,
Betonicæ ana Mß.
Radicum Bugloſſi,
Polypodij querni ana ℥vj.
Liquiritiæ ℥ij.
Foliorum Senæ ſelectæ ℥iiijß.
Florum Boraginis,
Bugloſſi,

Anthos ana ℈ij.
Seminum Citri
Aniſi,
Fœniculi,
Coriandri præparati ana ℈j.
Zinziberis,
Macis,
Cinnamomi acuti,
Galangæ ana ℈ß.
Paſſularum ℥j.
Decoque in *aqua fontana* q.ſ. ad ℥xv. in colatura dilue
Syrupi è Fumaria,
è Lupulis ana ℥iß.
Miſce fiat apozema ad tres doſes.
His aſſumptis purgans tale porrigatur.

Potio purgans.

R. *Foliorum Senæ Alexandrinæ electæ* ʒijß,
Agarici præparati ʒj.
Corticum Hellebori nigri ℈ij.
Seminis Aniſi,
Zinziberis ana ℈j.
Macis,
Cinnamomi ana grana vij.
Florum Boraginis,
Bugloſſi,
Nymphææ ana ℈j.
Paſſularum ℥ß.
Decoquantur omnia lege artis in *aqua Boraginis* ad tertiæ partis conſumptionem. ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua diſſolve
Mannæ ℥ij.
Mellis Roſati ſolutivi ℥j.
Oxymellis ſimplicis ℥ß.
Miſce fiat potio.
Poſt hæc quiete diei unius, vel duorum interpoſitâ ad aliud paulò efficacius apozema deveniendum, cujuſmodi eſt iſtud.

Apozema purgans ſuccum melancholicum.

R. *Foliorum Senæ ſelectæ* ʒvj.
Epithymi,
Polypodij querni ana ʒij.
Corticum Hellebori nigri ʒiij.
Seminum Citri,
Aniſi,
Fœniculi ana ʒß.

Florum

Florum Nymphææ,
Boraginis,
Bugloſſi,
Violarum ana Pj.
Macis,
Cinnamomi ana ℈j.
Zinziberis ʒj.
Herbarum Boraginis,
Ceterach ana Mj.
Meliſſæ Mß.
Paſſularum majorum ℥ß.

Decoquantur in ſ. q. *aquæ Boraginis* ad ℔j. colatura dulcoretur
Syrupi è corticibus Citri ℥jß.
Miſce fiat potio, tribus diebus continuis, vel alternis porrigenda, à qua uno die quieſcat æger, ac deinde purgans ſuperiùs deſcriptum repetat.

Corpore hiſce auxilijs probè evacuato, mox uſum electuarij Chalybeati, quem in antiquis, & pertinacibus viſcerum obſtructionibus magno cum ſucceſſu ſæpiſſimè ſum expertus, propono, atque ſuadeo. hujus compoſitio ita ſe habet.

Electuarium chalybeatum.

R. *Limaturæ Chalybis q v.*
Molatur ſuper Porphyrite ſubtiliſſimè cum *aceto*, deinde ſiccetur ad ſolem, aut ignem, & ſic ſepties iteretur. deinde
R. *Limaturæ Chalybis ſic præparati* ℥iij.
Cinnamomi,
Nucis Moſchatæ ana ʒiß.
Rhabarbari electi ʒj.
Specierum Aromatici Roſati ʒiij.
Mellis optimi,
Sacchari electi ana ℔ß. ℥ß.
Cum lento igne miſce, fiat electuariũ. doſis ſit ℥ß.

Devoranda horâ matutinâ, ac corpus ambulatione pro ratione virium egregiè exercendum, continuetur diebus (plùs minùs) viginti quinque. quarto quoque die intermittatur, ejúsque loco alvus ducatur hauſtu vini medicati, quod confici ſic poterit.

Vinum medicatum purgans

R. *Foliorum Senæ electæ* ℥ß.
Agarici præparati,
Specierum Eleſcophi ana ʒj.
Zinziberis inciſi ℈ß.
Comarum Abſinthij Pj.

Compingantur in puppam, quæ ℔j ß. *vini albi* infundatur, ac bibantur ex eo ℥vj. manè poſt aſſumptum juſculum.

Hæc omnia ſi malo penitus extirpando non ſatis efficacia fuerint, non diſpliceret mihi in corpore iſto non valde ſicco, Pulvis Abbati Sponhaimenſi aſcriptus, quo ego in ægroto huic non abſimili, non ſine fructu ſum uſus, éſtque ejus hæc deſcriptio.

Pulvis, Abbatis Sponhaimenſis contra flatus, & laxans probatus.

℞. *Calami aromatici,*
Gentianæ,
Cumini,
Sileris montani,
Aniſi,
Carvi,
Ammeos,
Seminum Petroſelini Macedonici,
Spicæ Nardi Indicæ ana ℥j.
Corallorum rubrorum,
Unionum, ſive Perlarum non perforatarum ana ℥j. ʒij.
Zinziberis albi,
Amaræ dulcis,
Foliorum Senæ ſelectæ,
Tartari ana ℥x.
Cubebarum,
Macis ana ℥ß.
Caryophyllorum ℥iß.

Fiat pulvis, cujus parari pars quarta vel tertia poterit. doſis ſit ʒj. cum juſculo vel vino abſinthite manè bibenda per menſem, deinde verò rariùs, bis nempe in hebdomade.

Plura non proponam remedia, cùm ea duntaxat attuliſſe conſilium fuerit, quæ huic corpori præcipuè utilia, ac proficua fore confido. DEVS gratiam eis cœlitus adjungat, & Reverendum Patrem firmæ valetudini reſtituat.

Anno 1603.

CON-

CONSULTATIO XXXIII.

AFFECTIO HYPOCHONDRIACA ET DOLOR SINISTRI LATERIS A FLATIBUS.

PRO

REVERENDO QUODAM DOMINO.

Onflictatur ſubinde Nobilis Vir dolore ſiniſtri lateris ſub coſtis mendoſis, in ea nempe regione, quam lien poſſidet; cauſa in flatum hypochondriacum omnino eſt referenda, qui à partis calore imbecilliore, ſuccos crudos ac melancholicos difficulter tardéque concoquente, tum præcipuè progignitur, cùm in vivendi ratione vel tantillum exorbitat Dominus Patiens, quippe obſtruitur tunc lien, hoc eſt impuritate craſſa impletur, ac conſpurcatur, à qua & jecur & reliquum corpus vitiari temporis ſucceſſu neceſſarium fuerit, ut coràm à me ſæpius eſt explicatum. Si igitur valetudini ſuæ Reverendus Dominus probè conſultum cupit, ut certè quàm maximè cupit, in eam curam incumbet ſedulò, ut alimenta deligat valetudini ſuæ idonea, eaque feliciter ac facilè concoquat; præcipuè verò abſit ſatietas ac crapula: morbi enim fiunt (monente *Lib. de Diæta* Hippocrate) cùm vel cibus laborem ſuperat, vel labor cibum. Exulent à menſa cibi concoctu difficiles, craſſúmque melancholicúmque ſuccum corpori præſtantes, cujusmodi ſunt caro bubula, hircina, leporina, cervina, omnes item carnes ſale conditæ & fumo ſiccatæ, piſces cetacei, aſelli, omnéſque ſale conditi piſces, caſeus, lacticinia, paſtilia, ova ad duritiem cocta, ovorum albumina. Inter olera braſſica, legumina, in quibus lentes primatum tenent. In potu vina craſſa, nigra, auſtera, aceti uſus immo dicus, parcior enim condimenti loco non ſine fructu admittitur, oberit quoque non mediocriter vinum muſtum dulce, uti & omnia alia dulcia, præcipuè verò Ficus & Caricæ. Obſunt plurimùm vigiliæ, mœrores, ſolicitudines, ſtudia curis ac cogitationibus profundis plena, imaginationes item diuturnæ, attentæ & fixæ. Alvi porrò ratio eſt habenda maxima, quam ſi in officio faciendo ſegniorem experiatur, vel clyſteriolis lenientibus, vel blando aliquo medicamento ſtimulabit, qualia paulò pòſt nonnulla ſubiicientur. Præter iſtam vivendi normam ſuadeo, ut bis in anno, Vere nimirum & Autumno corpus, & ſanguinis miſſione & per alvum purgantibus auxiliis evacuet. horum formula à præſenti Medico cenſenda, mutatiſque pro anni tempore mutandis, hæc vel huic non abſimilis eſto.

Victûs ratio.

 R. *Specierum*

Minorativa.

℞. *Specierum Hieræ ſimplicis Galeni* ʒj.
Pulveris Senæ Montagnanæ præparatæ ʒß.
Miſce cum *aqua Cinnamomi* fiat bolus.

Detur nebulis involutus duabus horis ante prandium, ſi parùm eduxerit, ſequenti die repetatur, detractâ dimidiâ parte vel tertiâ, quieſcat uno die, deinde ſanguis mittatur ex vena Baſilica dextri brachij tempore verno, ex ſiniſtro verò autumali. quarto die paretur tale apozema.

Apozema aperiens laxans.

℞. *Foliorum Boraginis* Mj.
Meliſſæ,
Capillorum Veneris,
Ceterach ana Mß.
Radicum Polypodij,
Bugloſſi,
Liquiritiæ ana ʒiij.
Foliorum Senæ ſelectæ ℥ß. ʒß.
Radicis Zinziberis,
Seminis Aniſi ana ʒj.
Paſſularum ℥iß.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℔j. poſt horas ſex fiat colatura, in qua dilue
Oxymellis ℥iij.
Syrupi è Fumaria,
Lupulis,
Boragine ana ℥j.
Miſce fiat potio ad tres doſes.

Interpoſitâ unius diei quiete tale purgans ſumatur.

Potio purgans melancholiam.

℞. *Foliorum Senæ ſelectæ* ʒiij.
Radicum Polypodij querni ʒiß.
Epithymi,
Agarici præparati ana ʒj.
Corticis Hellebori nigri ℈j.
Zinziberis,
Seminis Aniſi ana ℈ij.
Macis ℈j.
Florum Cordialium ana Pj.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥iiij. ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua diſſolve
Mannæ ℥ij.
Confectionis Hamech ʒiß.
Oxymellis ſimplicis ʒv.
Syrupi è Corticibus Citri ʒiij.
Miſce; fiat potio.

Hâc pur-

Hac purgandi ratione,ſi Medico vacuatum corpus necdum ſatis videbitur, repeti poterit auctis vel minutis ſolventibus. Quòd ſi verò his peractis lien negotium Nobili Domino etiamnum faceſſat, electuarium proponam, cujus uſum in pertinacibus viſcerum obſtructionibus & cachexia magno cum ſucceſſu ſæpiſſimè ſum expertus, id huncin modum ſe habet.

R. *Chalybis q.v.*

Limetur in pulverem, deinde molatur ſuper lapide Porphyrite cum *aceto* ſubtiliſſimè,deinde ſiccetur ad ſolem aut ignē, & ſic ſepties iteretur. limaturæ hujus ſic præparatæ

Electuarium chalybeatum

R. ℥iij. adde
Cinnamomi,
Nucis Moſchatæ pulveriſatæ ana ʒiß.
Rhabarbari electi ʒj.
Specierum aromatici Roſati ʒiij.
Mellis,
Sacchari ana ℔ß. ℥ß.

Fiat electuarium ad lentum ignem. Doſis ſit ℥ß. Devoranda horâ matutinâ, deinde corpus pro ratione virium ambulando egregiè exerceatur continuis diebus plùs minùs 25. quarto quoque die intermittatur, ejúsque loco alvus ducatur hauſtu vini medicati purgantis,quod ſic confici poterit.

Vinum medicatum purgans.

R. *Foliorum Senæ ſelectæ* ℥ß.
Agarici crudi,
Specierum Eleſcophi ana ʒj.
Zinziberis inciſi ʒß.
Comæ Abſinthij Pj.

Excipiantur linteolo mundo, vel ſindone & fiat ſacculus,qui *vini albi* ℔ß. infundatur, de quo bibantur ℥vj. manè poſt ſumptum juſculum. Si diſpliceat electuarium, ſolius *limaturæ præparatæ* ʒj. additis granis V. vel VI. *pulveris Caryophyllorum* vicem ejus ſupplere poterit cum pauxillo vini *malvatici* formâ boli devorata.alvò ducendæ,ſi quando ſiccior, &conſtipata fuerit, tale electuarium palato non ingratum conveniet.

R. *Foliorum*

Electuarium diaprunis.

R. *Foliorum Senæ ſelectæ* ℥iß.
Zinziberis ℈iiij.
Galangæ ℈ij.
Cinnamomi ʒj.

Decoque in ℔ij. *aquæ fontis* ad dimidiæ partis conſumptionem, ſtent per noctem, manè colentur, colaturæ adde *Pulpæ Prunorum dulcium* per ſetaceum expreſſorum ℥ijß. cum ſufficienti quantitate *Sacchari* fiat electuarium. ſi infuſio fiat in *vino Rheinfalino*, eò gratius erit electuarium. Pilulæ quoque iſtæ ex uſu erunt crebriùs uſurpatæ.

Pilulæ ſtomachicæ.

R. *Maſſæ Pilularum Maſtichinarum* ʒijß.
Aloëphanginarum ʒiß.

Fiant pilulæ cum *aqua Cinnamomi* N°. xxx. pro ʒj. deaurentur.

Doſis ſit ʒß. vel ʒj. duabus horis ante prandium deglutiendæ.

..quuntur Clyſterum formulæ aliquot, tempore neceſſitatis inijciendorum. alvum emolliens.

Clyſma domeſticum.

R. *Brodij carnium* ℔j.
Sacchari rubri ℥ijß.
Olei Olivarum ℥iiij.
Salis ℈j.

Vel loco *Sacchari*, *Mellis crudi* ſumito tantundem. pro *Oleo Olivarum*, *oleum* ſume *Lini*, *Liliorum alborum*, *Amygdalarum dulcium*, *Chamæmelinum*. alius leniens & flatus blandè educens præmiſſo priore adhibendus.

Clyſma leniens & flatus educens.

R. *Malvæ* Mij.
Florum Chamomillæ Mj.
Seminis Aniſi vel Carvi ʒij.

Decoque in aqua fontis quantum ſatis fuerit, de jure colato

R. ℔j. adde ut ſuprà.

Alius paulò plus evacuans.

Clyſma evacuans.

In *jure ſuprà dicto* diſſolve *Sacchari* vel *Mellis* ℥ij. Item *Caſſiæ extractæ* ʒv. *electuarij Hieræ Galeni* ℥ß. adde *Oleum prædictum* cum pugillo uno *Salis* & *Vitellum unum ovi recentis*. Deus ter Optimus Maximus gratiam his ſuam adjungere benignè dignetur.

CON-

CONSVLTATIO XXXIV.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA, CUM CALORE SPINAM DORSI PERREPTANTE, DOLORE CAPITIS, MOERORE INSIGNI, NEC NON FLATUUM COPIA.

PRO

VIRO QUODAM GENEROSO.

Ad Medicum Ordinarium.

QUi calamitoſum afflictæ valetudinis meæ ſtatum nôrit, is mihi ægrotis aliis conſilium danti rectè iſtud objecerit: medetur alijs, ipſe ulceroſus curâ indiget. verùm id me non abſterret, quò minùs voluntati Perilluſtris Domini Baronis ac Tuæ inſerviam. Affectus qui eum excruciat Melancholia eſt Hypochondriaca vocata, malum non ægros modò, ſed & Medicos ſæpe fatigans, de quo quid Galenus, quid Neoterici ſcribant, ſi commemorare velim, ineptire videar, cùm ad Medicum ſcribam in Arte conſummatiſſimum.

Non eſt vitij hujus una eadémque facies, non eadem ſymptomata, ſed neque ſedes mali affecta perpetuò eadem. Duo ferè communia habent, qui Melancholiâ conflictantur, triſtitiam nempe & metum, ſummum nunc metuunt, nunc optant diem; ſcribitur Generoſum Dominum mirè triſtari, ac ſubinde lachrymas effundere, mox verò mœrore exemptum ad priſtinam alacritatem redire. Contingit hoc Phantaſiæ errore, quæ cùm objectis intelligibilibus ac memorabilibus quædam quaſi janua ſit ad Rationem & Memoriam, mirum non ſit, cùm primùm ac præcipuè in affectu iſto offendatur. Deinde ſi verum eſt, anteriorem cerebri partem poſterâ humidiorem eſſe, in eâque ſede imaginationem potiſſimùm vigere, nequaquam Philoſophi ineptè philoſophari videntur, qui ipſam recipiendæ melancholiæ malignitati inprimis opportunam crediderunt. Reliqua Hypochondriacis familiaria ſymptomata ſunt vertigo, capitis dolor, aurium ſonitus, cruditas, ructus acidus, vomitus pituitæ bili permixtæ, ſalivæ in os aſſurgentis copioſæ ſputatio; præcordiorum ad ſuperiora revulſio ac præter gravitatem etiam fervor; diaphragmatis à materia in id irruente compreſſio, ſpirandi difficultas, cordis palpitatio, ventris adſtrictio, rugitus atque à flatibus perturbatio, dolor item ad ſcapulas dum ventriculus cibum concoquit, qui peracta concoctione plerumque diſparet.

> Melancholiæ hypochondriacæ non ſemper eadem facies, nõ eadem ſymptomata, neque ſedes mali perpetuò eadem.

> Phantaſia ad objecta intelligibilia janua eſt.

> Hypochondriacorum ſymptomata communia.

Cauſas Lernæ iſtius malorum hominis otioſi eſſet adferre, & parùmmemoris ſibi cum Viro doctiſſimo negotium eſſe; quem nihil in Medicina fugiat. Sicuti verò non omnes omnia incommoda patiuntur Hypochondriaci, ita & Generoſus Baro de duobus duntaxat hoc tempore conqueritur: unum eſt, calor ſpinam dorſi perreptans, ínque caput ſublatus,cum doloris alicujus ſignis mœrorem inſignem adducit: alterum, copia flatuum œconomiam corporis graviter perturbantium. De prioris ſymptomatis cauſaſic ſtatuo. In melancholia hypochondriacaDiocles,referente Galeno, venas illas, quæ ex ventriculo alimentum recipiunt, inflammatione laborare cenſebat; id ſi de vera phlegmone dicatur, haud immeritò reprehendas; verùm inflammationis nomine intemperies calidior intelligenda, à qua, dum epulæ laborioſè in ventriculo coquuntur, vapores magnâ copiâ elevati cerebri membranas ferientes dolorem; ſpecies verò vitiantes metum & triſtitiam adducunt. Qua verò ratione ſpeciebus animalibus oblæſis phantaſia ac tandem mens ipſa depravatè moveri queat,id loci hujus non eſt diſputare. pro indubitato ſit; ſpecies lumine,quod à Natura poſſident, egere; ac proinde obſcurato eorùm ſplendore noxam ingentem rectricibus facultatibus adferri. Non me præterit,in affectu hypochondriaco præter ventriculum ac pylorum,meſenterii venas incuſari. Ego verò non unam vel duas partes,ſed omnes illas malè affectas eſſe perſuaſum habeo, atque ut cum Hippocrate loquar, fermentari poſſe. in noſtro verò Ægro præter antiquas & fraudulentas obſtructiones impuritatéſque ſplenis & meſenterii non parùm materiæ reſidis prope ventriculum hærere; inter cæteras Artis conjecturas,id arguit; quòd à calidis, cujusmodi vinum eſt,protinus offendatur,juvetur à frigidis. Complures novi, qui vinum nec concoquere nec ferre innoxiè poſſunt, ob ardorem inſignem,quem & longè à vini potu experiuntur; illum ego non ad caliditatem,ſed corruptelam vini; dum ſcilicet hiante ventriculo à calore alieno tenuior pars ejus in halitum digeritur, referre malim. Braſſavolus magnæ experientiæ Medicus venam ad ventriculi fundum ad parvi inteſtini craſſitiem ſanguine fæculento plenam in diſſecto cadavere conſpectam fuiſſe obſervavit. De flatuum verò creatione rectè ſentiunt,qui ipſos fieri à calore ſcribunt, ſed pauciori ac minùs valido, quàm qui cibis flatulentis probè conficiendis nec non pituitæ ac melancholico ſucco abſumendo ſit ſatis. non parùm etiam ad flatus excitandos facit ventriculi fluctuatio, alimenta præhumida,ac potum copioſum ſequi ſolita, per quem impeditâ ingeſtorum comprehenſione coctionem & tardam & infelicem fieri neceſſe eſt.

Hypochondriacæ cauſa.

Locus affectûs.

Ardor inſignis ſtomachi, à corruptela vini.

Flatuum generatio.

Ventriculi fluctuatio, alimenta præhumida, ac potus copioſus, flatuum cauſa.

Verùm his quæ nota ſunt omiſſis,ad curationē accedamus arduam fortè ac longam futurā; ſed ſi in corpore iſto ea quæ fieri decet,ab

omni

omni parte præſtentur,nequaquam deſperandum. Intentiones quas vocant,hoc eſt opera ad curationem feliciter abſolvendam hoc loco neceſſaria, nemo non novit: obſtructiones pertinaces expediendæ, ſuccus melancholicus præparandus,evacuandus, calor præter naturam remittendus. de remediorum materia hæc mea eſt ſententia. Cauterium ſeu fonticulus ſiniſtro cruri ope medicamenti ſeptici, ut noſtri Chirurgi probè nôrunt, impreſſus utilitatem adferre poterit. *Abſceſſus infrà morbum ſpontè erumpentes* teſte Hippocrate *prodeſſe conſueverunt*. in brachio verò vel capite parata id genus emiſſaria probare equidem non poſſum; præter venæ Salvatellæ dictæ in ſiniſtra manu inciſionem; hæmorrhoides quoque admotis hirudinibus convenientiſſimè aperientur. De purgantibus Tibi Vir Clariſſime ad unguem aſſentior: antecedentem ſcilicet cauſam morbificam apozemate aliquo è corpore eſſe deturbandam, & repetito ſæpius,donec ſcilicet probè repurgata loca fuerint humoribus craſſis. Quòd ſi formulas mihi probatas cognoſcere placet,hæ ſunto.

Cauteria in locis inferioribus.

Hæmorrhoidum apertio.

Minorativum.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis* ℈ij.
Aloës Roſatæ ℈j.
Specierum Eleſcophi ℈ß.
Cum *aqua Boraginis* fiat bolus nebulis involvendus, & duabus horis ante prandium porrigendus, affuſo vel *Melle Roſato* vel *Syrupo de corticibus Citri*.

Id minorativi uſum præſtabit. ſi parcior indè ſequatur egeſtio, poſtridie hic clyſter infundendus.

Clyſter emolliens, flatus diſcutiens.

R. *Capillorum Veneris*,
Florum Chamomillæ,
Meliloti,
Anthos ana Mj.
Seminis Carvi,
Radicis Althææ ana ℥ij.
Decoque in *aqua communi* q.ſ. ad ℔j. in colatura diſſolve
Electuarij Benedictæ laxativæ ℥ß.
Sacchari rubri ℥ij.
Olei Amygdalarum dulcium,
Amararum,
Liliorum alborum,
Chamomillæ ana ℥j.
Salis ℈ij.
Miſce fiat Enema.

Quod impoſterum quoque ſubinde profuerit injeciſſe. In ſequens triduum apozema propinetur ſic paratum.

Apozema aperiens laxans.

℞. *Radicum Bugloſſi,*
Cichorij ana ʒvj.
Polypodij quercini ℥ß.
Liquiritiæ ʒj.
Herbarum Boraginis,
Bugloſſi ana Mijß.
Capillorum Veneris,
Meliſſæ,
Ceterach ana Mß.
Foliorum Senæ ℥ß. ʒß.
Florum Boraginis,
Bugloſſi,
Anthos ana Pij.
Seminum Citri,
Fœniculi,
Aniſi,
Coriandri præparati ana ℈j.
Paſſularum ℥iß.
Decoque in ſ. q. *aquæ fontanæ* ad ℥xv. in colatura dilue
Syrupi è Fumaria,
è Lupulis,
è Corticibus Citri ana ℥j.
Miſce fiat Apozema.

Hoc abſumpto, laudo, quod ſequitur, purgans.

Potio purgans.

℞. *Foliorum Senæ* ℥ijß.
Agarici præparati,
Radicum Mechoacæ,
Polypodij ana ʒj.
Corticis radicis Hellebori nigri ℈ij.
Seminis Aniſi,
Zinziberis ana ℈j.
Macis,
Cinnamomi ana grana vj.
Florum Nymphææ,
Cordialium ana Pj.
Paſſularum ℥ß.
Pulpæ Tamarindorum ʒj.
Decoquantur in ℥viij. *aquæ Boraginis* ad tertiæ partis conſumptionem. poſt horas xij. coletur, adde
Mannæ ℥ij.
Mellis Roſati laxativi ʒx.
Oxymellis ſimplicis ʒvj.
Miſce fiat potio.

His per-

His peractis ad aliud paulò efficacius apozema pergendum cenſeo, quod hunc in modum ſe habet.

Apozema purgans melancholiam.

℞. *Foliorum Sena ſelecta* ℥vj.
Epithymi,
Polypodij ana ℥ß.
Corticis Hellebori nigri ℥iij.
Seminum Citri,
Fæniculi,
Aniſi ana ʒß.
Florum Nymphææ,
Violarum,
Boraginis,
Bugloſſi ana Pj.
Macis,
Cinnamomi ana ℈j.
Zinziberis ʒj.
Herbarum Boraginis,
Ceterach ana Mj.
Meliſſæ Mß.
Paſſularum majorum ℥ij.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ Boraginis* ad ℔j. colatura dulcoretur
Syrupi Violacei,
è corticibus Citri ana ℥iß.
Miſce fiat apozema.

Hoc tribus diebus continuis vel alternis aſſumpto apozemate, vel ſi videatur unius diei quiete interpoſita, ſuadeo ut extracti Hellebori nigri, illo, quem Andernacus docet, modo parati ℈ß. in pilulis indè formatis offeratur. repetendum poſt unum vel alterum diem, ſi parciùs vacuet: hoc & ipſe interdum ſumpſi, & aliis porrexi nullo ſecuto incommodo.

Extractum Hellebori nigri.

Corpore ſic repurgato aliam ſuadeo therapiam, eàmque magnam, ita vocatam, non quia vires exhaurit, aut repentè naturam alterat, ſed quia magnos morbos paulatim ac tutò curat: *quod* enim *paulatim fit*, *tutum eſt*, ſi Hippocrati credimus; ea fit per aquam medicatam de Tettucio nuncupatam, quam viribus integris ex Italia advehunt: flatibus diſcutiendis ac reliquijs vitioſorum humorum per alvum eluendis mirè accommodatum. Hoc remedio Sereniſſimus Princeps N. ab antiquo & penè deſperato capitis dolore, quem partium naturalium impuritas ac colluvies inexhauſta fovebat, poſt alia quàm plurima cum fructu exiguo attentata (DEO adjuvante) convaluit. poterit aqua Venetiis adferri, potanda ut ſeorſim ſcribetur, eàmque absque mora rectiſſimè ſequetur fontis Schwalbacenſis

Aqua Tettuciana & ejus experientia in dolore capitis.

Acidulæ Schwalbacenſes.

Ss 3 uſus

uſus hypochondriacorum ventriculo,cæteriſque viſceribus roborandis, ut ego compertum habeo, valde idoneus ſolo potu, accedente exercitio adhibitus.

Chalybis uſus in pulvere.

Tertium auxilium Chalybis limatura ignita & aceto acerrimo extincta, deinde ſuper lapidem Porphyrium lævigata ſepties opus repetendo. Ejus ℈j. adjectis aliquot granis pulveris Caryophyllorum bolo indè formato ac nebulis obvoluto manè exhibenda. Exercitium imperandum duarum plùs minùs horarum potentiſſimè veteres obſtructiones reſerat,morbóſque indè progenitos ſanat, ut ſæpiſſimè magno cum ſucceſſu ſum expertus.

In victûs ratione,quæ moveam, non habeo, niſi ut Generoſus Dominus bibat comedatque parcè. ciborum varietatem vitet; loco vini,quoniam eo tantopere offenditur, aquam iſtam palato non ingratam ſimúlque valetudini ſuæ utilem deguſtare poterit.

Aqua pro potu ordinario in melancholicis.

℞. *Paſſularum* ℥x.
Tamarindorum ℥ij.
Scobis ligni Tamariſci ℥j.
Herbarum Linguæ cervinæ,
Ceterach,
Capillorum Veneris ana Mj.
Imponantur in vaſculum ligneum continens *aquæ puræ* lib. XX. collocentur in cellam vinariam, ibique permaneant donec defer- buerint, deinde in linteolo parùm contuſæ appendantur *Cinnamomi acuti* ℥ij.

Semina,olea, rotulas, aliáque auxilia, quæ flatus abſumere poſſunt,ceu omnibus nota prætermiſi; interim non neſcius, eorum uſu materiâ flatuum, priùs non evacuatâ, flatus manifeſtè augeri, quod ægro inculcatum velim. De illis quoque quæ cor exhilarant, aut exhilarare creduntur, cujusmodi inter alia eſt confectio illa celebris Alchermes vocata, nihil ſcribendum duxi, quòd iis parùm tribuam. DEUS Optimus Maximus hiſce remediis gratiam adjungat, atque Illuſtrem Dominum priſtinæ valetudini propediem reſtituat, Téque Doctiſſime Vir incolumem diutiſſimè ſervet, rebúsque omnibus ſecundis cumulet. anno 1605.

Confectio alchermes.

CON-

CONSVLTATIO XXXV.

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA, AFFECTUS UTERINUS AB ALIJS PERPERAM CREDITUS.

IN FOEMINA NOBILI.

✱

REctiſſimam Conjugem Dominationis Veſtræ quod attinet, adverto in illa id, quod apud alias mulieres obſervo ferè quotidie: nempe quotieſcunque mulier aliqua morbo affligitur, illico uterum inculpari; licèt ſine culpa ſine noxa ille omnino ſit. & ſcirem equidem libenter, qualia ſigna, aut qualia accidentia in Lectiſſima Cōjuge apparuerint, quæ uterum indicarent malè affectum, ac tam varia vehementiáque ſymptomata exin enata ſignificarent? Uſus & officium uteri muliebris eſt, concipere fœtum, illum retinere, alere, & ſuo tempore excludere. Item ſanguinem menſtruum pro alendo fœtu colligere, & debito tempore ac modo evacuare. Vxor verò Dominationis Veſtræ fœcunda eſt, in menſtrua purgatione nullus defectus; quî igitur tantus morbus tantorum malorum cauſa in utero latere, aſſeverari poterit? Melancholia hypochondriaca, cujus ſigna manifeſta in Lectiſſima Conjuge adſunt, nō ſemper ab utero provenit, verùm ex obſtructione venarum meſaraicarum & viſcerum. habet hic affectus varia & diverſa accidentia: progignit aliquando capitis debilitates, aliquando coctiones turbat, etiam aliquando magnam & morboſam excitat famem, uti in Lectiſſima Conjuge contingit, ſine dubio ab humore acido os ventriculi infeſtante. Cæterùm Melancholia hypochondriaca chronicus morbus eſt, & moleſtus, qui non ſolùm patientem, ſed & Medicum fatigat, omnia ferè Artis remedia eludens.

*Uſus & officium uteri muliebris.

Fames magnâ ab acido humore.

In cibo & potu vitanda omnia ſunt, quæ craſſam & terreſtrem habent ſubſtantiam, utpote paſtilia, farinacea, caſeoſa & ſimilia. Potus ſit vinum Neccaricum benè maturum, clarum, aquâ, quæ ſemel ebullierit, & in qua panis ſit injectus, dilutum. Subinde leni medicamento corpus expurgandum, nempe ſpeciebus Hieræ ſimplicis Galeni, aut foliis Senæ ſelectis, vario modo exhibitis. pilulæ ſi placent, ita fiant.

Minorativum.

℞. *Specierum Hieræ ſimplicis Galeni* ℨj.
Cum *aquâ Cinnamomi* fiant pilulæ N°.xv. deaurentur. pro una doſi.

Sumantur

Sumantur horis duabus ante prandium: roborabunt ventriculum, & aperient obſtructiones: purgant parùm, hoc tamen in caſu medicamentum ſunt eximium. Ex Sena talis potiuncula domi parari poterit.

Decoctum purgans.

R. *Foliorum Senæ ſelectæ*,
Paſſularum minorum ana ℥ß.
Zingiberis inciſi,
Aniſi ana ʒß.
Prunorum dulcium N°. 8. vel 9.
Sacchari fini cochleare unum.
Miſce & infundantur omnia in ℥ix. *aquæ fontis*, coquantur, ac ſtent per noctem. manè colatura clara calida aſſumatur horis quatuor ante prandium.

Purgat ſine noxa. loco *Sacchari*, *Mannæ* ℥iß. vel ℥ij. ſubſtitui poſſunt, ſi in brodio colato diſſolvantur. Quòd ſi verò Lectiſſima Conjunx dulcia faſtidiat, vinum medicatum ex Sena tali modo concinnari poterit.

Vinum medicatum.

R. *Senæ ſelectæ* ℥j.
Zingiberis minutim inciſi ʒj.
Florum Boraginis,
Bugloſſi ana Mß.
Herbæ Abſinthij parùm ein Stäudlein oder zwei.
Miſce fiat ſacculus ex ſerico, imponatur vaſi terreo vitreato, affundendo *vini Neccarici albi* ℥xxvij. & ℥vj. *aquæ Boraginis*.

Vas hoc vitreum in aquam dein ponatur ardentem ſeu ebullientem ſpatio horæ dimidiæ, pòſt in cellam vinariam omnia reponantur & frigeſiant. de hoc vino manè Domina Patiens ad uncias quinque vel ſex hauriat, præmiſſis priùs cochlearibus aliquot ex juſculo. Hoc vinum medicatum aliquot diebus continuis, prout ſcilicet purgaverit, continuari poterit, ſperarem illud Melancholiæ hypochondriacæ multùm profuturum; præſertim ſi Domina Patiens ſingulis menſibus hoc vino ad aliquot dies, præmiſſis priùs pilulis ex Hiera ſuprà dictis, uteretur.

Denique utiles valde forent clyſteres, qui flatus latera infeſtantes trahunt, ac per alvum leniter expurgant. talis eſſet ſequens.

Clyſter ad flatus hypochondriacos.

R. *Mediam partem capitis Vervecis*, *vel Ovis*,
Florum Chamomillæ Mj.
Seminis Cumini ʒij.
Coquantur in *aqua*. de jure ſumatur ℔j. circiter & diſſolvatur

Electuarij

Electuarij Hieræ ſimplicis ʒiij.
Sacchari clyſmatici ℥ijß.
Olei Olivarum ℥ij.
Salis parùm.
Miſce fiat clyſter.

Similes clyſteres utiliſſimi ſunt in affectibus hypochondriacis, quin & affectibus uterinis apprimè conducunt. atque hæc ſunt quæ pro tempore hyemali uſui eſſe poterunt: tempore Veris enim, ſi admonitus fuero,alia tunc,ſi affectus poſtulaverit,præſcribam. Monachij 19. Januarij. 1612.

CONSULTATIO XXXVI.

HYPOCHONDRIACÆ AFFECTIONIS METHODUS CURANDI GENERALIS.

PRO

VIRO NOBILI.

*

MOrbus iſte varius eſt & mirus, plus habet terroris quàm periculi: ſæpe Medicum magis, quàm patientem fatigat: morbus à natura ſua chronicus &, diuturnus eſt,contumax uti alii ferè omnes affectus,qui à melancholia dependent,præſertim quartana febris, non ad hebdomadas tantùm, ſed annos ſubinde ſese extendens. Remedia quibus Nobili huic Viro ſuccurrendum cenſeo, conſiſtunt primò in recta victûs ratione,hoc eſt: vitando ciborum & potûs copiam,alimenta craſſa, farinacea, paſtilia,caſeum,carnem bubulam, ſale conditas vel induratas carnes & piſces,lepores,betam,braſſicam, vinum dulce, cereviſiam,aquam crudam. Inter pharmaca requiruntur poſt primarum viarum purgationem præparantia, hoc eſt, incidentia ſeu attenuantia & abſtergentia, deinde alvum ducentia repetita, quoties neceſſum erit. Poſt ſufficientem purgationem, placeret mihi aqua Tettucii, quæ in Hetruria naſcitur, dein uſus Chalybis præparati, ac demum aquæ acidæ Schwalbacenſes,præter alia confortantia. De hiſce remediis omnibus, aliàs, forſan, ubi erit occaſio, fuſiùs ſcribemus; quandoquidem ſcriptum hoc ad informationem tantummodo generalem pertinet. Monachij 1. Julij 1604.

* * *

CONSULTATIO XXXVII.

MELANCHOLIÆ HYPOCHONDRIACÆ PRÆSERVATIO.

PRO VIRO RELIGIOSO.

Melancholia hypochondriaca omnibus litteratis perpetuum bellum indixiſſe videtur.

AFfectus iſte cognitu facilior eſt, quàm curatu, præſertim jam inveteratus, vocatur Melancholia Hypochondriaca, qui litteratis & ſtudioſis perpetuum bellum indixiſſe videtur. Notas ejus Reverendus Pater dum recenſet, ita graphicè depingit, ut nullum relinquat dubitandi locum. Materialis hujus morbi cauſa eſt ſuccus melancholicus, craſſus ac fæculentus, qui ſæpe in liene interdum in venis meſenterii, non rarò etiam in illis, quæ pylorum ſeu inferius os ventriculi ambiunt, colligitur. Efficiens, calor præter naturam chylum aſſando aliqua ex parte adurit, vaporem ſuſcitat, ſeu ſpiritum atrum, craſſum ac tenebricoſum (ſylveſtrem Avicenna nuncupat) omnium ferè ſymptomatum, quæ Melancholici patiuntur, auctorem. Diocles Medicus ut refert Galenus, malum hoc pylori inflamationem eſſe credidit, cujus ſententia, ſi de vera inflamatione, quæ febre non caret, intelligatur, meritò rejicitur. calor iſte evaporationū opifex vel in hepate, & venis meſaraicis reſidet, vel ab obſtructione, atque partium illarum impuritate ſubinde ſuboritur. In Reverendo Patre iſto obſtructiones, elapſis temporibus ſuccreviſſe, argumento eſt affectûs à purgantibus medicamentis levatio, repurgatâ nempe materiali obſtructionum cauſa. Audio ipſum nunc ſat benè habere, & præſervationem tantùm, ne mala illa, quibus vexatur, recrudeſcant, poſtulare; ea duobus præcipuè operibus continetur. Primum eſt præcautio, ne materia nova colligatur, alterum, ſi quæ collectio ſit, idoneis auxiliis vacuetur; quibus & tertium adiici poteſt, quod in jecoris & meſenterii calidiore intemperie, per quam corpus melancholicis hiſce affectibus opportunum redditur, remittenda conſiſtit; ſed vereor, ut tertium hoc ullis remediis perfici queat, cùm intemperies iſta in vetuſtatem inciderit, atque à nativo temperamento, vitæque inſtituto haud obſcurè foveatur. Prima indicatio abſolvetur victûs ratione, quantùm fieri poterit accuratâ; in cibis fugiat carnes & piſces ſalitos fumóque ſiccatos, paſtilia, lacticinia, legumina, braſſicam, carnes bovinas, porcinas, aliáque edulia corpori craſſiorem ſuccum præſtantia, nemini ferè ignota. Inambulatione utatur matutina, ſtudioſis à

Spiritus ater tenebricoſus melancholicus, ab Avicenna ſylveſtris vocatur.

Victûs ratio.

Cornelio

Cornelio Celſo commendatâ: ſomno nocturno indulgeat, diurnum vitet: in ſtudiis temperet: curas graviores deponat: alvi magnam rationem habeat,aſſumptis, niſi excrementa quotidie exoneret, alimentis ad hoc accommodatis,aliíſque auxiliis adhibitis. Secundum opus præſtabunt evacuationes, quibus ob viſcerum dyſcraſiam, ſtudiorum aſſiduitatem, exercitationúmque raritatem carere impoſterum vix poterit. Mittatur igitur,ſi aliud nihil prohibeat, cum præſentis Medici conſilio ſanguis ineunte Vere, atque etiam ſi videbitur in Autumno per phlebotomiam. Hæmorrhoides etiam ſaltem in Autumno admotis hirudinibus referentur. In purgantibus Hippocrates validum ſatiſque vehemens medicamentum probat, melancholicos per inferiorem ventrem confertim expurgandos docens. Galenus non modò fortioribus, ſed & crebrioribus ad melancholicorum præſervationem utebatur. Verùm ut locum hæc interdum habent, ita virium ratio inprimis habenda eſt. Ego Medicos Recentiores non paucos ſecutus mitiora crebriùs uſurpata Reverendo Patri ex uſu fore conſiderem, & proinde ut corpus bis in anno exquiſitè repurgaret, omnino ſuaderem. Quæ verò maximè arrideant medicamenta, ſubjungam. Primùm placet minorativi loco, potio. Sanguinis miſſiones.

Evacuantia.

R. *Electuarij Diacatholici* ℥j.
Diſſolve in *aqua Boraginis qs.*
Fiat potio.

Idem præſtabit ſequens potio.

R. *Foliorum Senæ* ʒij.
Radicis Polypodij ʒiß.
Zinziberis ℈j.
Seminis Aniſi ℈ß.
Paſſularum ℥ß.
Prunorum dulcium N°. v.

Decoquantur in *aquæ Boraginis* ℥vij. ad tertiæ partis conſumptionem. ſtent per noctem, manè fiat colatura, de qua

R. ℥iij.
Mellis Roſati laxativi tantundem.
Miſce fiat potio.

Quâ ſumptâ, ſequenti die ſanguis mittatur è Baſilica ſiniſtri brachij, poſtmodum Apozema paretur, tribúſque ſumatur doſibus.

Apozema aperiens, incidens.

R. *Radicum Bugloſſi,*
Cichorij ana ʒvj.
Polypodij querni ℥ß.
Liquiritiæ ʒij.

Foliorum Boraginis Mj.
Capillorum Veneris,
Ceterach,
Meliſſæ ana Mß.
Senæ ℥ß.
Epithymi ʒij.
Florum Boraginis,
Bugloſſi ana Pij.
Seminum Citri,
Fœniculi,
Aniſi,
Coriandri præparati ana ℈j.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad tertiæ partis conſumptionem. quieſcant horis xij. deinde colentur.
R. *Colaturæ* ℔j. adde
Syrupi è ſucco Boraginis,
Fumariæ,
Lupuli ana ℥ij.
Miſce fiat potio.

Ad tres doſes triduo aſſumendas. deinde quiere unius diei interpoſitâ, pro alio triduo repetatur, indè purgans ſequatur.

Potio purgans in melancholia

R. *Foliorum Senæ* ʒijß.
Epithymi,
Agarici præparati ana ʒj.
Radicum Polypodij ʒiß.
Hellebori nigri,
Seminis Aniſi ana ʒß.
Zinziberis ℈j.
Macis,
Cinnamomi ana grana vj.
Paſſularum ʒiij.
Florum Cordialium ana Pj.
Decoquantur ſ. a. in *aquæ Boraginis* ℥viij. ad tertiæ partis conſumptionem. ſtent per noctem, manè colentur.
R. ℥iiij. adde
Mannæ ℥ij.
Pulveris Rhabarbari ʒj. ℈ß.
Miſce fiat potio.

Reliquis anni temporibus, ne rurſus morbifica materia cumuletur, ex intervallo menſis unius, clementiori aliquo ventrem ſubducere omnino conſultum fuerit, eujuſmodi eſt.

R. *Pulveris*

R. *Pulveris Senæ præparatæ* ℥ij.
Mellis Roſati laxativi ℥ij.
Aquæ Boraginis ℥iij.
Miſce fiat potio.

Potio purgans clementior.

Doſin horum omnium medicamentorum mutare minuendo augendóque poterit præſens Medicus, mihi formulas inprimis probatas innuiſſe fuerit ſatis. Non abſimilis evacuandi ratio menſe Septembri poterit inſtitui, quo ſpecialiter hæmorrhoides convenientiſſimè aperientur. Ad corporis alterationem quæ fuit tertia noſtra intentio, accommodatum erit balneum aquæ dulcis à Galeno laudatum, placerent acidulæ aquæ Uberkingenſes vel Gôppingenſes tam in potu quàm in lavacro. Efficacior haud paulò eſt Schwalbacenſis potata duntaxat, ſicut & aliæ complures in tractu Rheni. Commendatur & Serum lactis caprini idoneis herbulis incoctis; prodeſt quoq; ſtrenuè creber uſus conſervæ florũ Boraginis, Bugloſſi, Anthos, Violarum. Decantat Arnoldus de Villa nova vinum, cui radices Bugloſſi ſint infuſæ, quod temporis ſucceſſu emolumentum aliquod adferre poſſe rationi conſentaneum eſt.

Balneum aquæ dulcis.

Acidulæ Uberkingenſes. Göppingenſes. Schwalbacenſes. Serum lactis. Vinum cum infuſione radicum Bugloſſi comendatur in hypochondriaca.

CONSULTATIO XXXVIII.

PRO QUODAM EX MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA CONVALESCENTE.

NObiles & Clariſſimi Viri Domini amici cum primis obſervandi. Morbum Clariſſimi Viri Domini Doctoris N. communis noſtri amici, hyeme prætgrita, medicamentis laceſſendum non eſſe exiſtimavi, contentus catapotiis ex Aloë & Epithymo, & clyſteribus blandè alvum emollientibus, modicéque detergentibus. Nocte quidem tantam urinæ copiam nullâ præcedente cauſâ externâ reddidit, ut diabeticam diceres: excedebat ℔viij. ab aquæ fontis puræ & limpidæ aſpectu nihil diſcrepans; clyſtere ex lacte injecto, & linimento inſignem Renum fervorem remittente adhibito, deſiit tam copioſa, ac cruda fluere. Ineunte Vere venam incidi juſſi in manu, quòd in brachio nulla appareret. Veſperi ſequentis diei hæmorrhoides reſeratæ, admotis hirudinibus ſanguinem nigricantem, aduſtum juſtâ copiâ fuderunt. Præter ſpaſmicum quid in cruribus ac manibus nihil magnopere nunc queritur. Ego verò inducias quidem, ſed pacem integram, ac conſtantem minimè ſperans ad alia nonnulla auxilia properandum cenſeo, in

quibus,quæ maximè probo,ſunt iſta. Corpus denuo purgetur, quantum ſatis videbitur. deinde conſuantur in ventre galli veculi

Decoctum Galli veteris alterans.

Foliorum recentium Boraginis,
Bugloſſi,
Meliſſæ ana Mß.
Fumariæ,
Lupuli,
Cichorij,
Endiviæ ana Pj.
Specierum Cordialium ℈j.
Diarhodon Abbatis ℈ij.
Lætificantis Galeni ʒj.
Aquæ ℔xx.

Coquantur ad conſumptionem trium partium deſpumando ſemper, & pinguedinem removendo, circa finem decoctionis adde
Paſſularum ℥iß.
Sacchari ℥j.

Serventur uſui, manè porrigantur ℥vj. Poſtea devoret has vel ſimiles pilulas.

Pilulæ Chalybeatæ.

R. *Chalybis cum aceto præparati* ℈ij.
Pulveris Rhabarbari ℈j.

Cum guttis aliquot *Syrupi de Abſinthio* fiant pilulæ.

Exſpatietur ad campos, ambulet pro ratione virium. Vbi in tali therapia perſeveraverit dies 30. vel paulò ampliùs, Serum lactis caprilli, & aquæ dulcis balneum ex uſu eſſe poterunt. Verùm de omnibus Veſtrum eſto judicium,& cenſura,Vos ſtatuite, ego ſententiam meam innuere volui, non mordicùs tenere. Valete mecum, mutuum amate,ut facitis. Monachij 6.Maij 1610.

CONSULTATIO XXXIX.

AN IN HYPOCHONDRIACIS USUS TETTUCIANÆ ET CHALYBIS SALUTARIS.

Ad Medicum quendam

EX literis tuis decimo tertio Auguſti ſcriptis, ſed ante dies non ita multos mihi redditis facilè perſpexi ſicut ex ungue leonem Te Virum humaniſſimum

ſimum juxtà ac doctiſſimum eſſe, quem deinceps in eorum numero habebo, quos obſervare & diligere præcipuè ſoleo, id quod tibi perpetuò de me polliceri, ac perſuadere audacter poteris. De affectu Reverendi Patris Eccleſiaſtæ Veſtri hypochondriaco, quæ adverſa valetudine ipſe detentus perfunctoriè ſcripſi, quæque ad eum tollendum, vel certè minuendum propoſui remedia, ea talia ſunt,ut nihil ſit,cur ſententiam de illis meam mutare debeam: nihil dubitavi in hepate & liene obſtructiones eſſe, quæ in vetuſtatem jam incidiſſent,non tam vaſa, quàm parenchyma occupantes, hoc eſt meatus,ſeu poros viſum ſubterfugientes. Solet autem in eo affectûs genere urina non valde à ſana diverſa conſpici, neque alvus immodicè ut in cavæ partis infarctu fieri aſſolet,fluere; neque corpus, ut in gibba obſtructa fit, tabeſcere. De locis, per quæ materia viſcera obſtruens ſit repurganda Galeni ſententiam cùm pluribus in locis explicatam,atque à rei notitia, tum verò præcipuè à jecoris & venarum formatione, figura ac ſitu deſumptam ſequi placuit, nimirum quæ in ſimis ſunt partibus ad alvum, quæ in gibbis per venas emulgentes & renes eſſe educenda, quamvis è gibba, ſi copioſo humore excrementitio abundet, ad inteſtina ducere oporteat, miniméque tutum ſit ad vias urinarias earum evacuationem moliri, majori ipſorum parte per ventrem priùs non evacuatâ. Non me latet, venarum Portæ ac Cavæ anaſtomoſes veteribus incognitas, in quarum demonſtratione ex Recentioribus Archangelus Piccolomineus in ſuis anatomicis prælectionibus; nec non Andreas Laurentius in ſua hiſtoria anatomica utilem nobis, atque laudabilem operam n[illegible]ârunt. Sed hæc ſunt Excellentiæ Tuæ dudum notiſſima, neque eſt, cur homo minimè otioſus ipſis nunc immorer. Aquæ montis Latini, ſeu de Tettucio potatio ad complures dies metu exſiccationis mihi ſuſpecta hoc in corpore non eſt, rationi experientiæque intento, cùm promptè è corpore eluatur, eo, quo præſcripſi modo, aſſumpta: hoc enim tempore nihil ab ea metuendum eſt. Chalybis uſus, ſive Electuarium ex eo facias, ſive Pilulas in eodem corpore nequaquam ſit ſuſpectus,vetuſtas obſtructiones expediet, abſumétque, ſiquid aliud, cibus & potus paulò pòſt ſuperveniens ſat humectabunt. res nobis non eſt cum homine tabido, ac febriculoſo, quæ cavere Tua Excellentia ac quilibet prudens Medicus non neſcit. Ego priusquam Claudinus ſua ederet, multis antè annis Tettucianâ aquâ, & Chalybe uſus ſum feliciter, nihilque minùs propoſitum habeo, quàm in Reverendo Domino iſto remedium aliquod periclitari.

Hepatis gibba pars per urinam, cava per alvum expurgatur, niſi gibba copioſo humore nimis ſit referta.

Tettucianæ, & Chalybis uſus innoxius.

* *
*

CON-

CONSULTATIO XL.

RATIO UTENDI ACIDULIS SCHWALBACENSIBUS.

PRO PERILLUSTRI DOMINO N. HYPOCHONDRIACO.

AQuarum iſtarum uſus tutus non eſt corpore priùs non evacuato, medicamentis alvum ducentibus. ſed & accurata vivendi ratio, ac præcipuè cibi & potûs frugalitas aquas iſtas ſumenti eſt neceſſaria. In alimentorum delectu vitanda ea, quæ ab Illuſtriſſimi Domini nuper febricitantis menſâ hîc exulârunt. exceptis teneris, ac laudabilibus carnibus, qualis eſt gallinarum, caponum, pullorum columbinorum, & gallinaceorum.

Medicamentorum uſus eſto, qui ſequitur. Primùm pilularum, quas ſecum habet, devorentur viginti, horâ unâ ante prandium. ſuperbibatur mox juſculum. Deinde manè ſummo bibat Syrupum præſcriptum calidum & rurſus dormiat horâ unâ vel ampliùs; repetatur ille duobus ſequentibus diebus continuis, prandeat horâ ſolitâ.

Syrupus præparans.

R. *Syrupi è Boragine,*
Betonica,
Mellis Roſati ana ℥ß.
Aquæ Boraginis ℥ij.
Meliſſæ ℥j.
Adde
Juris Zinziberis conditi ℥ß.
Fiat potio, repetenda per triduum.

Quarto die offeratur potiuncula purgans in aurora, & ab ea aſſumpta dormiat horulâ unâ. deinde tribus vel quatuor horis exactis ſorbeat octo vel decem cochlearia juſculi carnium non ſaliti. prandeat horâ conſuetâ.

Potio purgans.

R. *Foliorum Senæ ſingulari diligentia electorum abjectis ſtipitibus* ℥ß.
Zinziberis inciſi,
Seminum Aniſi ana ʒj.
Paſſularum ℥ß.
Florum Boraginis,
Anthos ana Pj.

Decoquantur

Decoquantur in *aquæ fontis* ℥viij. ad tertiæ partis conſumptionem. ſtent per noctem, manè fiat colatura ſine expreſſione ad ℥iij. in his diſſolve

Mannæ ℥ij. ʒij.

Adde

Rhabarbari electiſſimi aquâ Cinnamomi irrorati ℈j.

Fiat potio.

Si parciùs deijciat exinde, ſumat veſperi horâ unâ ante cœnam clyſterem ſequentem. Clyſma.

℞. *Florum Chamomillæ* Mj.

Seminis Carvi ʒij.

Decoquantur in ſ. q. *juris cum medio capite vervecis.*

De jure colato

℞. ℥xj.

Adde

Sacchari rubri,

Olei Chamæmelini ana ℥ijß.

Anethini ℥jß.

Salis ℈ij.

Miſce fiat enema.

Corpore ſic evacuato auſpicetur aquæ potus hoc ordine & modo. Manè inter horam quintam & ſextam, depoſitis alvi fæcibus, aquæ acidulæ ex ipſo fonte hauſtæ novem aut decem unciæ in vaſculo argenteo operto, immergantur in aquam ferventem, in eâque paululum (ut coràm dixi) detineatur, deinde bibatur, móxque edatur una vel altera rotula ad id parata.

℞. *Sacchari albiſſimi in aqua Meliſſæ diſſoluti* ℔ß. Rotulæ ad flatus.

Cum *Oleo Seminis Aniſi* ʒj. fiant rotulæ pondere ʒj. ad ſcatulam. item

℞. *Aromatici Roſati recens tabulati* ℔ß. ad ſcatulam.

Prodeat ad campos, ambulet pro ratione virium circiter horam. domum reverſus ſudorem extergat, & in lectulo quieſcat uſque ad horam prandii. Sequenti die aquæ tres aut quatuor uncias addat, ídque quotidie faciat, donec ad uncias duo de viginti pervenerit, in eâque doſi perſeveret dies (plùs minùs) quindecim. alvi interim rationem diligenter habeat, ad cujus ſolutionem (niſi ſpontè fluat) pilulas novem vel decem ante prandium devoret, vel clyſteriolum lenientem veſperi admittat. Ventriculi regionem inungat ante prandium oleo iſto calido.

Oleum ſtomachale.

℞. *Olei de Abſinthio,*
Maſtichini,
De Mentha ana ℥j.
Olei Nucis Moſchatæ expreſſæ ℥ſs.
Miſce liquentur ad ignem.
Signetur oleum pro ſtomacho.

Acidulæ tepefactæ bibendæ.

Scio acidos fontes frigidos bibi, & à calore vires amittere, ſed juſtis de cauſis in hoc corpore tepefactos probo. Clariſſimos Medicos præſentes, qui Domini Patientis curam ſuſcipient, latere non debet, ipſum laborare flatibus hypochondriacis, jam multos annos, calore moleſtis, atque indè procreata pectoris compreſſione, ventris rugitu ac murmure, alvi item duritie, quæ multis diebus ſponte nihil deponit; corpore toto eſt debili valetudine cauſaria; jam duobus annis verno tempore febre tertiana laboravit, ſed paucis remediis accurata accedente vivendi ratione, ab ea eſt liberatus. ad aquas acidulas confugit eas experiundi cauſâ, ſi ventriculo robur aliquod indè conſequi queat. Cibi & potûs eſt pauciſſimi ob concoctionis difficultatem ac tarditatem, quam experitur & pertimeſcit. Studiis ac meditationibus eſt addictus totus; exercitia tamen corporis non planè intermittit, cum tempeſtas arridet.

CONSULTATIO XLI.

MODUS POTANDI AQUAS ACIDAS SCHWALBACENSES.

PRO

VIRO REVERENDO HYPOCHONDRIACO.

CUre optimo Reverentia Veſtra de me ſibi pollicetur, quidquid ego uſu cōperi, quod ad ipſius valetudinem reparandam, confirmandámque facere poſſit: erit nempe id totum, ac perpetuò in veſtro nutu, ac imperio, quantulumcunque ſit. Schwalbacenſes aquas, ſpero Reverentię Veſtrę profuturas, potu, non balneo: neminem enim vidi ex illis lavantem. roborabunt ventriculum, ac viſcera mirificè ritè potatæ, præcedente ſcilicet corporis evacuatione, & modo hauriendis illis convenienti, ac debito. Puto primo die bibendas manè octo uncias, indè corpus exercendum ambulatione, ut moris eſt. Secundo 12. Tertio 18. Quarto 24. Quinto 32. eâque menſurâ pergendum diebus circiter 20, vel paulò diutius, ſi modò facilè ferat ventriculus, nullúmque id vetet ſuperveniens ſymptoma, cujuſmodi eſſe poſſit aquæ in corpore retentio,

Aqua Schwalbacenſis pro balneatione non inſervit.

ventris

ventris inflatio, aut virium lapſus immodicus. Sin alvus officium non faciat lenientibus clyſteribus, aliiſque auxiliis eſt adjuvanda. Poſtquam in 32. unciarum potu aliquamdiu perſeveravit, demenda paulatim doſis eſt, ac deſcendendum, uti aſcenſum fuit. ſi vires tantæ aquæ copiæ potandæ impares videbuntur, pauciore contenta brevi ſe indè expediet Reverentia Veſtra; prudentiâ enim inprimis hîc opus eſt. Amicus noſter communis Stevartius in ſumma inappetentia ac morbo tantùm non deſperato ſtrenuè his aquis eſt adjutus, ſed jecur illi cum toto venoſo genere calidum eſt impenſè, hujusmodi hominibus præcipuè ſolet auxiliari fons ille. DEUS conſilium dirigat; ac Reverentiam Veſtram priſtinæ ſanitati benignè reſtituat, id quod unicè precor, méque Reverentiæ Veſtræ precibus commendo. Monachij 20. Maij 1605.

Jecori impenſè calido auxiliantur acidulæ Schwalbacenſes.

CONSULTATIO XLII.

MODUS UTENDI ACIDULIS BRUZZENSIBUS.

PRO VIRO REVERENDO HYPOCHONDRIACO, NEPHRITICO.

Priusquam Reverendus Pater Simon acidulas aquas Tyrolenſes potare incipiat, noverit corpus medicamentis alvum ducentibus, ritè, ac quantùm ſatis Excellentiſſimo Medico præſenti videbitur, repurgandum. Remediorum, quibus hîc uſus nuper fuit, formulas hiſce adjunctas habebit, quas Domino Doctori cenſenda porriget. Corpore vacuato ex fonte ipſo manè, depoſitis alvi & veſicæ excrementis hauriat acidæ aquæ circitèr ſex uncias, mox totidem alias, atque ſic tertiò; ultra horæ quadrantem in iſtam aquæ potationem non inſumens: indè ambulet horâ unâ plùs minùs. Domum reverſus, ſi ſudor erupit, eo deterſo, quieſcat, minimùm horâ unâ; prandeat frugaliter. horâ veſpertinâ quartâ tantundem aquæ bibat, vel paulò minùs. ſequenti die manè bibat aquæ uncias 24. veſperi 18. tertio manè aſcendat ad 32. & veſperi ad 24. uncias. Atque ſic quotidie augeat aquæ doſin, donec manè perveniat ad libras ſex, ſeu uncias 72. Veſperi verò ad 54. unius horæ ſpatio, vel breviore adhuc tempore abſolvenda potatio quæque erit. eâque abſolutâ mandendum aliquid ſeminis Aniſi, vel Fœniculi vel Carvi ſaccharo incruſtati: atque indè exercendum corpus. Quòd ſi verò ventriculus aquam ferat facilè, uti eſt capax,

& corpus ſatis robuſtum, aſcendere manè ad 100. uncias licebit. Veſperi verò 54. non excedat. Cibus omnis parcior eſſe debebit ſolitò, cavenda erit alvi conſtipatio, utendum, ſin ea ingruat, clyſteribus emollientibus, aut electuario noſtro Diaprunis Magiſtrali, vel alio ſimili auxilio. ſi venter largiùs fluat, utile erit; ſed videndum tamen, ne quid nimis. Viribus enim conſulendum, quas ſi proſterni contingeret, aut dyſenteria oboriretur, à potatione deſiſtendum, ſicuti etiam omittenda foret aqua, ſi neque per urinas, neque per ſudores, neque per alvum è corpore evacuaretur; alioquin in ejus uſu menſe integro vel ampliùs perſeverandum. ſi venter non fluat largiter, octavo quoque die purgans aliquod ſumendum. Deus Benignus faxit ut ad Reverendi Patris reſtaurandam valetudinem plurimùm proficiat. Monachij die 18. Junij anno 1605. Sequuntur formulæ remediorum, quibus Reverendus Pater ante acidularum uſum, ut utatur, conſultum eſt.

Victûs ratio.

R. *Electuarij LenitiviFlorenzolæ* ℥iß.
Aquæ Boraginis q.s.
Miſce fiat potio.

Apozema aperiens purgans.

R. *Radicum Cichorij* ʒv.
Bugloſſi ʒiijß.
Liquiritiæ ʒiß.
Polypodij querni ℥ß.
Herbarum Boraginis,
Capillorum Veneris ana Mj.
Ceterach,
Foliorum Senæ ſelectæ ʒiiijß.
Seminis Aniſi ʒiß.
Zinziberis ʒj.
Paſſularum ℥iß.
Decoquantur in ſ. q. aquæ ad ℔j. in colatura dilue
Syrupi è Boragine ℥iij.
Mellis Roſati,
Oxymellis ſimplicis ana ℥iß.
Miſce fiat potio ad tres doſes.

Potio purgans.

R. *Foliorum Senæ electæ* ʒij.
Radicis Polypodij querni ʒiß.
Corticis radicis Hellebori nigri,
Epithymi,
Agarici præparati ana ℈ij.
Zinziberis ʒß.
Radicis Liquiritiæ ʒiß.
Macis,

Seminis

Seminis Aniſi ana ℈j.
Florum Cordialium,
Nymphææ ana Pj.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ Boraginis* ad ℥iiij. ſtent per noctem. manè fiat colatura, in qua dilue
Mannæ ℥ijß.
Adde
Mellis Roſati laxativi ℥j. Eneum.
Miſce fiat potio.
R. *Herbarum Malvæ* Mij.
Chamomillæ cum flore Mj.
Radicis Althææ ʒvj.
Seminum Lini,
Aniſi,
Carvi ana ʒiß.
Decoquantur in ſ.q. *aquæ* ad ℔j. in colatura diſſolve
Sacchari rubei,
Mellis deſpumati ana ℥ij.
Olei Chamæmelini,
Liliorum alborum ana ℥j. ʒvj.
Salis ʒj.
Miſce fiat clyſter.

Nota, ſi non eſſent ad manum herbæ pro decocto, néque olea, paretur ſimpliciſſimus clyſter hunc in modum. ſumatur jus carnium, in illo diluantur Mellis crudi cochlearia v. vel vi. & olei Olivarum cochlearia viij. addendo Salis ʒj. vel pondus ducati aurei.

CONSULTATIO XLIII.

DESCRIPTIO QUALITATIS AC VIRTUTIS, ACIDI FONTIS IN LADIS, IN TYROLI, PROPE BRUTZ, IN SUPERIORE ZELLENSI VALLE SITI.

Eandémque modus ſeu methodus adhibendi convenientiſſima.

✶

Acidulæ iſtæ optimæ ſunt, virtutem ex Alumine, ſale Veneris, ferro, pauco ſulphure, cum ſedimento Calcis pluſculi, obtinent. gratiſſimæ ſunt in potu; etiam in Mineralia aquarum Bruzenſium.

 magna

magna quantitate potæ non nocent. pituitoſam craſſam ventriculi humiditatem conſumunt, uti & choleram. ventriculo de-bili admodum profunt; appetentiam conciliant, hepar refrigerando temperant,obſtructiones renum lieníſque referant,bilem expurgant, veſicam mundant. Febricitantibus auxiliantur; iiſque omnibus, qui ad febres proclives ſunt,ac præcipuè nephriticis. Balneando nervos confortant,antiqua cutis ulcera ſanant,ac ſcabiem tollunt. Verùm colicis affectibus cenſentur contrariæ,atque adeò vitandæ omnibus,qui colicæ cæteroquin ſunt obnoxii.

Quibus proſint?

Quibus noceant?

Methodus utendi.

Cæterùm methodus illis utendi convenientiſſima hæc eſto. Primò corpus ſufficienter ſit purgatum,ut viæ omnes ſint liberæ, acidulæque ſine impedimento ſeu per urinam, ſeu alvum; ſeu ſudorem, tranſire poſſint. Manè horâ quintâ ſurgendum; & alvo veſicâque exoneratâ, ac ſimul pectore per excreationem liberato, quarta pars menſuræ Monacenſis (ſunt unciæ medicinales novem) ebibenda, ita tamen, ut aquâ acida priùs in congruo vaſculo cooperto aſſervata, in aliam aquam ferventem immittatur, ibíque tam diu, donec aliquis unum pater noſter dicat, detineatur, ut paululum de eximio frigore remittat. pauló pòſt, nempe poſt unum miſerere integrè dictum; denuo prior quantitas aquæ & eodem modo parata, repetatur; exin corpus ambulatione per campos exercendum per horam integram, quâ finitâ in lecto quieſcendum erit,atque ſi ſudor erumpat,illi indulgendum; quieſcat autem ferè per horam. Interim ab aſſumpta aqua, horæ quatuor quaſi ad prandium uſque intercedant, donec ſaltem media aquæ epotæ pars fuerit evacuata per alvum,urinam, aut ſudorem. Altero die quantitas aquæ erit augenda unciis circiter novem, hoc eſt menſuræ Monacenſis quartariæ tres ebibendæ. Tertio die menſura una. Quarto menſura una & ſemis. Quinto menſuræ duæ; atque ita per quindecim circiter dies continuandum erit. Potus veſpertinus ex cauſis rationabilibus omittendus eſt; præſente tamen ſiti,hauſtus conceditur; & ſi poſſibile eſt, non priùs quàm horâ unâ ante cœnam. Illi qui nephritide afficiuntur, pilulas quindecim vel octodecim ex Terebinthina paratas ante potum acidularum, horam unam aſſumant: optimum eſt remedium; ſed veſperi potus ſit parcus, manè auctior.

Nephritici pilulas ex Terebinthina acidulis præmittunt.

Operatio acidularum benè erit conſideranda, præcipuè ſi fortis fiat per alvum purgatio: nam ſi quis dyſenteriam timeat,abſtineat ab acidulis: attamen utiliſſimum eſt; ſi bona per alvum fiat evacuatio. Quòd ſi alvus ſit conſtipata, aquâ per urinam aut ſudorem ſolummodo tranſeunte, electuariū Diaprunis in principio menſæ devoretur; aut clyſma ex brodio carnis, unciis duabus & ſemis Sacchari, cochlearibus ſeptem olei communis,paucóque ſale paratum inijciatur. Et cùm acidulæ iſtæ famem concilient, à copioſo cibo abſtinendum, ac

In alvi conſtipatione quid agendum?

bono

bono cum appetitu è menſa ſurgendum erit. Cibi ſint euchymi, vinum bonum, quod ſi generoſius, acidulis temperandum. Ab aëre frigido cavendum; ſi pluviæ inſtant, domi ſe continendum & exercendum erit. Si verò aquæ iſtæ acidæ intra corpus ſubſiſterent, venter intumeſceret, periculum hydropis inſtat, atque adeò maturè ab illis abſtinendum eſſe ſuadeo.

Inter præcipua puncta, obſervatione digna, unum eſt, ut non nimium comedatur, cibi ſint tenues molles laxantes, poſt reditum etiam domi appetitui nullo modo ſatisfiat, ne exin operatio acidularum impediatur. Diæta & victûs ratio ſit parca.

Melius eſt, ſi in loco bibantur acidulæ. verùm cùm ibi commoditas ferè nulla ſit, lectus ſecum deportandus, vinum, aromata, paſſulæ, pruna, ſaccharum & ſimilia, ac ſimul coquus aliquis, ſi poſſibile eſt, accipiendus erit.

Cæterùm ante feſtum divi Jacobi nemo accedat: nam ante menſem Auguſti perpetuæ ferè pluviæ ſunt, quæ fontem acidum non parùm reddunt turbidum, minúsque longè ad potandum utilem. Porrò fons acidus iſte omnia ferè excrementa contrahit in principio, maximè circa pectus, caput purgat vehementer; per urinam plurimum evacuatur, ſi per alvum & ſeceſſum optima cenſetur evacuatio. Ac licèt primis diebus aliqui ſe malè ſentiant, à continuatione tamen & potatione non deſiſtendum: brevi enim & ſpatio trium dierum ſe iterum recolligent. Denique conſultum eſt, ut vaſa aliqua multa vitrea ſecum patiens domum redux deportari curet, pro uſu ſubinde neceſſario, nam in aliis vaſis præter vitreis aſſervari iſtæ acidulæ non poſſunt. Tempus quando vigeant?

Hippolitus Guarinonius in conſilio aliquo hæc habet, quæ, cùm prioribus ferè ſint ſimilia & conformia, addere & illa viſum eſt.

Acidulæ iſtæ habent virtutem ex Alumine, ex ſale Veneris, ex Ferro, ex parte Sulphuris, & Tartari quaſi ſedimento. hinc potenter attenuant, incidunt, adſtringendo relaxant, reſerant, aſpera leniunt, calculos comminuunt, arenas exterminant, hypochondriacis conducunt, in activis ſunt temperatiſſimæ, ventriculo roborando, appetitum ſuſcitando mirabiles. ab hepate & meſenterio omnia & à ventriculo educentes, uti in pluribus alvum modeſtè cient, & quod reſeratione deoppilârunt, eliminant. accedit etiam illis, uti omnibus ferè thermis & mineralibus aquis, vis illa ſpecifica, quâ deploratiſſimos morbos curant; alterum etiam accedit, cui veteres omnes præſertim Hippocrates plurimùm tribuit, mutatio ſcilicet aëris eodem ſcatùriginis acidularum, ſi quo alio in loco ſelectiſſima; nimirum alto, montano, perſpirabili depurgato aëre. Tempus quo acidulæ iſtæ præpollent facultate, à menſe Majo ad æquinoctium autumnale porrigitur: validiſſima ad ſolſtitium, & in canicularibus. Alia deſcriptio acidularum Bruzzenſium.

Sapidiſ-

Sapidiſsimam è fonte coràm ipſe bibes.
Hoc age ſis, falſum dices tamen: expetis ipſam?
Hic hic dives opum mons ſubeundus erit.
Sic calidæ ad centrum latitant immobile thermæ,
Aurea maſſa ſoli pectore, gemma mari.
Fata fatigatis vendunt ſua dona colonis,
Sudorem manans corpore ſudor emit.

Acida effectus ſuos enumerat, magni cujuſdam Phyſici judicio.

Eluo veſicam, febrim debello, culinam
Reſtituo, choleram mordeo, phlegma tero:
Obſtructos reſero renes, ſolvóque lienes,
Corrigo, quod rimis polluit ora jecur.
Balnea noſtra breves didicerunt tendere nervos;
Et malè diductam conſolidare cutim.
Me tamen evitet (memori quod mente reponas)
Quisquis conſvêſti tormina ſæva pati.

Documenta obſervanda hoſpiti ad acidas abituro, ne ſuo illæ priventur fine.

Hoſpes aquis uſure meis, convivia prudens
Hauſtáque non apto tempore vina cave.
Frigus & irati cautus fuge jurgia cœli;
Quid tibi cura gravis, mæror & ira ſubit?
Difficiles (verbo moneo) non ingere cœnas,
Semper enim teneros vult medicina cibos.
Cruda ſuis motu reparabis corpora lymphis,
Quas tamen & certa cum ratiône bibes.
Cætera conſultus tibi dicet Apollinis ordo,
Cui niſi parueris, dedecus unda tulit.

Experimentum chymicum, de pulvere ex acidis parato.

Secretum doceo chymicum, rape fomite flammam,
Et propè mordaces decoque ſemper aquas;
Ignique in dicto facito indignetur ahenum
Occluſum, & querulo per nemus ore gemat.
Tum cape, quod fundo remanet, tere ſole peruſtum,
Hinc arcana feres tu tibi terna domum:
Hepar prima ſolent reparare, ſed altera renes,
Qui ſupereſt, curat vulnera quæque, Cinis.

THOMÆ MERMANNI
CONSULTATIONUM ET RESPONSIONUM
LIBER QVINTVS.
DE RENUM, VESICÆ, AC GENITALIUM INCOMMODIS.
CONSULTATIO I.
DOLOR NEPHRITICUS.
PRO FOEMINA NOBILI.

*

PRo demulcendis doloribus, quos nobilis Domina toties circa lumbos patitur, placeret mihi, niſi Domina nuper primùm purgata fuiſſet, ut Caſſiam inferiùs notatam ſumeret, aut interdum clyſmate, alvo præſertim duriore, vel etiam poſt aſſumptam Caſſiam, ſi illa ſufficienter non evacuaret, uteretur. Sanguis ex pedibus mitti poteſt diebus tribus aut quatuor ante purgationes menſtruas. Porrò ad dolores demulcendos herbas conſcripſi, ex quibus decoctum tali modo fiat. Accipiatur herbarum media pars, item ℥iiij. mellis, coquantur per horæ quadrantem in aquæ ℔iij. poſtea colentur per linteum. de hoc decocto manè bibatur bonus hauſtus, & ſi dolores urgent, etiam tribus horis poſt cœnã. Tempore quadrageſimali proximo uſu carnium Domina patiens indiget. confert caro hœdina, aves ſilveſtres, &c. *Mulſum ſeu hydromel nephriticum.*

℞. *Florum Caſſiæ recenter extractæ* ℥v.
Radicis Turbith ℨß.
Pulveris Cinnamomi acuti grana iiij.
Miſce fiat bolus.

℞. *Foliorum Malvæ* Mijß.
Parietariæ Mß.
Seminis Althææ ℥j.
Fructuum Sebeſten N°. xij.
Radicis Liquiritiæ ʒij.
Paſſularum ℥j.
Inciſis incidendis,miſceantur ad chartam ; pro decocto.

CONSULTATIO II.

DOLOR NEPHRITICUS, SEU CALCULUS RENUM.

IN

VIRO REVERENDO.

Calculorum cauſa.

SI vera ſunt, quæ de renum calculo priſci Medicinæ parentes, ac poſt illos Medici alii celebriores literis mandàrunt, nimirum materialem mali hujus cauſam eſſe humorem craſſum; efficientem verò renum intemperiem calidam,quâ craſſa tenaxque materia in lapillum excoquitur, quis non intelligit,in eam curam incumbendum eſſe,ne craſſi viſcidi aduſtique ſucci in corpore colligantur, collecti verò à renibus avertantur, ipſorúmque renum fervor idoneis auxiliis remittatur? Primum præſtabit, ſi quid aliud accurata vivendi ratio, in qua etſi delinquere non ſolent iſtius inſtituti religioſi, ſi cibi potúſque copiam ſpectemus, monendus tamen hic eſt Pater nonnullorum, quæ ad alimenta ſeligenda ſpectant: vitanda enim prorſus ſunt lacticinia omnia, caſeus, paſtilia, legumina (jus cicerum piſorum ac lentium admittuntur) oryza,hordeum ad diſſolutionem coctum non inconveniet. Ova ſorbilia recentiáque proſunt rejecto albumine, frixa duráque à menſa exulent. In carnibus reſpuatur bubula,bovis præſertim vetuli,porcina, omniſque generis ſalſa fumóque ſiccata. Inter volucres incommodant anſeres,anates, cæteræque in aqua degentes; neque noxâ carent ſuâ partes animalium pingues aliáque craſſum,ac glutinoſum alimentum præſtantes, cujuſmodi ſunt inteſtina, caput, hepar, cor,lien,pedes. ſint carnes omnes teneræ, animalium nempe non ita recens mactatorum. Piſcium uſus rarus eſto, ac parcus,innocentiores erunt pelagij ſeu marini, ex fluvialibus lucii parvi, percæ, truttæ, thymali. Lædunt valetudinem anguillæ, parùm tutæ ſunt oſtreæ, gammari. Panis obeſt non probè coctus,non ſatis fermentatus,non

Victus ratio.

ſalitus

ſalitus; quæ ex puriſſima conſtat farina, obſtruendo nocet, noxâ carebit minùs albus,qui ſcilicet furfurum aliquid habet. Potus ſit vinum album,clarum, maturum, aquâ fontanâ largiter dilutum: nigrum,craſſum,dulce, non maturum omittatur. Adverſiſſimum eſt corporis exercitium ante primam concoctionem; quæ in ventriculo obitur,peractam; labor enim præcedere cibum debet monente Hippocrate. Quando igitur iter faciendum eſt, prandeatur frugaliùs, coctionique tempus,quod ſatis videbitur, concedatur, priuſquam ulteriùs pergat. Alvi ratio diligens habeatur,ut quam laxam eſſe multùm ſanè referat,proderunt valde clyſteres lenientes ſubinde injecti. Hactenus de cautela,ne craſſi ſucci in corpore ſuccreſcant,nunc paucis,qua arte collecti,à renibus averti,educíque è corpore queant, perſtringamus. Si ventriculus ejusmodi gravetur humore,quod in iſto vivendi genere euitare vix poterit, ſi faſtidium adſit,vomendíque facilitas,vomat,ſumpto manè priùs Oxymelite, cujus ℥ij. in aquæ Chamomillæ,vel juris carnium non ſaliti ℥vij. vel viij. diluantur. ſi validus pauló petatur vomitorium loco juris aqua ſubſtituatur, cui ſeminũ Atriplicis ʒij. radicum Aſari ʒj. ſit incocta. convenientior vomitus eſt in æſtate,in hyeme per alvum ſit purgatio, ut docet Hippocrates. Singulis menſibus devoretur ante prandium ʒj. ſpecierũ Hieræ ſimplicis Galeni,vel pilularũ Maſtichinarum Conciliatoris, vel Aloës Roſatæ ℈ij. Rhabarbari ℈j. in pilulas redacti. Sequenti die, niſi venter largiùs fluxerit,flores Caſſiæ recentis circitèr ʒvj. vel vij. aſſumat adjecto pauxillo Liquiritiæ & ſeminis Aniſi, ſin alvus adſtricta, ſicciórque fuerit,clyſter emolliens præmittatur. His peractis, ſi metus ſit,vel lapillos,vel ſaburram, craſſius rudimentum lapidis in renibus hærere, purgato priùs ventre bibatur tribus vel quatuor diebus manè hauſtus vini albi, in qua grana ſeu fructus Halicacabi ſeu Alkekengi ſint infuſi v. g. in hunc,qui ſequitur, modum. Sumantur fructuum dictorum ℥ij. minutim incidantur, excipiantur phialâ vitreâ,affundantur vini albi ℔ij. in cella viñaria, per tres, quatuor dies, aſſervetur in quatuor hauſtus. Renis utriúsq; regio unguento Roſato infrigidante Galeni ac Santalino manè, & veſperi inungatur, atque hæc de præſervatione. Quòd ſi verò arte nulla præcaveri poterit, quò minùs renum calculus enaſcatur, doloréſque inferat, quinquageſimum enim ætatis annum,qui exceſſerit, neminem ſanari cenſet Hippocrates, operæ pretium erit pauca hîc adnotare, quæ tempore ſævientium dolorum ex uſu eſſe queant. Cùm primùm nephriticus dolor Reverendũ Patrem corripit, clyſter injiciatur, illico paratus ex Malua Parietaria, Violaria, Chamomilla, Meliloto, radicibus Althææ & ſeminis Lini, adjecto Saccharo rubro,oleo Olivarum & Sale. Si venter indè parùm eijciat, repetatur additâ Caſſiâ, vel Melle; Herbæ verò decoctæ contundantur, admixtáque pinguedine caponis & oleo

Panis ex puriſſima fa[illegible] conſtans obſtruendo nocet, noxâ caret minùs albus, qui ſcilicet furfurum aliquid habet.

Vomitorium.

Vinum cum infuſione Halicacabi.

Unguentum ad renes,

Methodus curandi nephriticos dum dolor urget.

oleo Amygdalarum fiat cataplaſma loco dolenti ſæpius imponendum. Si nihil proficiat, balneo aquæ dulcis utendum bis térve uno die. Poſt egreſſum patiens locus inungatur oleis laxantibus & anodynis, ut Chamomillæ, Liliaceo, Amygdalino. Sequenti manè potiuncula purgans (niſi ventris fluxus vel aliud quid obſtet) offerenda ex Mannæ ℥ijß. ſolvatur in aqua Chamomillæ, & quarta parte vini Malvatici. Vacuato corpore, ventre ſemel atque iterum (unica enim potiuncula vix ſatis eſſe poteſt) ſi calculus in via hæreat ſequentibus excludi poterit auxiliis. Primum ſit jus Cicerum rubrorum, cui radices Petroſelini ſint incoctæ, conditum modico ſale & butyro recenti, vel oleo Amygdalarum dulcium. Alterum, radicum Ononidis ℥j. ℔iij. vini albi infundatur, bibat manè hauſtum, itémque veſperi ante cœnam horâ primâ. Tertium, contundatur raphanus, de ſucco ſume cochlearia duo vel tria, ſucci Limonum, & vini Malvatici tantundem, fiat potus dulcoratus Saccharo, bibatur manè jejuno, & mundo ventriculo.

Diuretica & pellentia.

CONSULTATIO III.

CALCULUS RENUM.

PRO

VIRO ADMODUM ILLUSTRI ET REVERENDISSIMO.

Dolor nephriticus unde?

Dolor urget, dum calculus in ureterem, exquiſitiſſimo ſenſu præditum, penetrare contendit, mole nempe vel aſperitate ſua partem nervoſam illam divellens, cùm irrito conatu in renis cavitatem retrocedit, cruciatus vel nullus eſt, vel mitior longè, quòd renes ſenſu careant. Nauſeam, vomitum, cæteráque ventriculi ſymptomata tum primùm diſparebunt cùm renes ab obſtructione & inflammatione fuerint liberati: eorum autem cum ventriculo conſenſus mala hæc progignit non medicamentorum uſus, quæ, quantùm ipſe compertum habeo, clementiora fuêre. Dolori levando, & vijs laxandis expediendíſque conveniens inſeſſus, ex Malva in aqua decocta paratus, à quo, quid timendum, equidem non video. deinde potio, quæ ſic habet.

Renes ſenſu carent.

Ventriculi conſenſus cum renibus.

Laxantia diuretica interna.

R. *Olei Amygdalarum amararum ſelectarum jam-jam expreſſi,*
Vini Puccini (vulgò Reinfahl vocant) *ana* ℥iij.
Aquæ Cinnamomi guttas aliquot.
Probè mixta calidè bibantur jejuno ventre.

Ventri-

Ventriculum munire ante balneum poterit, olei Maſtichini, Menthæ & è nuce Moſchata expreſſi inunctione. Cibus ſolidus ſæviente dolore uti non appetitur, ita quoque inconveniens eſt. ex uſu fuerint juſcula, aut brodia caponis, quibus ovorum recentium vitelli conquaſſati ſint adjecti, contuſa item caponis, ova recentia, avenatũ, hordeatũ, ſorbitio ex Amygdalis. Vinum ſi diſplicet, aqua cũ Cinnamomo decocta ſubſtituatur. DEVS gratiam auxilijs hiſce addat. Monachij ultimo Martij 1607.

APPENDIX.

RENUM CALCULVS.

Ad Medicum Collegam.

PRO

EODEM.

EGo verò non immeritò puſillanimem, & tantùm non impruden-tem dixero, qui hoſtem non indomitum iſtum, ſed facilè ſu-perabilem adoriri non velit, præſertim cùm victoria in celeritate o-mnino ſperanda, in cunctatione graviora mala reformidanda intelli-gam; latens igitur hoſtis laceſſendus, ſed armis, hoc eſt medica-mentis ſecuris, Caſſiâ cum Rhabarbaro, clyſteribus, inſeſſibus, fotibus, litibus, cataplaſmatis; deinde verò & ſucco Limonum in vini hau-ſtulo porrecto. Non placet mihi tanta in media ſecuritate cunctatio, déque rebus omnibus diſputatio, vel dubitatio. meminerit Perillu-ſtris Dñus frontem capillatam, noverit illud ſenis: occaſio præceps. Arma contra nephritidem ſecura.

CONSULTATIO IV.

CALCVLVS RENVM.

PRO

MULIERE NOBILI.

✱

OMnes morbi rectè & radicitus curantur, ac præſervantur, ſi eorum præſentes atque futuræ cauſæ de-clarantur, præcaventur, auferuntúrque. Cauſæ renum calculi ac lithiaſis ſecundum opinionem veterum (quam-vis recentiores aliter ſentiant) duæ potiſſimùm ſunt; una eſt materia ex qua calculus concreſcit, nempe craſſus terreſtris humor, ſive dein ſit craſſa glutinoſa pituita, ſive ſanguis terreſtrior craſſior fermento Calculi cauſæ.

 ſimilis

ſimilis,aut tartaro, quod vaſorum parietibus adhæreſcere videmus: al era,calor eſt præter naturam renum, qui humorem craſſum illum glutinoſum & terreſtrem, in arenas calculúmque exſiccat & excoquit, licèt non ſemper à calore hoc fieri, multi ſcriptores aſſerant: quoniam & lapides, in frigidiſſimis etiam locis, coagulantur & creſcunt. Quidquid ſit,plura de hac controverſia non adduco, eò potiſſimùm intentus, ut auxilia adferantur, quibus Nobilis Domina à renum calculo impoſterum præſervari queat, ne renes & urinarii meatus omnino obſtruantur, atque adeò urinæ tranſitus ex toto impediatur,uti antehac nobili Patienti ſemel contigiſſe inaudio.

Remedia,quibus omnes morbi auferuntur & præſervantur,auxiliante divina gratia, in tribus potiſſimùm inſtrumentis Artis Medicæ conſiſtunt,Diætâ,Chirurgiâ,& Pharmaciâ.

Victûs ratio. Invictûs ratione ſeu diæta obſervandum eſt,quòd in hoc affectu noceant alimenta ſubſtantiæ craſſæ, duræ, glutinoſæ: item paſtilia, farinacea,multi piſces & ſale conditi, nec non aromata copioſè ſumpta. Ante omnia verò abundantia tam in cibo quàm potu vitanda eſt. Vinum dulce & recens, turbidum, nondum ſatis defæcatum; præterea vinum potens, utpote Malvaſia, vinum Hiſpanicum, Rheneníe & Franconicum ſummopere etiam affectibus ſimilibus obſunt. Porrò neceſſarium omnino eſt,ut alvus quotidie & ſufficienter aperta ſit; qua in re,ſi defectus aliquis appareret, clyſmata equidem domeſtica ſuaderem item pruna dulcia in aqua cocta, ac ſaccharo multo condita, ante, menſam commeſta; item aliquando hæc ipſa pruna loco ſacchari, ℥j. Mannæ dulcorari, vel unà cum prunis Senæ electæ ʒij. in nodulo ligatæ incoqui poterunt, addendo poſtmodum Sacchari vel Mannæ, uti dictum, ſufficientem quantitatem: laxant pruna iſta alvum modicè ſi una cum brodio aſſumantur; interim tamen, iis utendum moderatè. magis ſecuri ſunt clyſteres domeſtici, tali modo parati.

Alvum emollientia.

Clyſteres.

℞. *Brodij Carnis non ſaliti*, cui ſi haberi poſſunt, incoctæ ſint
Herbæ Malvæ,
Florum Chamomillæ ana qs. poſtea
Diſſolvantur in *brodio*
Sacchari pro clyſteribus ſeu S. Thomæ ℥ijß.
Olei Olivarum cochlearia ſeptem aut octo.
Salis ʒß. ʒj.
Miſce pro clyſmate.

Chirurgiam quod attinet, quandoquidem Nobilis Domina ſenectutem nondum attigit, viribúsque adhuc pollet ſufficienter, ſingulis annis (cum præſcitu tamen & conſilio Medici præſentis) ſemel aut bis mittere ſanguinem poterit.

In Phar-

In Pharmacia neceſſarium eſt, ut Nobilis Domina ex conſilio Medici ordinarij, Veris & Autumni tempore benè expurgetur; interim verò, ad præcautionem impuritatum & materiæ, ex qua calculus concreſcit, ſuadeo, ut minimùm ſingulis menſibus (dummodo diarrhœa abſit) ordinaria purgatione utatur ſuavi ac leni: qualis eſſe poteſt.

Bolus laxans.

R. *Caſſiæ recenter tractæ* ℥vj.
Radicis Turbith electi grana xviij.
Cinnamomi pulveriſati grana v.
Miſce fiat bolus.

Et ſi hic bolus nimis ſit debilis, radix Turbith ad grana xxv. uſque augeri poterit. aut, ſi placet ſequens potiuncula, loco boli aſſumatur; vel quod optimum foret, dies aliquot poſt aſſumptum bolum, nihilominus potiuncula hæc ebibatur.

Potio purgans in nephritide.

R. *Foliorum Senæ electæ* ℥iijß.
Zingiberis ʒß.
Radicis Liquiritiæ ʒjß.
Seminis Aniſi ℈j.
Jujubarum,
Sebeſten ana N°. v.
Paſſularum ℥ß.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥iij. ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua dilue
Mannæ ℥ijß.
Oxymellis ſimplicis ℥j.
Aquæ Cinnamomi ʒj.
Miſce fiat potio.

Quibus remediis, ſpero, renum calculos aliquo modo præcaveri poſſe; quòd ſi verò illi denuò affligant, paucis conſignabo, quid ulterius ac durante potiſſimùm dolorifico paroxyſmo agendum & adhibendum ſit.

Diureticorum noxæ.

Ante omnia ſciendum eſt, nullo modo conſultum, imò nunquam aliàs tam periculoſum eſſe, remediis uti diureticis & valde pellentibus: nam talia, nî corpus priùs benè purgatum fuerit, ſine damno nunquam adhibentur, quin nec aliis temporibus unquam ſatis tuta ſunt. Quòd ſi verò contingat, Nobilem Patientem magnis doloribus, quod DEVS avertat, corripi, nihil æquè profuturum credo, quàm clyſma leniens mox injectum, ac intra viginti quatuor horas bis térve, ſi neceſſitas exigit, repetitum. ita etiam, caſu quo corpus ſit impurum, potiuncula purgans, vel Caſſia, ſuprà notatæ, juxta Medici ordinarii judicium conducent.

Corpore ritè evacuato, ſi urina ſubſiſteret & retineretur præter naturam, manè tale juſculum porrigatur.

R. *Cicerum*

Juſculum diureticum.

℞. *Ciceram rubrorum cochleare unum*,
Radicis Petroſelini ℥ß.
Coquantur in *aqua*, addendo
Butyri recentis parum.

Hoc juſculum duabus aut tribus diebus continuetur, ſuperbibendo ſemper hauſtum ex ſequenti vino medicato.

Vinum diureticum.

℞. *Granorum Halicacabi* ℥ij.
Radicum Eryngii,
Ononidis ana ℥ß.
Incidantur minutim & in ℔iij. vini infundantur. pro uſu ſupradicto.

Conducet quoque hoc vinum, & ſummopere proderit, ſi ſingulis menſibus, poſt peractam menſtruam ex Caſſia purgationem, duobus aut tribus diebus continuis, unà cum juſculo ſuprà aſſignato (eo quo modo dictum eſt) pro renum expurgatione & deterſione aſſumatur.

Cæterùm remedia in hoc affectu non deſunt, & afferuntur paſſim innumera, quorum hîc ego mentionem non facio, neque enim dubito, ſi Nobilis Ægra in victûs ratione, atq; in modo per menſtruas purgationes paulò antè enarratas, ſeſe obſervaverit, quin à tam gravibus ſymptomatibus & urinæ retentione futura ſit libera. Ratione balneorum hoc ſentio, illa non ſemper eſſe tuta, præſertim ſi alvus ſit adſtricta, aut corpus impurum. quapropter neceſſarium ſemper erit, ut ante ingreſſum balnei alvus clyſmate uno aut altero leniatur, vel etiam, ſi poſſibile eſt, per medicamentum leniens corpus evacuetur. faxit DEUS ut omnia benè cedant.

Balneorum ratio in Nephritide.

CONSULTATIO V.

CALCULUS RENUM.

PRO

REVERENDO QUODAM RELIGIOSO.

ADmodum Reverende in Chriſto Pater, qui Reverentiam Veſtram affligit Renum morbus, depingitur ab eadem tam graphicè, ut magis certè à Medico non poſſit. de eo, quæ mea ſit ſententia, paucis aperiam. Primùm rectè judicat (ut ubique ſolet) Excellentiſſimus Menzelius, calculum inſignem non ſubeſſe, doloriſque ſubinde recurrentis moleſtiam à calculorum fragmentis aſperioribus craſſioréque ſabulo provenire. Placent remedia hactenus oblata omnia, inprimíſque illa diu-

illa diureticorum meritò ſuſpectorum, atque adeò omnium medicamentorum nonnulla intermiſſio. Cæterùm cùm ad malum hoc, quod levioribus hucusque non ceſſit, penitus extirpandum, haud paulò validioribus opus ſit auxilijs; inter innumera è divite Artis penu duo duntaxat propono: quorum unum Reverentiã Veſtrã in-præſens curabit: alterum & curabit, & ne morbus revertatur, præſervabit. Primum eſt aquæ Tettucij ex Italia huc allatæ potatio, præmiſſa ex Manna, Rhabarbaro, & Sena purgatione corporis. Hæc ut ſuadeam ratione adducor atque experientiâ: rationem primo loco, poſtea experimenta explicabo. calculorum in renibus Reverentiæ Veſtræ concreſcentium materia humor eſt crudus, in ventre collectus, qui cum ſeroſo ſanguine ad renes confluit, vel rapitur potiùs. Effectrix cauſa calor eorundem immoderatus, humorem hunc, tenuiore abſumpta ſubſtantia, in lapillos vel ſabulum excoquens. lapilli cohærentiam continuitatémque ſuam ab humido glutinoſo obtinent, quo & arenulæ compinguntur, excreſcúntque in calculum.

Aquæ Tettucij in nephritide uſus.

Hæc cùm ita ſint, incumbendum certè in hanc curam erit, ut quod viſcidum eſt, à terrea ſubſtantia ſeparetur; quod craſſum, attenuetur. ſic quod induruit, continuitate deſtitutum in arenámque minutam ſolutum, citra renum ureterúmque attritionem, vel aliam valetudinis noxam cum ſero ipſo profluet, ut in ſanis fieri conſpicitur quotidie. Ad viſcidum ſeparandum humorem medicamenta requiruntur (ut Aëtius docet) humida, cujuſmodi eſt, actu ſaltem Tettucij aqua: hæc, vi ſua deterſoria humores à renibus ad inteſtina derivabit, renes exterget, atque ab obſtruentibus ſive lapillis, ſive craſsâ arenâ liberabit. Neque eſt, cur nonnullum ejus calorem reformidemus, cùm moram in corpore longam non trahat, ſed promptè per alvum & parte aliqua per veſicam eluatur; majorémq; omnino fructum ab ejus uſu, quo & ventriculus pituitæ ſatis ferax emendabitur, quàm incommodum ſperare debeamus. cùm præſertim & febris abſit, & ſitis, inappetentia quoque & corporis extenuatio. Accedo ad experientiam: Sereniſſima Duciſſa N. N. calculum ſatis grandem in uretere non ſine dolore diutius hærentem, potatâ, duobus vel tribus duntaxat diebus, Tettucij aquâ incredibili facilitate excrevit, id quod in Nobili quoque matrona N. eſt obſervatum. Secundum præſidium ſit aqua acidula, tam in inſeſſu adhibita, quàm in potu aſſumpta. temperabit hæc renum calorem immodicum, eósque quòd ſubſtantia ſint laxiore nonnihil adſtringendo confirmabit: atque hac ratione, dum cauſam calculi efficientem tollet, eundem (quantùm fieri poterit) impoſterum præcavebit. Adſtipulatur & huic remedio ſucceſſus, quem olim Reverentia Veſtra experta eſt non ſanè pœnitendus: quæ verò ſemel

Aqua Tettucij experientiâ comprobata eſt, in nephritide, ſeu calculo renum expellendo.

Acidula aqua tam inſeſſu quàm potu adhibita,

adhibita proſunt, ſæpius iterata ſanant, ſi Celſo credimus. etſi verò duo hæc auxilia ita adminiſtranda videntur, ut alterum alteri abſque mora ſuccedat, hoc eſt Tettucianâ potatâ ad acidulam illico tranſeatur: poterit tamen, quòd morbus fortè inducias non ferat, in præſentiarum eo, qui inferiùs ſcribetur, modo in conclavi temperato Tettuciana aſſumi, menséque Majo repeti ſubſequente ſtatim acidula.

Si probabitur Reverentiæ Veſtræ ipſique Doctori Menzelio medendi hæc ratio, operam dabo, ut aquæ hujus, quod ſatis videbitur, ad vos deferatur. Nihil autem hîc addo de renum inunctionibus, de ſero lactis caprini, aliíſque remedijs, ne quis mihi Menzelij Medici præſtantiſſimi verbis illud noctuas Athenas, objiciat. Vale Reverende idémque Chariſſime Pater. Monachij die 14. Martij 1597.

Menzelius, laudatur.

CONSULTATIO VI.

CALCVLVS RENVM.

PRO

VIRO QUODAM ILLUSTRISSIMO.

ACidulas Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ tam benè contuliſſe, ex animo gaudeo; doleo verò, quòd aliquis dolor pungens remanſerit in rene dextro, potiſſimùm per motum equitando, aut curru vehendo, aut etiam in lecto ſeſe volutando affligens. Hic dolor ex alia cauſa oriri non poteſt, quàm ex uno alteróve calculo in renibus relicto: interim ſuadere non poſſum, ut illi ex renibus in anguſtos meatus, atque adeò ex loco non admodum dolorifico, in ureteres ſenſu maximè præditos, per quos urina in veſicam delabitur, non ſine majori dolore & periculo propellantur. Conſulo itaque talia remedia, quæ alvum & dolorem leniunt, & meatus laxant: qualia ſunt, clyſteres ex brodio non ſalito, melle ad ℥ijß. vel ℥iij. ac tantundem butyro recenti, vel ejus loco oleo olivarum, paucóque ſale confecti, in hebdomade ad minimum ſemel injecti; item in juſculo pulli vel vino veteri Neccarico unciæ duæ butyri recentis diſſolutæ, manè jejuno ventriculo, calidè aſſumptæ, quotidie ad ſatis longum tempus continuando. atque hæc duo remedia Illuſtriſſima Dominatio Veſtra probet, méque de eventu certiorem reddat. 1603.

Laxantia meatus ſecuriora ſunt, quàm diuretica ad calculi propulſionem.

CON-

CONSVLTATIO VII.

RENVM CALCVLVS, ET CATARRHUS.

PRO

VIRO QUODAM NOBILI.

*

Itteras Dominationis Veſtræ expendi diligenter; compatior, quòd in renibus ad calculum ſit facta diſpoſitio, quòd catarrhi à capite ad pectus copiosè defluant, & quòd denique duo illi fonticuli, brachijs inuſti, ad materiæ catarrhalis derivationem non ſufficiant.

Pro præſervatione ne calculus renum radices agat, neceſſarium eſt, ut frugalitas in cibo & potu obſervetur; alimenta dura præſertim ſale condita, aut fumo præparata, item farinacea, paſtilia, lacticinia, pulmenta, caſeus & ſimilia vitentur. Victûs ratio.

Præterea prohibetur vinum dulce, muſtum, omníſque reliquus potus non ſatis fermentatus; uti & vinum generoſum nocet, à quo hepar & renes magis incaleſcunt. Æſtate pro potu ordinario placeret mihi cereviſia Embecenſis, quam Norimbergâ ſibi afferri curabit: novi ego hominem mihi amiciſſimum, qui ſolo potu hujus cereviſiæ à renum calculo ſe præſervavit. potus eſt amabilis ac longè utilior, quàm vinum illud, quod Dominatio Veſtra bibit, Auſtriacum; imo ſuaſor ſum, ut illud Dominatio Veſtra vitet, niſi in tabis vel phthiſeos periculum incidere velit. Cereviſia Embecenſis ad præſervatio-nem calculi aptiſſima, probatáque.

Medicamenta quod attinet, ad præſervandum calculum conſulo, ſingulis menſibus, ut materia calculi per alvum ſucceſſivè evacuetur, ſequenti electuario utatur, ante vel diem poſt novilunium, manè horis duabus ante prandium.

R. *Caſſiæ recenter extractæ* ℥vj.
Radicum Turbith pulveriſati ℈ß.
Cinnamomi grana v.
Cum *Saccharo* fiat bolus. Electuarium præſervans.

Pari modo clyſmata domeſtica ſæpius adhibita utiliſſima ſunt. ſi Dominatio veſtra ad vomitum proclivis eſt, optimum quoque foret, ſingulis menſibus mite hoc vomitorium aſſumere.

R. *Brodijcarnis vel piſorum ſine ſale parati* ℔jß.
Diſſolve
Oxymellis ſimplicis,
Syrupi Violacei ana ℥ij.
Miſce. Vomitorium mite.

Aſſumatur manè & ſerò tepidè.

Singulis diebus manè & veſperi ante cœnam unguento roſaceo inungantur lumbi.

Quòd ſi poſt omnem adhibitam hanc diligentiam, Nephritis vel calculus renum affligeret, doloréſque cieret vehementes, ſuadeo ut, prægreſſo clyſmate domeſtico, balneo utatur aquæ dulcis in ſemicupio parato. clyſma parari poterit ex decocto Malvarum, Violariæ, florum Chamomillæ, addito & diſſoluto Saccharo clyſmatico ad ℥ij. vel ℥iiß. cum quantitate olei communis & pauco ſale. Nec acidulæ, debito tempore, factis priùs factitandis, epotæ diſplicerent: his etenim humores ſeroſi per ſudores, aut alias potiùs vias expurgarentur, atque unà cum correctione hepatis & renum, materia ad catarrhos generandos apta, ſubtraheretur. Monachij 19. Januarij. 1612.

In paroxyſmo quæ agenda?

Acidulæ calculoſis commodæ.

CONSULTATIO VIII.

RENUM CALCULI, LUMBORUM DOLOR, ALIAQUE SYMPTOMATA.

Ubi de generatione calculi diſcurritur, & ratio potandi aquam Tettucij edocetur.

PRO

VIRO PERILLUSTRI.

VAletudinis incommoda, pro quibus Illuſtris Baro Dominus Marcus Fuggerus remedia petit, tria ſunt. Primum ac præcipuum ingens dolor eam corporis regionem infeſtans, quâ renes circumſcribuntur, à renum lithiaſi, ut eventus réſque ipſa docuit, enaſcens. Alterum vapor quidam nebulæ inſtar oculis interdum obverſans. Tertium convulſiva quædam digitorum utriúſque manûs diſpoſitio, quam aliquando ſed rariùs experitur.

Calculi renum, quos hactenus meiendo excrevit, non admodum magni, ac proinde dolores ſævi, atrocéſque non fuêre. In illam igitur curam incumbendum, ne grandiores, ac ſi fieri queat, nulli impoſterum generentur. Poſtremum iſtud, ut arte humana præcaveri in hoc corpore poſſit valde equidem vereor, cùm ob multas variaſque difficultates, tùm verò etiam propter hæreditariam in renibus ejus diſpoſitionem; quòd & Dominus Parens, & avus ipſius eandem paſſi fuerint calamitatem. De cauſis, cur & hic & podagricus mor-

bus raro

bus rarò, vel certè difficulter admodum perſanentur, non eſt otium hoc loco fuſiùs diſputare. Non deſunt Medici recentiores, qui & calculi & arthritici doloris cauſas antiquis aliiſque claſſicis noſtri temporis Auctoribus non ſatis cognitas perſpectáſque fuiſſe exiſtiment, quibus equidem haud invitus ſubſcriberem, ſi rationes à ſe ingenioſè, fateor inventas, remediáque tantopere decantata experimentis ægrorum ſanitati per ea reſtitutorum hiſtoriis exemplíſque confirmarent; ſed in iſtos quadrat: *En Rhodus: En ſaltus*. Antiquitas credidit, cauſam calculi materialem eſſe ſuccum craſſum, pituitoſum ac viſcidum, efficientem verò renum calorem immodicum abſumentem, quod in humore tenue eſt, reliquum verò aſſantem, ſiccantem, & in arenas calculóſque excoquentem. Incuſatur præterea meatuum renalium latitudo nimia, excretricis etiam imbecillitas. ſic enim ſcribit auctor libelli *de renum affectuum dignotione* Galeno adſcripti. *demonſtratū eſt*, inquit, *in Commentarijs de facultatib⁹ naturalib⁹: renem trahere ad ſe, quidquid in venis ſeroſi & tenuis humoris cum ſanguine permiſtum reperiatur; ſi quando igitur meatus, qui in renis ventriculum illud transmittit, latiùs aperiatur, craſſius unà aliquid colatur, quo calefacto & exſiccato in renis cavitate lapidoſam ſubſtantiam aſſequitur. Quamobrem ſi virtus ſegregatrix ipſius renis id omne in urinis expulerit, arenoſum in ipſis ſedimentum proveniet, ſi infarctum illud & ſolutu difficile ſit, quod renis cavitas ſuſcepit, ad eum aliud adhuc non abſimile ex cava vena immiſſum deinceps colligitur, & augeſcit (circumlinitur enim ſemper quod affluit, ei quod jam adeſt) itáque lapis non adeò contemnendæ magnitudinis exſurgit.* Deſumpta ſunt hæc ex Galeno *Comm.* 1. *Sect. Lib.* 6. Hippocrate *de Morbis Vulgaribus*, ubi docet, eodem prorſus modo lapides in articulorum morbis & in renum affectibus concreſcere. Notum eſt à frigore quoque lapidum concretionem fieri, verùm negat auctor ille vivo corpori frigus tantum accedere poſſe, quo concreſcere valeat in homine lapis: concedit interim ſi craſſa ſit materia ſufficere tepidam & moderatam caliditatem ad firmandam & indurandam terræ modo craſſam hanc materiam: in tenuiori materia calorem vehementiorem requiri: ſimpliciter autem à calore in nobis fieri calculum. Ex recentioribus Vir quidam doctiſſimus calculum nequaquam ex pituita, ſed ex terrena quadam ſubſtantia progigni contendit, quæ in aliis humoribus à pituita diverſis in ſero ſcilicet inveniatur, eam autem in dies in prima concoctione à ſale, quo homo perpetuò utitur, atque aliis terrenis generari, atque ſi eo redundet ſerum, locis ſiccioribus & anguſtioribus, quæ pervadit, adhæreſcere, & ſe agglutinando arenulis & calculis materiam præbere, prout & Chymici urinam hominis lixivio comparant, præterea quòd ex utroque Sal nullo negotio excoqui poſſit. Non nemo hanc amplexus eſt ſententiam, partem nimirum terream

Calculorum cauſæ variæ.

 omnis

omnis potulenti liquoris, qui aſſumitur, calculi materiam eſſe. Ac certè negari non poteſt,eos morbo hoc maximè vexari, qui vel aquâ cœnosâ,vel vino,vel cereviſiâ craſsâ nec ſatis defæcatâ in potu utuntur. Narrat Claudius Campenſis, populos Septentrionales mulſæ potores lithiaſi nunquam corripi, ac malum illud planè ignorare, id quod deterſoriæ mellis facultati tribuendum. In iſta controverſia judicium mihi non aſſumo, utrâmque tamen ſectam rectâ ratione & experientia niti, equidem facilè dedero; id ipſum ſcilicet arbitratus tam ex pituita craſſa,viſcida,quàm ex ſubſtantia terrea, qualis Tartarus eſt,ac ſal in eo contentus, progigni, experientia quotidiana nos docet, quocunque in loco generandis lapidibus apta materia terrea ac craſſa diutius hæret,eam ibidem vel morâ ſolâ absque inſigni caliditate lapideſcere. Fernelius ad omnes jam commemoratas cauſas addit conſtitutionem renum calculoſam,quem Capivaccius non immeritò reprehendit, quòd eam efficienti cauſæ adnumeret; interim tamen proprietatem hanc ſeu qualitatem renum lapidificam, quæcunque illa ſit (fortè eam ad meatuum laxitatem,expultricisque languorem non ineptè referas) tanti ego momenti eſſe cenſeo, ut tanquam vitium innatum ac indomitum difficultatis in præcavendo calculo præcipuas ſibi partes vindicare poſſit. Sed de cauſis hactenus, quibus indagandis ſcrupuloſculum inhæſi, quòd tunc demum morbi curentur, cùm eorum cauſæ præcidantur. Vocor nunc ad remedia Generoſo Domino ab immani iſto corporis tortore, quantum id fieri poſſit, præſervando idonea. Hæc dum proponere cogito, in mentem venit doctrina, quam ſapientiſſimus Senex Hippocrates 6. *de Morbis Vulgaribus* ſcriptam reliquit,dum ait,*quieſcere nō conducit,ſed exerceri,non impleri,juvenes Veratro purgare, poplitem incidere, urinarias mundare,tenuare ac mollire.* Hæc eſt teſte Galeno formula,quam Hippocrates ſibi ipſi in renum curatione per capita conſtituit. Ex his ſibi præcepta præſervationi apprimè utilia Dominus Patiens facilè haurire poterit. Primum eſt quieſcere, hoc eſt, otioſè vivere, ipſi enim non conducit, ſed neceſſariæ ſunt exercitationes tanquam multitudinem evacuantes, & pituitoſum, craſſum, immaturúmque omne ad maturitatem ducentes & attenuantes, & corporis particulas roborantes; cæterùm moderatas eas eſſe oportet, non prorſus magnas. Præterea diligenter animadvertendum eſt, exercitia haud quaquam convenire ventriculo crudo, & corpore impuro, & quod ſequitur, primum locum obtinet omnino in hac Hippocratis doctrina *non repleri* cibo ac potu, ſed victu frugali. Morbi enim fiunt monente eodem Hippocrate,*cùm alimenta laborem ſuperant,vel cùm labor alimenta,& ex cibis ac potibus corpori commodiſſimis, ubi quis non in tempore utatur,aut pluribus quàm tempeſtivum eſt,& morbi,& ex his mortes fiunt.* In qualitate ſeu delectu alimentorum,monitore puto,non eget Dominus;

Mulſæ potores calculo non afficiuntur.

Methodus curandi calculum Hippocratica.

Dominus; exulet à menſa ejus caſeus etiam recens, quem tamen Platerus non reformidat, lacticinia omnia & paſtilia, dura omnia, craſſa, ſalita valde, piperata, aliiſque aromatibus condita. Potus ſit vinum album, clarum, non vetus, tenue, lymphatum aquâ hunc in modum parandâ.

Caſeum in calculoſis Platerus non reformidat

Aqua pro diluendo vino ex Saſſafras parata.

R. *Aquæ fontis* ℔ix.
Adde
Ligni Saſſafras craſſè limati ℥j.
Decoquantur in duplici vaſe 4. vel 5. horis, vicem ligni *Saſſafras Guajaci* ℥ß. ſupplebit, ſi palato id magis arrideat, ſed & *Vini* loco conferet *Cerevifia Embacenſis*, clara ac benè defæcata.

Novi Sacerdotem calculo mirè cruciari ſolitum per hanc longo tempore à dolore præſervatum, ſed ego vini omnimodum uſum Domino huic, quòd eo aſſuetus ſit, diſuadere non auſim. Pergit Hippocrates *juvenes Veratro purgare.* Domino Patienti perſuaſum planè eſſe velim corpus ipſius ſæpe à cacochymia eſſe purgandum, non Helleboro, neque alijs medicamentis acribus ac validis, ſed clementioribus ac benedictis vocatis, qualia ſunt Manna, Mel, ſeu Syrupus Roſatus plurium infuſionum, Agaricus, Rhabarbarum, Sena, Polypodium, Aloë, Hiera ſimplex Galeni & lenitivum Florenzolæ, Diacatholicon, & Caſſia, quæ præ alijs laudatur. Monet Joannes Zecchius, eam in initio, quòd diuretica ſit, non eſſe tutam, quæ animadverſio nequaquam eſt negligenda, quòd hoc medicamentum illico renes petere ſoleat, ac proinde impuritates, ſi quæ in prima corporis area fuerint, ſecum ad renes conducere, eóſque conſpurcare poſſit. Præmittendus igitur bolus ex Hiera ſimplici, ac ventrem laxans clyſter. bis in anno, verno nempe & autumnali tempore corpus exquiſitè purgandum medicamentis, quæ Viris exercitatiſſimis præſentibus commodiora videbuntur. Ego præmiſſis poſt minorativum purgans præparantibus, ac deinde aſſumpto ante cœnam Aloëtico aliquo manè ſequenti potiunculam ſanè mihi familiarem talem ſuadeo.

Purgationes in calculoſis neceſſariæ & quæ?

Caſſia in nephriticis non ſemper tuta.

R. *Mannæ* ℥ijß.
Diſſolve in *aqua Chamomillæ qs.* Adde
Rhabarbari pulveriſati &
Aquâ Cinnamomi irrorati ℈iiij.
Miſce fiat potio.

Potio laxans.

Loco *aquæ Chamomillæ* ſi alvus difficulter moveatur, rectè ſumetur tantundem *decocti Senæ* correctæ. iterari autem medicamentum debebit, cùm vix unum vel alterum ſatis fore videatur. Sed & alijs temporibus familiaria quædam ſæpiſſimè aſſumpta conducent, in quibus unum eſt iſtud, quod Domino inprimis commendo.

R. *Caſſiæ*

Bolus.

R. *Caſſiæ recenter extractæ* ℥ß.
Adde
Turbith albiſſimi pulveriſati grana xxv. vel ʒß.
Pulveris Cinnamomi acuti grana v.
Miſce fiat bolus ſemel in menſe devorandus.
Qui Domino Patienti, etiamſi à Caſſia abhorreat, tantula doſi eáque nebulis involuta ſumptu haud quaquam erit difficilis.

Vtitur eo præſidio magno cum fructu Vir quidam in magna hîc dignitate conſtitutûs Domino patienti in omnibus ferè ſimilis. Alterum ſemel atque iterum una hebdomade uſurpandum Aloës extractum eſt ſeu balſamus Aloëticus aliquibus dictus, quòd ventriculum, inteſtina, primáſque vias ab impuritate vitioſorúmque humorum ſaburra defendat, ſi quid aliud erit commodum. ratio parandi hujus ſit iſta.

Aloës extractum.

R. *Aloës Soccotrinæ pulveriſatæ* ℥iij.
Ponantur in cucurbitam vitream, affundatur *aqua Roſarum* tantum, ut 4. digitis ſupereminеat, bulliant in duplici vaſe ſeu Balneo Mariæ vocato horæ dimidiæ ſpatio, deinde in loco calido reſideant horâ unâ vel alterâ, tunc *aqua* per inclinationem lentè ſeparetur, & transfundatur in aliud vas vitreum, vel phiolam; *Aloë* verò in cucurbita relictæ rurſus tantundem *aquæ Roſarum* affundatur, & priori admiſceatur, ídque toties repetatur, quouſque *aqua Roſarum* vix ampliùs tingatur, tunc *aquas* illas *Aloë* tinctas cum alembico ſepara, vel coque in cacabo ſuper prunis tam diu, donec omnis ferè humor abſumatur, in fundóque remaneat inſtar pultis ſeu mellis ſpiſſioris; aſſervetur uſui, fignetúrque *Balſamus Aloëticus*, de quo addito *Maſtiches* vel *Rhabarbari* pauxillo pilulæ formentur. Doſis ℈ß. vel ℈j. ſemel atque iterum in hebdomade, oportét enim auctore Hippocrate in omni malo ventrem eſſe mollem.

Solent vulgares calculoſis varia obtrudere remedia, quæ ſabulo vel lapillis deturbandis, majoríque calculo præcavendo opportuna exiſtimant, quæ, ſi dexter accedat uſus, locum interdum habere poſſunt. Ego Illuſtri Domino ad renes extergendos ab arenáque liberandos

randos corpore priùs vacuato, inteſtinis clyſtere deterſis, & ventriculo, viciniſque locis Caſſiâ cum Turpetho ſingulis menſibus repurgatis vinum iſtud proponto, de quo tribus circitèr diebus manè hauſtum faciat.

Vinum diureticum ex Alkekengi

R. *Alkekengi* ℥ij.
Radicum Eryngij,
Ononidis minutè inciſarum ana ℥ß.

In menſura una noſtrati, aut ℥xxxij. *Vini albi Neccarici* infundantur. doſis ſint ℥v. vel vj. Poſt aſſumptum jus Cicerum butyro recenti & ſale modico conditum manè ventre jejuno, alijs temporibus à diureticis abſtineatur.

Jubet Hippocrates *poplitem ſecare*, ſatis autem fuerit, ad plenitudinem corporis ſolvendam dextri brachii venam jecorariam, ſeu baſilicam dictam bis in anno incidere. Quòd ſi verò venæ ad podicem hæmorrhoides vocatæ turgerent, vel ſanguine ſtillarent, eas admotis hirudinibus reſerandas, & ſanguinis minimùm libram extrahendam ſuaderem. Suadet porrò Hippocrates peractis aliis urinam cientia, de quibus jam ſcripſi, quod meum ſit conſilium. Proponit etiam attenuantia & mollientia, qualia ſunt emplaſtra, & fotus omnibus noti, ac dolore calculi jam præſente, urgentéque præcipuè commodi ac neceſſarii. Hæc ſunt remedia calculi prophylactica, haud ſanè levia, vel parvi pendenda. Verùm quia animus eſt Illuſtri Domino therapiam aliquam, magnam, longiorem, efficacioremque adhibere, laudo equidem prudens ipſius conſilium, ad hepatis renúmque attemperationem, eorundem liberandas obſtructiones, ad viſcerum deníque nutritioni famulantium corroborationem fontis alicujus aciduli nobilioris potentioríſque potationem. Cujusmodi eſt Swalbacenſis, Oriſbadenſis, & Spadanus. Verùm eorum uſui præmitti omnino velim montis Latini aquam, quam de Tettucio appellant, dies nimirum ſex ſeptémque largiter potandam, modo nempe ac ratione, quem ſeorſim ſcripto conſignavi, mundabitur ab ea venter totus, vaſa dilatabuntur, & aquæ acidulæ via ad faciliorem excluſionem parabitur. Acidulæ uſum Dominus, ut coràm ex eo intellexi, jam callet ſummo judicio nuper mihi de eo locutus. Ad ſymptomata illa oculorum, quæ rariùs advertit, remedia proponere non eſt neceſſe, quippe quæ ex ventriculo exurgant, faciléque vel Hierâ ſolâ Galeni arceri poſſint, ſicuti & ſpaſmica digitorum moleſtia à flatu & craſſo ſpiritu excitata.

Acidulæ & aqua Tettuciana.

RATIO POTANDI AQUAM TETTUCIJ.

PRO EODEM.

PUrgato per idonea remedia corpore ac quiete nonnulla, unius nempe & alterius diei interpoſita, aquam potare incipiat hunc in modum procedendo. Primò aquæ ejus doſis, quæ ad unam portionem ſatis eſſe videatur per linteolum mundum percoletur, deinde in cantharo argenteo vel ſtanneo calefiat aquæ calenti impoſita, offerantur ℥v. vel ℥vß. ex ſcypho vitreo injiciendo ei ſalis ʒj. leviter per octavam horæ partem inambulet in conclavi, deinde tantundem aquæ cum ʒj. ſalis exhauriat, poſt octavam horæ partem ſimilem hauſtum ſumat,at ſine ſale, quod poſt primos duos hauſtus omittendum. Pergat bibere ad libras medicinales circiter viij. ſi verò promptè aqua per alvum elui cœperit,tam larga doſi opus non erit, ſed tres tantùm hauſtus vel quatuor ſuperbibat. Quòd ſi verò difficulter per alvum ſecedat, plus aquæ bibendum, atque ad libras IX. uſque perveniendum. loco ſalis, ℥ij. mellis Roſati laxativi ſumi poterunt, in primo tantùm ſcypho diluendo id, quod in hoc corpore omnino ſuadeo. Sequenti die hoc eſt ſecundo ejusmodi ſub veſperam injiciatur clyſter.

Clyſter ex aqua Tettucij.

℞. *Herbæ Malvæ*,
Florum Chamomillæ ana Mj.
Seminum Aniſi ʒijß.
Cymini ʒß.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ de Tettucio* ad ℔j.
in colatura diſſolve
Mellis Roſati ℥ijß.
Olei Olivarum ℥iij.
Salis ʒß.
Miſce fiat clyſter.

Tertio die potetur aqua eodem planè modo quo primo: quartò repetatur enema, ſic pergendo mutatis ſemper vicibus, donec octo vel novem diebus aqua ſit aſſumpta,totidémque clyſteres injecti. Obſervandum etiam aquæ hujuſce potationem horâ quintâ matutinâ inchoandam, duabus verò horis plus minus abſolvendam eſſe; bibendum in hypocauſto modicè inambulando, cavendo ſudorem, quòd ſi aqua per alvum non facilè reddatur, plus Mellis Roſati laxativi primo poculo indendum erit, ſin nimiùm vacuare videbitur, minus Mellis iniiciatur. Si verò, quod futurum haud ſpero, hiſce aqua exturbari haud queat,ab ea deſiſtendum, & medicamento pur-

gante,

gante,quod illius in ventre retinetur, educendum. Advertendum prætèrea eſt,ſi minori doſi v.g. lib.iij.vel I v. aquæ expeditè per ſeceſſum effluerent, tunc ultra tres vel quatuor ſcyphos ampliùs potandos non eſſe, ut paulò antè monui, poſſetque ſic lib. v. cum dimidia potatio illius die abſolvi. Poſt redditam aquam in lectulo duabus citèr horis quieſcendum, at ſine ſomno, exinde prandendum, valde parcè, quod toto hujus therapiæ tempore obſervandum. Cibus ſit jus caponis,& pullus gallinaceus, vel columbinus elixus. Pro potu ſint ſatis duo vitra vini Neccarici aquâ, cui panis cibarius ſit infuſus, diluta. Die 2. Maij. 1609.

CONSULTATIO IX.

CALCULI RENUM PRÆSERVATIO.

PRO BARONE QUODAM PERILLUSTRI.

✱

VT à renum calculo, quem nuper Perilluſtris Dominatio Veſtra ſuſtinuit, impoſterum præſervetur, neceſſarium erit ante omnia, ut à ſuperfluo cibo potúque abſtineat: inter cibos vitet lacticinia, caſeoſa, farinacea, paſtilia,pulmenta ex lacte, omnia ſalita, multóque aromate condita, & ſi quæ ſunt talia, quæ craſſum viſcidum terreſtrémque ſanguinem progignunt. Pro potu nocet vinum recens, turbidum, cereviſia non ſatis defæcata,vinum quoque generoſum, non niſi aquâ (quæ ratione ſtomachi ſemel ad ignem priùs ebulliat injectóque pane ſiligineo alteretur) lymphatum,admittitur. Poſt menſam quies eſt neceſſaria, & donec ventriculus cibum concoxerit, nec multa ambulatio, nec vectio in curru, aut equitatio prodeſt: corporis enim exercitium menſam præcedere debet non ſequi; eadem ratio obſervanda eſt cum balneo: nam hoc pleno ventriculo & ante peractam concoctionem nocet; quapropter illud manè, aut ſeptem horis elapſis poſt prandium inſtituendum eſt. Victûs ratio.

Fontem pharmaceuticum quod attinet, neceſſarium eſt, ut omnis colluvies pituitoſa ventriculi, & totius corporis, ſæpe evacuetur; nam ex illa tanquam radice, renum ſabulum & exin calculus enaſcuntur. itáque in nunc finem tria à me ſunt præſcripta: primò electuarium ex Caſſia & aliis, quod Illuſtris Dominatio Veſtra ſingulis menſibus,uno aut altero die ante vel poſt novilunium aſſumet, quatuor horis ante prandium.

 R. *Caſſiæ*

Bolus ex Caſſia.

R. *Caſſiæ recenter extractæ* ℥vj.
Radicis Turbith albiſſimi pulveriſati ʒß.
Pulveris Zinziberis acuti grana v.
Miſce fiat bolus.

Alterum eſt,pilulæ valde lenes, quarum ſingulis octiduis viginti circitèr, plus minus, duabus horis ante prandium vel cœnam, ſine cura deglutiantur.

Extractum Aloës.

R. *Extracti Aloës, quod balſamum Aloëticum vocant*, ℥ß.
Cum *aqua Cinnamomi* fiant pilulæ pondere grani j.
Deaurentur.

Tertium eſt vinum ex granis Halicacabi paratum.

Vinum ex Halicacabi.

R. *Granorum Halicacabi* ℥ij.
Incidantur & indantur ollæ vitreatæ novæ, affundantur ℔iij. *vini Neccarici*, indè vinum ad ignem calefiat, ac tandem in cellam vinariam reponantur omnia.

De hoc vino,manè quarta pars bibatur, aſſumpto priùs juſculo ex *Ciceribus rubris* cocto, vel juſculo pulli, in quo *radices Petroſelini* ebullierint. verùm advertendum eſt, quòd vinum hoc, uti & alia diuretica medicamenta in uſum non veniant, niſi priùs ventriculus ab omni impuritate purgatus ſit; quapropter Perilluſtris Dominus hoc vino uti poterit,poſtquam pridie electuario purgante uſus eſt.

Venæ ſectio.

Venæ ſectio impoſterum ſaltem bis in anno, juxta conſilium præſentis Medici,inſtituenda erit; præterea Perilluſtri Dominationi Veſtræ etiam acidulæ ſuo tempore, & juxta particularem inſtructionem adhibitæ,non parùm prodeſſent,tum ut hepatis ac renum æſtus contemperetur,tum ut renes ab omni impuritate liberentur. Faxit DEVS. anno 1610.

Nota. prædictus Dominus Baro 26. Januarij 1611. ſcribit, ſibi hepar & lienem intumuiſſe,& ſe dolorem pati in latere ſiniſtro, item ſe in venationibus frigus paſſum eſſe,ac denique multam aquam ingurgitâſſe, nec non pleno ſtomacho balnea acceſſiſſe. huic ſequentia ordinata ſunt ab eodem Mermanno.

R. *Electuarij lenitivi Florenzolæ* ℥j.
Mellis Roſati laxativi ℥iij.
Aquæ Boraginis q̄s.
Miſce fiat potio purgans.

R. *Foliorum Senæ electæ* ℥jß.
Agarici albiſſimi inciſi & conquaſſati,
Turbith albiſſimi craſſè pulveriſati,
Radicis Mechoacæ craſſè pulveriſatæ ana ʒiij.

Zingi-

Zingiberis inciſi ʒjß.
Herbæ Cardui benedicti,
Florum Chamæmeli,
Comarum Abſinthij ana ℈j.

Excipiantur linteolo & fiat ſacculus pro vino.

CONSULTATIO X.

CALCULI CVRA PRÆSERVATORIA.

PRO

FOEMINA QUADM ILLUSTRI.

*

SCiendum eſt, quòd non ſolùm ſuperfluitas in cibo & potu calculum in renibus producat, ſed etiam omnia alimenta tam ſolida quàm liquida, quæ viſcida craſſa & impura ſunt: utpote vinum recens, muſtum, cevifia recens,omníſque potus,non ſatis defæcatus. præterea nocet vinum generoſum,aquâ ſufficienter non dilutum:inter cibos omne, quod multo ſale aut aromate conditum eſt: præſertim verò damnantur caſeus,lacticinia,paſtilia,& farinacea. item oryza, panis ex artocreate, (Paſteten) ova dura,albumen ovorum,caro dura, ſale & fumo parata,caro recens mactata,& tenax,capita vitulorum, cerebrum, inteſtina,pulmones,jecinora,corda & pedes: inter volatilia vituperantur anſeres, anates, aliæque aves aquaticæ: inter piſces prohibentur aſellus marinus,haleces,tincá,ſalmo,anguilla,& alii ſale conditi,item piſces molles mucoſi,quapropter & cyprinus latus,carpio, barbus rarò admittuntur, cùm ſine damno patientis in uſum vix veniant: uti etiam nec gambari admodum laudantur. Alimenta calculoſis noxia.

Porrò neceſſarium eſt in hoc affectu, ut alvus ſit aperta quotidie,nam conſtipatio vehementer nocet. idcirco ſi hæc contingeret, varia media ad illam emendandam in promptu eſſe oportet: inter cibos,quæ alvum laxant,ſunt pruna dulcia, paſſulæ, herbulæ virides & recentes in principio menſæ aſſumptæ; inſuper utiliſſimi ſunt clyſteres domeſtici,ſæpe injecti, quibus renum impuritas ad alvum derivatur,evacuatúrque.

Ad præſervationem calculi admodum laudatur vomitus, iis præſertim,qui ad illum faciles ſunt; quare ſi Illuſtris Patiens ſine magna difficultate vomere poteſt, optimum foret, ut ad vomitum ſeſe ſubinde diſponeret tali priùs vomitorio aſſumpto. Vomitus ad præſervationem calculi utilis.

Vomitorium.

R. *Brodij carnis vel Cicerum non ſaliti* ℥ix.
Diluantur in ijs
Oxymellis ſimplicis ℥ij.
Syrupi Violarum purpurearum ℥j.
Miſceantur benè,

Et tepidè ebibantur etiam cum nauſea, poſt quadrantem horæ vomitum ciere ſtudeat, & conetur abſque tamen omni violentia. Præterea ſuadeo maximopere, ut Illuſtris Patiens non ſolùm bis in anno, verno ſcilicet & autumnali tempore, corpus ritè & ſufficienter expurget, ſed etiam ſingulis menſibus, toto anno, leni aliquo & laxante medicamento utatur. purgatio vernalis & autumnalis tali modo, vel juxta præſentis Medici judicium, inſtitui poteſt.

In nephritide ſingulis menſibus juvat corpus expurgare.

R. *Foliorum Senæ electæ* ℥ß.
Seminis Aniſi,
Zingiberis ana ʒß.
Radicis Liquiritiæ ℈ij.
Paßularum ℥ß.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥iiij. ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua diſſolve
Mannæ ℥ijß.
Oxymellis ſimplicis ℥ß.
Miſce fiat potio, ſumenda manè horis 5. ante prandium.

Evacuatio vernalis & autumnalis.

R. *Oxymellis ſimplicis* ʒx.
Mellis Roſati ʒvj.
Miſce diluantur in ℥iijß.
Juſculi pulli gallinacei, vel columbini non ſaliti.
Fiat potio, ſummo manè porrigenda, & triduo continuanda.

Potio purgans in nephritide.

R. *Foliorum Senæ electæ* ʒijß.
Agarici præparati ʒjß.
Turbith,
Liquiritiæ ana ʒj.
Seminis Aniſi,
Zingiberis ana ℈ij.
Paſſularum,
Tamarindorum ana ℥ß.
Florum Boraginis,
Malvæ ana Pj.
Decoque in *aquæ Boraginis* ℥iiij. ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua diſſolve

Mannæ

Mannæ ℥ijß.
Oxymellis ſimplicis ℥ß.
Miſce fiat potio offerenda horâquintâ matutinâ.

Pro menſtrua purgatione ante omnia inſerviet electuarium ſequens, diem unum ante vel poſt novilunium aſſumptum, horam unam aut alteram ante prandium; die verò ſequenti poſt aſſumptum electuarium neceſſarium erit, clyſterem domeſticum admovere; vel ſi alvus eſſet adſtrictior, etiam pridie, quàm ſumitur electuarium, clyſma utile foret.

Laxans bolus ſingulis menſibus ſumendus.

R. *Florum Caſſiæ recenter extractæ* ʒvj.
Pulveris radicis turbith albiſſimi ℈j.
Cinnamomi acuti grana v.
Miſce fiat bolus mollis cum *ſaccharo*, ſumatur tribus aut quatuor horis ante prandium; vel loco hujus ſumi poterit ſequens bolus.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis* ʒj.
Aloës Roſatæ ℈j.
Specierum Eleſcophi grana v.
Miſce & cum *aqua Cinnamomi* fiat bolus.

R. *Syrupi de corticibus Citri*,
Juris Zingiberis conditi ana ℥ß.
Dentur ex cochleari cum bolo nebulis involuto.

Medicamenta diuretica, quæ ſubinde in hiſce caſibus ab aliis ſuadentur, conſulo equidem ut omittantur, niſi quòd Illuſtris Patiens, prægreſſa tamen corporis ſufficienti evacuatione, tale juſculum accipere poterit.

Juſculum diureticum.

R. *Cicerum rubrorum* N°. xxv. vel xxx.
Granorum Halicacabi viij. vel x.
Radicum Petroſelini,
Althææ ana ℥ij.
Coquantur unà cum quarta parte gallinæ, vel media columbi, aut pulli.

Bibatúrque manè quatuor horis ante prandium calidè; continuetur hoc per dies tres continuos, ſingulis tamen diebus paretur recens. Lumbi præcipuè tempore æſtatis Unguento Roſaceo manè & ſerò ſæpe inungantur. balnea quoque aquæ dulcis non improbantur aliquando, dummodo corpus priùs ritè purgatum, & manè jejuno ventriculo, & alvi priùs depoſitis excrementis inſtituantur.

Topica.

Denique obſervandum eſt, quòd Illuſtris Domina, tempore quo utero gerit, ab omni medicamento abſtinere, ſola victûs ratione debita, ſeſe continere debeat. & quòd ſi dolor utero gerentem affligeret, (quod DEVS avertat) poſt quartum gravidationis menſem

Nephritica gravida quomodo tractanda.

uſque

uſque ad finem menſis ſexti, accipere poterit purgans aliquod medicamentum urgente neceſſitate, priùs verò clyſmate in alvum injecto, facto ex brodio gallinæ, ſacchari ℥ j. olei communis ℥iij.& ſalis parùm. ita ſc licet ut pridie clyſma adhibeat, die verò poſtero medicamentum purgans, quale erit uti ſuprà aſſignavimus potiuncula ex Manna confecta. Corpore ſic purgato, nec dolore ceſſante, ſemicupia tentari,& locus dolens axungiâ caponis ac butyro recenti mixtis illiniri poſſunt. Verùm ante quartum menſem uti nec poſt ſextum, dum gravida eſt,nunquam purgantia tentabit, ſed ſolis clyſteribus & unguentis ad lumbos, prout diximus, contenta eſſe debebit. Monachij 31. Decembris 1609.

CONSVLTATIO XI.

CALCVLI PRÆSERVATIO, IN CONSTITUTIONE PITUITOSA.

PRO

VIRO PERILLUSTRI.

Perilluſtris Dominus, temperaturâ corporis in qualitatibus activis moderatâ, in paſſivis verò præhumidâ,pituitam in ventriculo & capite copioſam colligit, quæ & defluxionum ad externas corporis partes cauſa eſt, & calculorum in renibus ſeu arenularum generationi materiam præbet. Non immeritò igitur calculum ſucceſſu temporis metuit,eíque, etiam hæreditario præcavendo morbo, remedia petit idonea; prout defluxionibus quoque capitis, ne ſcilicet immodicè auctæ majorem aliquando moleſtiam & periculum adferant. Huic ut ſatisfaciam, primùm fideliter moneo, ut ab accurata victûs ratione, ſecundùm DEUM,ſperet auxilium potiſſimum, ac petat; medicamentis crebris & magnis corpus ſatis benè conſtitutum in hac florenti ætate non affligat. ut verò normam in vivendi ratione obſervandam, perſpectam & ad manum habeat,paucis eam huic loco adſcribam.

Accurata victûs ratio potiſſimum poſt DEUM eſt auxilium in Nephritide.

Videtur hîc aliquid deeſſe.

Evacuationes neceſſariæ Veris & Autumni tempore.

Ad medicamentum quod attinet, bis in anno, Vere ſcilicet & Autumno corpus hunc in modum evacuetur.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis Galeni* ʒj.
Specierum Eleſcophi ℈j.
Cum *aqua Cinnamomi* fiat bolus.

Offerendus

Offerendus duabus horis ante prandium. ſecunda die quieſcat. tertia accedente præſentis Medici conſilio ſanguinem ex dextri brachij baſilica mittat ad uncias octo vel novem. ſequenti triduo, manè, hoc digeſtivum vocatum, offeratur.

R. *Oxymellis ſimplicis*,
Mellis Roſati colati ana ℥j.
Juris pulli gallinacei ℥iv.
Miſce

Pro una doſi, & pariter pro duabus alijs, indè paretur hoc purgans. Potio purgans in nephritide.

R. *Foliorum Senæ* ℥ß.
Zinziberis ℈j.
Galangæ grana vj.
Seminis Fœniculi ʒß.
Fructuum Sebeſten,
Jujubarum ana N°. v.
Liquiritiæ ℈ij.
Decoquantur in *aquæ Boraginis* ℥x. ad medietatis conſumptionem. ſtent per noctem, manè colaturæ
R. ℥iiij.
Mannæ ℥ij. & ʒvj.
Oxymellis ſimplicis ℥j.
Fiat potio, adde
Aquæ Cinnamomi cochleare unum.

Corpore ſic purgato, ad extergendos renes & veſicam, octo diebus continuis, tempore matutino, tale ſorbeat juſculum.

Accipiantur Cicera rubra vel nigra q. ſ. & radices Petroſelini, in aqua & cum ſale ac butyro fiat juſculum ſuave. Alijs temporibus à diureticis abſtineat, ne humorum fiat ad renes & veſicam importuna præcipitatio. in Autumno idem ſervetur evacuandi modus. Præter annuas haſce purgationes conſultum valde ad calculi præſervationem fuerit, ſemel in menſe ſubſcriptis uti pilulis, quibus & ventriculus à craſſis humoribus extergetur, illéque cum capite exſiccabitur. Juſculum medicatum.

R. *Cubebarum*, Pilulæ.
Radicis Galangæ ana ʒiß.
Caryophyllorum ʒj.
Pilularum de Agarico ʒß.
Aloës Soccotrinæ ℥ij.
Fiat maſſa, de qua
R. ℈iiij. & cum *aqua Cinnamomi* fiant pilulæ N°. xv.
Deaurentur, offerendæ duabus horis ante prandium.

Quòd ſi verò interdum remedij formulam variare placeat, vinum purgans medicatum tale ex uſu eſſe poterit.

Vinum purgans medicatum.

R. *Pulveris Senæ Montagnanæ* ℥ij.
Abſinthij vulgaris Pj.
Excipiantur ſindone & fiat puppa infundenda in *vini albi* ℔ij.

Manè ſumpto priùs juſculo carnium bibantur ℥viij. ſine ſacculi expreſſione, ac totidem die ſequenti. Taceo hoc loco de Caſſia & Terebinthina, quorum uſus etſi prodeſſe pluribus poteſt, ſuis tamen non carent difficultatibus, quòd ſcilicet Caſſia ventrem flatibus distendat, Terebinthina caput repleat, utrúmque verò aſſumatur non ita facilè. Probatur præterea ad calculi præſervationem vomitus, qui ſi ſemel in menſe ſaltem, provocari facilè poſſet, haud parùm prodeſſet, præmiſſis ad eum facilitandum ac materiæ inciſionem pulli juſculi ℥x, ac dilutis in eo duabus ac tribus unciis Oxymellis ſimplicis tepidè potatis.

Caſſia flatus generat, Terebinthina caput ferit.

Vomitus laudatur.

Deterſo ventriculo vel præſcriptis pilulis, vel vino medicato, vel vomitu, ſi arenulæ, per lotium elui ſolitæ, ſubſtiterunt, & ſuſpicio ſit, ne in calculum continuatæ concreſcant, jus Cicerum ut ſuperiùs deſcribitur, tres vel quatuor dies jentaculi loco bibat, vel ſumpto pulli jure, ex hoc vino hauſtum faciat.

Vinum Juniperinum in calculo.

R. *Baccarum Juniperi maturarum* ℥ß.
Craſsè inciſæ ligentur in ſindone & infundantur in *vini albi* ℔jß.

Hæc ſpero remedia fore ſatis efficacia ac tuta, nec palato ingrata ad prohibendam calculi generationem. Verùm duntaxat addam, de quo ſucceſſu temporis cogitare Illuſtris Vir poterit, remedium ad ventriculum totúmque inferiorem ventrem evacuandum, calefaciendum, ac roborandum, nec non ad renum veſicæque defenſionem, arenularum & lapillorum, ſi qui ſubſint, excluſionem longè præſtantiſſimum, nempe aquam in Hetruria inter Florentiam & Piſtorium urbes ſcaturientem ſalſam, quæ in pharmacopoliis per totam ferè Italiam venalis aſſervatur, atque viribus penè integris, ut etiam transportari poſſit. hujus aquæ ℔viij. vel decem vel, paulò plus ab Illuſtri Domino ſumi manè poſſent, octo vel decem diebus alternis, moderatè calefactæ, & impoſitâ primo vel ſecundo ſcyphis ʒj. ſalis, in conclavi à frigore munito, leniter inambulando, donec tota aqua per alvum & nonnulla ex parte per urinam reddita fuerit; die verò intermiſſionis injecto enemate ex eadem aqua cum ſaccharo & oleo Amygdalarum dulcium & amararum parato. Inſtitui autem hæc aquæ potatio debebit tempore veris & autumni, poſt univerſales ſuperiùs traditas evacuationes, in victu tenui & cœna potiſſimùm valde parca. DEUS ter Optimus Maximus hæc & cætera omnia ſecundet. in pago Spa. 1598.

Aqua Tettuciana.

CON-

CONSULTATIO XII.

PRÆSERVATIO ET CVRATIO CALCULI.

PRO

REVERENDO VIRO CANONICO.

Additur modus præparandi corpus ad aquas Tettucias bibendas.

MOrbi præcaventur, & ſi adſint curantur, cauſas eorum arcendo, exſtirpandóque radicitus; de cauſis ſabuli,calculíque renalis variant Medicinæ Authores,ego omiſſa diſputatione, materialem concedo humorem eſſe craſſum,lentum,terream item ſubſtantiam, quam Chymicis ſalem & tartarum appellare placuit. Efficiens, quæ iſta in arenam & calculum excoquit,immodicus renum calor eſſe creditur, quamvis materia in renes cum urina irrepens, ac diutius in illis retenta ſolâ morâ ſuâ abſque inſigni fervore lapideſcere poſſit, ſicuti in rivis aquarum tophos generari conſpicimus. In corpore Magnifici hujus Viri hepar ſatis calidum agnoſcitur,cujus intemperiem renes quoque neceſſariò ſequuntur. Præſervatio tam ſævi morbi,tortoriſque immanis ſperanda præcipuè eſt ſecundùm DEUM ab accurata victûs ratione, caloriſque immodici remiſſione. Vitanda ſunt ſatietas cibi & potûs, commeſſationes, repletiones, à menſa exulent aromata, alimenta nimiùm ſalita,carnes duræ ſalſæ,fumo ſiccatæ, piſces etiam ſaliti, cetacei,viſcidi,lac, caſeus & ex his parata obſonia frumentaria, paſtilia, legumina, oryza, ovorum albumina, ova ad duritiem cocta. frixa, raphanus,cepæ,allia, ſinapi,urinas ducentia cibis admixta & incocta. In potu abſit vinum muſtum,generoſum,merum, cerevifia nova non defæcata. Obſunt corporis exercitia,& balneum poſt cibum coctione prima quæ in ventriculo fit nondum peracta. Labor enim cibum præcedere debet non ſequi. Alvi ratio diligens habeatur, quæ ſi officium non faciat,idoneis auxiliis leniatur,ac ſtimuletur cibis nempe emollientibus in prima menſa ſumptis, interdum etiam clyſteribus familiaribus. pauculis item pilulis ex Aloë lota, vel prunis Damaſcenis in aqua decoctis,& unciolâ unâ vel alterâ Mannæ dulcoratis,in prandii vel cœnæ initio appoſitis. Bis in anno tempore Verno, Autumnalique vacuetur corpus ventris ſubductione, venæque ſectione. Purgantium formulæ ſint,quas hîc ſubiiciam.

Calculorum cauſa.

Victûs ratio.

Pruna, loco ſacchari Mannâ dulcorari poſſunt.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis,*
Aloës lotæ ana ʒß.
Cum *aqua Boraginis* fiant pilulæ N°. xv.
Deaurentur Item.
R. *Mellis Roſati ſolutivi* ℥j.
Detur cum pilulis duabus horis ante prandium. poſtridie *Florum Caſſiæ recenter extractæ* ℥j. devoretur horâ unâ ante prandium. ſequenti triduo tres iſtæ potiunculæ præparantes manè bibantur
R. *Mellis Roſati,*
Oxymellis ſimplicis,
Syrupi de Endivia,
Violati ana ℥ß.
Aquæ Endiviæ,
Malvæ ana ℥ij.
Miſce fiat potio.

Tribus diebus continuanda ſummo manè. deinde purgans hoc paretur.

Potio purgans in calculoſis.

R. *Foliorum Senæ,*
Pulpæ Tamarindorum ana ℥ß.
Agarici præparati ʒiß.
Fructuum Sebeſten,
Jujubarum ana N°. v.
Radicis Liquiritiæ ʒiß.
Seminis Aniſi ʒj.
Decoquantur in *aquæ Boraginis* ℥viij. ad tertiæ partis conſumptionem. manè fiat colatura ad ℥iiij. in qua diſſolve
Mannæ ℥ij.
Mellis Roſati plurium infuſionum ℥iß
Oxymellis ſimplicis ℥ß.
Rhabarbari electi pulveriſati & aquâ Cinnamomi irrorati ʒj.
Miſce fiat potio.

Hæc purgandi ratio tam Vere quàm Autumno convenientiſſimè præſentis Medici conſilio inſtituetur. Huic ſubjungam electuarij deſcriptionem, quo ſingulis menſibus corporis impuritas, materialis calculi cauſa utiliter ſubmovebitur.

Electuarium ſingulis menſibus ſumendum in calculoſis.

R. *Florum Caßiæ recenter extractæ* ʒv.
Turbith albiſſimi ℈j.
Pulveris Cinnamomi acuti grana v.
Miſce fiat bolus.

Semel in

Semel in menſe porrigendus pridie conjunctionis ſolis & lunæ. Mirificè quoque conducet quarta quoque hebdomade à cœna largiore vomere,ſi fieri abſque difficultate effatu digna poſſit,faciliorem autem vomitum reddet,pituitámque& cruditates educentOxymellis ſimplicis duæ,vel tres unciæ,aquæ tepidæ ℥vij. vel viij. commiſceantur, fiátque potio vomitoria. Magno etiam ſucceſſu aliqui renum calculum evitant butyri eſu matutino particulam ejus jejuno ventre ſumentes vinique modicum ſuperbibentes. Quod ad medicamenta renes à ſabulo calculi materiâ extergentia attinet, eorum ingens eſt ſylva,ita ut nemo ferè ſit,qui ad calculum aliquod non polliceatur remedium. ſed rarò ac ſobriè illis eſt utendum, Magnificus Dominus fugiat præcipuè calida. ex innumeris ego unum propono, quod poſt corporis vacuationem ter, quatérve tutè uſurpabit. Capiantur fructus Halicacabi (officinis grana alkekengi dicuntur) duæ unciæ incidātur,affunde viniRhenenſis ℔iß.aquæ Fragorū ℔ß.infictili vaſe aſſerventur, bibantur quatuor hauſtibus matutinis, hoc eſt ſingulo manè præſumpto juſculo ex paucis Ciceribus cum modico radicum Petroſelini,butyro, & tantulo ſalis parato.Hæc de calculi cauſa materiali.Renum fervorem mitigabit præterVenæſectionem ineunteVere & Autumno factam quotidiana in unctio loci,quo renes circumſcripti ſunt cum unguento Roſato & InfrigidanteGaleni.Commendatur in eum uſum à Græcis Medicis hauſtus aquæ fontis tepidæ ante omnem cibum ſumptus, cui fortè juſculum pulli vel gallinæ unà cum ſubſtitui poſſet. His auxiliis, favente DEO, Ampliſſimus Vir cauſas,quæ calculum progignere ſolent,effugiet, ſi verò (quod DEVS avertat) renali calculo aliquando corriperetur,tunc protinus ad clyſterem emollientem & dolores demulcentem confugiat, & vacuatis inteſtinis dolore ſe nihil remittente, inſeſſu aquæ moderatè calidæ utatur,corpus convenientibus remediis purgetur,dolens locus foveatur,illinatur oleis anodynis ſcilicet Chamæmeli,Liliorum, Amygdalarum.cataplaſmata aliáque adhibeantur, eâdem intentione ad vias laxandas.

Vomitus ſingulis menſibus a cœnâ largiore inſtitutus, à calculo præſervat.

Butyri eſus laudatur in calculoſis.

Vinum alkekengi præſervat à calculo.

APPENDIX.

AD

Priores Conſultationes de præſervatione & curatione Calculi, & uſu aquæ Teттucij.

Diu eſt,quòd ſcriptum iſtud dictavi, non miſi autem,quòd uſui futurum non eſſet ante Autumnum; moram Nobilis Dominatio Veſtra facilè ignoſcet, nec utar excuſatione longiore, morbus meus anticus, poſticus, ſuperus, inferus, calculus nempe renum & veſicæ (quo tunc non laboravit Mermannus?) non modò memi-

me miſerè & crudeliſſimè torſit, ſed in ſummum vitæ diſcrimen adduxit, ut jam iturus viderer (ſi in re tam ſeria jocari licet) per iter tenebricoſum, illuc unde negant redire queinquam. Domeſtici cum uxore in trepidatione ſumma verſabantur: amici de mortuali, déque juſtis perſolvendis cogitabant; ego acerbiſſimo dolore torquebar, lotio penitus ſuppreſſo, quod ferramentis fracto calculo elicere oportuit. Ad hæc mala accedebat febris, ſitis, proſtratus appetitus, alimentorum incredibilis averſatio, vigiliæ. Hæc me docuerunt verum eſſe Herodoti illud: omnia humana calamitas. DEVM Optimum Maximum precari nunquam intermittam, ut viros bonos omnes, atque in illis Dominationem Veſtram præcipuè ab im̃ani hoc, omniúmque crudeliſſimo tortore præſervet, ac tueatur. Equidem ſic liberatus ſum, ut reliquias nullas in veſica pertimeſcam, quas irritare ad exitum ſibi moliendum periculo non vacat. Hiſtoriolam hanc ad Dominationem Veſtram ſcribere libuit, ut indè territa nihil impoſterum intermittat, quod ad tantæ calamitatis prophylaxin facere quoquo modo poſſit. Addidi ad rationem potandi Tettucianam remediorum non prætermittendorum formulas mihi probatas.

Calculus omnium crudeliſſimus tortor.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis* ℈ij.
Aloës Roſatæ ℈ß.
Cum *aqua Cinnamomi* fiant pilulæ N°. xv. porrigantur quatuor horis ante prandium.
R. *Mellis Roſati laxativi* ℥iij.
Diluantur in juſculo gallinæ pauco, non ſalito, & ſumatur ſtatim poſt aſſumptas pilulas.

Apozema laxans in calculoſis.

R. *Herbarum Capillorum Veneris*,
Betonicæ,
Agrimoniæ ana Mß.
Boraginis,
Endiviæ ana Mj.
Radicum Petroſelini vulgaris,
Fœniculi ana ℥ß.
Polypodij querni ʒv.
Liquiritiæ ʒiij.
Foliorum Senæ ℥ß.
Seminis Aniſi,
Zinziberis ana ʒj.
Paſſularum ℥j.
Fructuum Sebeſten,
Jujubarum ana N°. xij.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℔j. ſtent per noctem. manè fiat colatura, in qua diſſolve

Oxymellis

Oxymellis ſimplicis ℥iij.
Mellis Roſati,
Syrupi è Jujubis,
è Succo Limonum ana ℥j.
Miſce fiat apozema ad tres doſes.

Tertio loco purgetur.

R. *Agarici albiſſimi* ʒij. Potio purgans.
Foliorum Senæ ℥ß.
Seminis Aniſi,
Zinziberis ana ʒj.
Pulpæ Tamarindorum ℥ß.
Paſſularum ʒiij.
Decoquantur in *aquæ Malvæ*, *Boraginis* ana ℥iij. ad tertiæ partis conſumptionem. ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua diſſolve
Mannæ,
Mellis Roſati laxativi ana ℥iß.
Electuarij Diaphœnici ʒiß.
Miſce fiat potio.

NB. Retulit mihi Dominus Doctor Jocherus Conſiliarius Ducalis ſecretusDucem Bellionium ad præſervationem calculi feliciter uſum butyri portiunculâ,manè ſuperbibendo parum vini.Idem mihi narravit de Barone à Starnberg, qui à calculo renum ſe præſervabat remedio, quod ſecretum habebat. Grana Juniperi in vino ardenti macerabat, rurſus exſiccabat. ſumebat tria grana quotidie manè. Alij quatuor, vel plura ſumunt, pro ætatis diverſitate. ſenibus enim plura ſumenda putabat. mihi victu tenui aut frugali cum hujus remedij uſu opus eſſe videtur.

Idem Mermannus in aliquo ſcripto particulari.

CONSVLTATIO XIII.

RENVM EXVLCERATIONIS PERICULUM, EJUSQUE PRÆSERVATIO.

PRO

VIRO GENEROSO.

Prudenter facit Perilluſtris & Generoſus Dominus N.N. dum ſibi à renum exulceratione metuens remedia petit,quibus præcaveri hoc malum, accedente divino auxi-

no auxilio,poſſit. terrent autem Illuſtrem Dominum non immeritò, tum quòd Parens ſuus piæ memoriæ hoc morbi genere obierit, tum verò maximè, quòd in urinis ab aliquo tempore conſpici cœperint craſſa quædam ac farinacea contenta ſibi aliàs planè inſolita.

Propoſiturus igitur auxilia huic rei (uti confido) accommoda, primum tanquam indubitatum mihi ſumam, Illuſtrem Dominum renibus eſſe uti & hepate calidis valde, ventriculo verò ſubfrigido vel certè non adeò firmo, quin cruditates ex levi occaſione committat. Quidquid igitur pituitæ ac crudi humoris, qui coctionem ſubterfugerit in prima corporis regione colligitur, id, niſi cum reliquis primæ coctionis excrementis per inteſtina vacuetur, à renibus cum ſero attrahitur, ob laxàmque eorum ſubſtantiam facilè recipitur, aduritur, & ſingulari naturæ beneficio per veſicam eluitur; quod niſi fieret, periculum foret, ne retentum vel lapideſceret, vel accepta acritudine renum ſubſtantiam eroderet, ac putrilaginem quandam induceret.

Calculi cauſæ antecedentes.

Quæ cùm ita ſint, omni cura incumbendum erit, ut ventriculo robur inſtaurato ejus calore adijciatur, ac renum fervor remittatur. cúmque hæc præſtari, dum materia præſens eſt, nequeant, corpus totum idoneis remediis exquiſitè repurgetur. In purgantibus vitanda cenſeo, quæ validè, ſeu, ut loquuntur electivè, trahunt, laudo Caſſiam, Mannam, Mel Roſatum laxativum, Senam, Rhabarbarum, atque interdum ſed rariùs Agaricum & Hieram; quòd ſi formulas quoque, quas ego probaverim, cognoſcere Excellentiſſimis Dominis Medicis placeat, illæ hæ ſunto.

℞. *Florum Caſſiæ recenter extractæ* ℥vj.
Specierum Hieræ ſimplicis Galeni recenter ex optima Aloë Soccotrina diſpenſatæ ʒj.
Miſce fiat bolus. porrigatur duabus horis ante prandium.

In ſequens biduum ſingulo manè ad humorum inciſionem ac præparationem *Mellis Roſati colati & Oxymellis ſimplicis utriuſque uncia*, quinque horis ante prandium ex cochleari ſumatur, vel addito pauco juſculo pulli bibatur. Indè ſequenti apozemate in tres doſes partiendo purgetur.

Apozema.

℞. *Foliorum Senæ Alexandrinæ ſelectæ* ℥vj.
Seminis Aniſi ʒiß.
Zinziberis ℈j.
Liquiritiæ raſæ ʒij.
Fructuum Sebeſten,
Jujubarum ana N°. vij.
Paſſularum ℥jß.
Florum cordialium ana Pj.

Coquan-

Coquantur in *aquæ Boraginis* ℔ijß. ad medietatis conſumptionem quieſcat in loco tepido una nocte. manè factâ colaturâ ſine expreſſione, de illâ

℞. ℔j. adde

Mellis Roſati laxativi,

Syrupi Diaſereos ana ℥iij.

Fiant hauſtus tres. tribus diebus continuis vel alternis, prout præſenti Medico viſum fuerit exhibendi.

His peractis duo ſuadeo præſtantiſſima medicamenta. Primum eſt aqua Tettucij dicta, quæ ex Italiâ integris penè viribus adfertur, octo vel decem diebus alternis ad libras novem vel decem potanda: cujus ope ventriculus mirè roborabitur, ac renes ſimul bellè extergentur, idque ſine nimiæ caliditatis periculo, cùm per ventrem, nullâ ferè interpoſitâ morâ effatu dignâ, promptè eluatur. Aqua Tettucii.

Secundum eſt, acidula Vbrichingenſis in potu, doſi tamen minori, ac pluribus diebus adhibita. hæc renum intemperiem calidiorem, ſi quid aliud, emendabit, putredinem prohibebit, ventriculum adſtrictione ſuâ firmiorem reddet. à cujus frigiditate tum propter celerem tranſitum, tum quòd actu modicè calida bibenda, nihil erit metuendum. Acidulæ Ubrichingenſes.

De ſanguinis miſſione ſic ſtatuo, cùm hæmorrhoides aliquandò apparuerint, poſſe illas admotis hirudinibus rectiſſimè aperiri. & hæc medicandi ratio proximo menſe inſtitui poterit, ad quam ſi conveniens ratio victûs, ſine quâ omnia remedia ſupervacanea ſunt, accedat; & præſentes morbi valde minuentur, & futuri præſertim verò renum, quæ metuitur, ſuppuratio præcavebitur. Sanguinis miſſio.

Ad hoc alijs verò temporibus non parùm conferet uſus florum Caſſiæ ſemel atque iterum in menſe adhibitus, cui interdum ſpecies Hieræ ſimplicis fideliter paratæ convenientiſſimè adijcientur, ſicut & Terebinthina bis terve ex aquâ Violarum Malvæ & Nymphææ, ne calore ſuo incommodet, elota. Placet & ſerum lactis caprini hac æſtate vel ſub initium autumni potum, eo qui tum præſcribetur modo. Expediret porrò, vomitu quandoque pituitam reijcere, ſi Illuſtri Domino conſuetus eſſet & facilis: juvaretur is Oxymelite juſculo aliquo diluto. Clyſteres etiam mollientes ac moderatè detergentes, ex temperatis ac convenientibus herbulis, Caſſia Saccharo & oleo Amygdalino maximè conducent. Vtile quoque fuerit regionem renum purgato corpore unguento Roſato & Refrigerante Galeni quotidie inungere. Caſſiæ in menſe ſemel iterúmque laudatur uſus, item Terebinthinæ. Serum lactis. Vomitus. Clyſteres. Unguenta.

Verùm ut ingenuè fatear, ego, his non neglectis quidem ſuo tempore, potiſſimam ſpem poſt DEVM in aquâ Tettuciana, & aci-

dula,factis factitandis ritè,uſurpata repoſitam habeo ; atque Illuſtrem Dominum fideliter adhortor, ut ejuſmodi egregiis aliisque efficacibus remediis ad hoſtem pellendum ſe alacriter accingat, neque in levioribus nimiùm confidat. Servet autem caſtigatam atque frugalem rationem vivendi. in qua quod moneam aliud non occurrit, quàm ut lacticinia,caſeum,paſtilia,legumina, nec non quæ urinas movent,in cibis vitet: carnes item porcinas, cervinas, bovinas, anſerinas,omnésque ſale & fumo maceratas. ex piſcibus paucos admittat,iíque ſint parvi lucii, funduli, thymali & renchi vocati, reliquos ferè omnes improbo. Vino utatur Neccarico benè maturo, atque interdum cereviſiæ Embecenſis benè defæcatæ hauſtu. omittat vina dulcia viribúsque generoſa. Ab exercitiis ſicut & à balneis poſt cibum &crudo ventriculo ſibi caveat,exerceatur ac lavet jejunus,& cibo in ventriculo jam concocto, idque ſibi diligenter obſervandum ceu rem maximi momenti perſuaſum habeat. DEUS Optimus Maximus omnia ſuâ gratiâ ſecundet. Auguſtæ Vindelicorum 4. Martij anno 1593.

Victûs ratio.

CONSULTATIO XIV.

CALCVLVS RENVM, EORUMQUE EXULCERATIO SUPERFICIARIA.

Unà cum hypochondriorum obſtructione.

*

COmpatior ex Chriſtiana charitate affectui, quem partim ex literis Nobilis Dominationis Veſtræ, partim Clariſſimi Medici ordinarii, ſufficienter intellexi: adde hæc ſuper, paucis, præmeditatè tamen, conſilium meum. Primò aſſentior opinioni Clariſſimorum Medicorum, quam de eſſentia & cauſis hujus mali attulêre; nempe ex multa & frequenti,nec non ferventi balneatione, corpore impuro facta, atque ob renum calculos inſtituta, exortat eſſe diſpoſitionem inflammatoriam in rene dextro; & exin ulcus ſubſecutum. ſpero attamen illud nec magnum nec ſordidum eſſe; ſed hoc tempore adhuc ſuperficiale, quod ex urinis ſanguinolentis & non admodum purulentis, uti in aliis profundis & magnis renum exulcerationibus contingere ſolet, abunde apparet. Equidem, ut verum fatear, magis de renum calculo mihi ſuſpicio eſt,qui ſubſtantiam & parenchyma renum ſuo attritu continuò lædat,cruentæ poſtmodum urinæ, uti & gravantis in

Balnea intempeſtiva inflammationis cauſæ in renibus & ulceris.

illa parte

illa parte doloris,cauſa. Secundò perplacet mihi vomitorium,quod licet effectum non habuerit, potiùs tamen ventriculi indiſpoſitio ad vomendum, quàm medicamenti inutilitas inculpanda eſt; ita quoque arrident mihi purgationes ex Manna & Syrupo Roſato præſcriptæ,nec non & lac, unà cum rotulis ad renum ulcera celebrata placent. Quòd verò hucuſque talia remedia ſufficiens auxilium Nobili Domino non attulerint, cauſam unà cum clariſſimis Medicis eſſe credo, quòd corpus ſufficienter nunquam purgatum, multis pravis humoribus ſcateat; præterea non dubito,in hepate atque hypochondriis obſtructiones ſubeſſe, præſertim cùm Nobilis Patiens colore ſit pallido,ſiccitatem oris, ac magnam ſitim perpetuò experiatur; quibus in caſibus,lac,ut teſtis eſt Hippocrates, non admodum conducit.

Conſulo itaque, ut hoc tempore ante omnia humores, qui in hypochondriis & viſceribus latent, atque ex toto corpore ad renes facilè decumbunt, diligenter ſufficientérque expurgentur; qua in re neceſſarium eſt, ut Nobilis Dominus obedientiam præſtet, ac omnium primò ſequens Electuarium purgans devoret.

℞. *Electuarij Diacatholici* ℥ß.
Rhabarbari pulveriſati ℈iiij.
Miſce fiat bolus.

Si verò hoc electuario in bolis aſſumendo uti nolit, vel non poſſit, hanc vel ſimilem potiunculam ſubſtituat.

℞. *Mannæ electæ Calabrinæ*,
Syrupi Roſati laxativi ana ℥j.
Electuarij Diacatholici ʒiij.
Pulveris Rhabarbari electi ʒj.
Aquæ Malvæ qs.
Addendo
Syrupi Myrtini ℥ß.
Miſce fiat potio.

Sumpta hac leni purgatione,diem unum quieſcat, poſtea verò, ex conſilio Medicorum præſentium ſanguinem mittat moderatè. Verùm cùm in affectibus renum in brachiis & pedibus venæ ſecentur,ac proinde quæſtio hîc oriri poſſit, qua in parte inſtituenda ſit venæ ſectio? reſpondeo: ſi præſens Medicus plethoram ſeu abundantiam ſanguinis, qui facilè ad renes confluat, perſpexerit, venam in brachio dextro; ſi verò (uti credibile eſt) nulla plenitudo adſit,venam in pede dextro ſecandam eſſe,eóque magis, cùm ſuſpicer, præter renum affectionem etiam febriculam fortaſſis concurrere. Facta venæ ſectione,poſtquam unus aut alter dies quieti datus eſt,ſuadeo, ut electuarium purgans aut potiunculam denuo repetat, poſtea aliquot diebus continuis ſumat tale juſculum alteratum. Venæ ſectio an in parte ſuperiori vel inferiori ſit celebranda?

Juſculū medicatum in ulcere renum,

℞. *Hordei optimi* ℥iß. vel ℥ij.
Herbæ Equiſeti Mj.
Coquantur ſimul, addendo mediam pulli, vel quartam partem caponis, in q. ſ. *Aquæ*, donec *Hordeum* diſſolvatur, & incraſſeſcat; indè de colatura per ſetaceum facta
℞. ℥iij. vel ampliùs, vel quantum ſatis, denuo parùm bulliant, ac poſt cum
Seminum Melonum,
Cucurbitæ ana ℥ß.
Conturdendo fiat emulſio atq; denuo colentur.

Hoc juſculum, quod ad contemperandam humorum acrimoniam,& blandam abſterſionem renis inſerviet, bis de die ſumi poterit manè & ſerò. Prandium inſtituatur horâ mediâ decimâ,ac ultra dimidiam horam non duret. Cœna, ſumpta priùs emulſione dicta horâ quintâ,ante ſeptimam non inchoabitur. atque his quinque aut ſex dies continuatis, denuo conſulo, ut medicamento iterum utatur purgante, & quod ſi Medico ordinario electuarium purgans aut potiuncula purgans à me ſuprà conſignata debilia nimis videantur, ſubſtituatur bolus ita paratus.

℞. *Caſſiæ recenter extractæ* ℥ß.
Rhabarbari electi pulveriſati ʒj.
Miſce pro bolo. vel ſi placet, diſſolvantur in brodio & fiat potio.

Interea, dum Nobilis Dominus nullo purgante utitur, ſi alvus adſtricta eſſet,aut certè ſingulis diebus non aperta, clyſteriolis lenibus ex brodio & Melle Roſato factis ſuccurrendum erit. Porrò juſculo alterante ac purgantibus eò tandem continuatis, ut Nobilis Dominus purgantia,ter ad minimum,ſumpſerit,accedendum ultimò erit ad potionem ex herbis ita paratam.

Decoctum magiſtrale in ulcere renum.

℞. *Radicum Fragariæ* ℥j.
Tormentillæ,
Pentaphylli ana ℥ß.
Herbæ Equiſeti Mij.
Saniculæ Mj.
Baccarum Alkekengi ℥ß.
Hordei integri ℥j.
Paſſularum ℥ß.
Jujubarum,
Sebeſten ana N°. vij.
Omnia coquantur in duplici vaſe in *aquæ chalybeatæ* ℔iiijß. per horas quinque vel ſex, deinde ubi refrigerint colentur.

Doſis eſt

Doſis eſt libra ſemis,tempore matutino,ita ut ſomno iterum in-dulgeri inſuper poſſit. Cæterùm poſtquam hæc potio per ſex dies fuerit continuata,ſeptimo die demum alvus laxabitur, Rhabarbaro ſcilicet ad ℥j. cum Saccharo Roſaceo mixto. interea verò, niſi alvus ſemper reſponderit,clyſteribus lenibus ſollicitanda erit. Atque hæc cura per potionem modò præſcriptam, continuabitur ad triginta circiter dies, ita tamē ut ſeptimo ſemper die laxans aliquod adſumatur.

Cibus ſit paucus & bonus, prout Medici rectè monuerunt, & etiam deſcripſerunt; ratione potûs mulſum videtur ſuſpectum, præcipuè cùm ulcus nec profundum nec ſordidum ſit. placet aqua hordeata præſcripta, cui ob gratitudinem ſaporis majorem aliquid de Cinnamomo addi poſſet.

Atque hæc ſunt, quæ in præſenti caſu mihi proponenda viſa ſunt. ſciviſſem quidem lubenter,quomodo pulſus,an febrilis,an debilis vel fortis ſit? item quomodo appetitus, ſomnus, alvi excretio, aliæque circumſtantiæ ſe haberent? & præſertim an urina cum ſanguine ſemper ſit mixta? Monachij 1608.

NB. *Nobilis iſte Vir uſu aliquorum ex præſcriptis remediis (ut coràm referebat) meliùs habuit,ad acidulas anno 1609 profectus, lapidem, magno præcedente dolore,excrevit,indéque benè valuit.*

Idem Mermannus.

CONSVLTATIO XV.

CRVENTA MICTIO.

PRO

CIVE QUODAM.

*

HIppocrates Author antiquiſſimus ſcribit, quòd cognitio morborum difficilior ſit, quàm curatio eorundem; hoc verum eſſe agnoſco in affectibus illis,qui nec viſu,nec tactu apparent,ſed intellectu ſolummodo per varia ſigna innoteſcunt. Iſtud ideo moneo,quoniam mihi cauſa Domini Patientis affectûs ſufficienter non pateſcit, ac idcirco multa remedia,ut præſcribam,difficulter adducor. Locus unde ſanguis (qui mingitur) exoriatur,nō dubito,quòd ſint renes,à quibꝰ per ureteres & dein per veſicam,(quæ ſine dubio illæſa eſt, quandoquidem de nullo dolore,aut mingendi conatu ſcribitur) ac virgam effluit. An verò renes ab uno aut pluribus calculis obſeſſi, læſi, eorundémque venulæ apertæ ſint? dubium quidem, probabile tamen, ſed certum non eſt. — Morbi cognitio difficilior quàm curatio.

 nam

Renes à parvulis calculis ; ſine dolore obſidentur ; à magnis non ſine ſenſu gravitatis.

nam unus pluresv e calculi in renibus,parte à natura non ſenſibili,ſine dolore latére & permanere poſſunt ; hoc verò intelligitur de parvis calculis , cùm majores inibi exiſtentes per dolorem gravativum ſeſe manifeſtent. parvi itaque calculi in renibus latitantes dolorem non ciunt, niſi dum è renibus in ureteres ſeſe intrudunt ; ubi non ſolùm magnos cruciatus ſuſcitant,ſed etiam cruentæ mictionis cauſæ ſunt.

Sanguinei mictûs cauſæ diverſæ.

Sanguinis mictus (qui nullo præcedente caſu ; ictu aut aliâ violentâ cauſâ,provenit) oriri etiam aliquando poteſt à fervido, acri, tenui,& ſeroſo ſanguine,multa bile ſalſiſque humoribus mixto,ex quibus venulæ tum aperiuntur,tum etiam ſæpius exeduntur. In hoc noſtro Patiente probabile eſt, ultimam modò aſſignatam cruentæ mictionis cauſam ſubeſſe , cùm Patiens complexionis admodum fervidæ ſit, hepar habeat & renes præcalidos ; an verò unus vel plures calculi ſimul lateant, pro certo affirmare, vel negare non auſim. Verùm quidquid ſit,cùm ſâguis theſaurus ſit vitæ, tam diuturna illius excretio negligenda non eſt, neque ulla medicamenta adhibenda ſunt, quæ calore aut acrimoniâ calculos comminuere creduntur. atque hæc de eſſentia & cauſa hujus affectus.

Victûs ratio.

Remedia in tribus conſiſtunt : nempe bona victûs ratione,pharmacia & chirurgia. quoad victûs rationem ſeu diætam ; Dominus Patiens vitare debet aërem fervidum tum ſolis tum hypocauſti. Alimenta nocent multo ſale & aromatibus condita, & etiam diuretica, uti Petroſelinum , Raphanus ſylveſtris & domeſticus, Sinapi, Allium,Cicera rubra,& ſimilia,quæ inter cibos cæteroquin exhiberi ſolent. prætereà obſunt vinum generoſum , Abſinthiacum , Juniperinum,& Carduobenedictinum. Potus erit vinum tubellum Neccaricum , aquâ chalybeatâ benè & minimùm ad tertiam partem mixtû ;

Aqua chalybeata ejúſque parandi modus.

hæc aqua ita paratur: Accipe chalybem,ignefiat , & extinguatur in aqua fontis ; hæc prima aqua abjicitur ; dein denuo ignefiat chalybs,& in una menſura aquæ extinguatur, & hæc ignitio extinctióque chalybis tertia vice in eadem aqua repetatur ; aqua ſic parata aſſervetur pro uſu. Quies in hoc affectu neceſſaria eſt ; ſomno de noctu indulgendum ſeptem horis ad minimum. Motus omnis paulò vehementior nocivus cenſetur. Venus valde obeſt.

In mictu ſanguinis Venus noxia.

Ira, curæ, triſtitia aliíque animi affectus & commotiones nocent vehementer. Alvus aperta ſit neceſſarium eſt, in qua re adeſſe defectum aliquem, ex litteris non percepi.& hæc de prima parte.

Venæ ſectio.

In altera parte ſeu chirurgia , video Dominum Patientem ſanguinis miſſione omnino indigere ; itaque vena epatica in dextro brachio ſecetur & ſanguis ad ℥iiij. emittatur. hoc elapſis ſeptem vel octo horis denuo repetatur, ſanguine eadem quantitate,pro virium tamen tolerantia,emiſſo.

In Pharmacia ſuadeo, ut pridie quàm vena ſecetur , lenis pur-

gatiuncula

gatiuncula hoſtiæ involuta, aut in brodio gallinæ diſſoluta aſſumatur.

R. *Electuarij Diacatholici* ℥j.
Pulveris Rhabarbari electi ʒj.
Miſce fiat bolus.

Facta ſanguinis miſſione, ſequens potio ebibatur per quinque dies continuando, manè, ut ſomnus deſuper iterum iniri poſſit.

Potio aſtringens.

R. *Syrupi Myrtini*,
è ſucco Acetoſæ ana ℥j.
Aquæ Burſæ paſtoris,
Portulacæ ana ℥ij.
Miſce fiat potio, per quinque dies continuanda.

Hiſce ita paractis, & ſuperiùs aſſignato bolo iterum, poſt quinquies repetitas potiunculas ſemel aſſumpto, tandem hic pulvis, in vino rubro aquâ Plantaginis latifolij ad tertiam partem mixto, adſumatur, pondere unius aurei, horis quinque ante prandium, continuando per dies triginta; ita tamen, ut bis in ſeptimana intermiſſo pulvere, electuarium, quod ſequitur, quantitate unciæ ſemi, vel ſi opus ad drachmas ſex, vel etiam, ſi minùs operetur, ad unciam unam devoretur.

Pulvis in ſanguinis mictione.

R. *Herbæ equiſeti pulveriſati ſubtiliſſimè* ℥iiij.
Sig. pulvis ad uſum præſcriptum.

R. *Conſervæ Roſarum veteris* ℔ß.
Rhabarbari electi pulveriſati ʒvj.
Syrupi Roſati laxativi ℥iß.
Miſce fiat Electuarium.

Hepar muniatur epithemate. ſindone, in hoc, rubra intincta & calidè adpoſita, manè & veſperi horâ unâ ante cœnam.

Epithema hepaticum.

R. *Aquæ Acetoſæ*,
Abſinthij,
Cichorij,
Endiviæ ana ℥iiij.
Santalorum Citrinorum,
Rubrorum,
Roſarum rubrarum,
Spodij ana ʒij.
Miſce pro epithemate hepatis.

Renes unguntur manè & ſerò hoc unguento.

Unguentum ad renes.

R. *Unguenti Comitiſſæ*,
Roſati,
Santalini ana ℥j.
Aceti Roſati ℥ß.
Miſce

Nec in-

Nec inutile foret, ſi plumbum in laminas diductum, multíſque foraminibus pervium lumbis tribus horis manè totidémque veſperi applicaretur. DEVS Optimus Maximus hæc omnia benedicat. Monachij 26. Martij. 1607.

CONSULTATIO XVI.

MICTVS SANGVINIS.

PRO GENEROSO BARONE.

Quæ de vitiata urina Perilluſtris Baronis exactè cognoſcenda rectéque curanda à Doctiſſimo Medico ſcripta ſunt, ita mihi probantur, ut nulla in parte ab iis diſſentiam. Scribit Cornelius Celſus ex ore Hippocratis, *ſi ſanguis aut pus in urina eſt; vel veſica vel renes exulcerati ſunt.* Cùm igitur nullum ſe prodat veſicæ malè affectæ indicium, è renibus ſanguinem iſtum defluere, verè eſt pronunciatum. Morbus ſymptoma hoc progignens non æquè in aperto eſt cognitúque facilis. In renum imbecillitate & meatuum relaxatione (ut nunc de jecore ac corporis phlebotomia taceam) ſerum cruentum, carnium animalis nuper mactati loturam, repræſentat. Diſruptionem, ſanguis purus copioſus ac floridus repentè ſequi, motus autem corporis violentus ac ſaltus vel caſus præcedere conſuevit. Reſudationem, rarefactis venarum tunicis, urina rubro colore infecta arguit; quæ & adſtringentibus facilè cedit remediis, & inſolens valdè eſt, raróque conſpicitur. Horum cùm nihil in generoſo Domino appareat, reliquum eſt, ut ad eroſionem; quam vel acrior ſuccus vel calculus fecerit, atque etiamnum foveat quicquid eſt mali, referatur. Ego quæ de nephritico dolore, quem olim Dominus eſt perpeſſus, atque in hodiernum diem perſentiſcit, quæ item de arenulis prodeuntibus ſcribuntur, expendens lapillum ſubeſſe affirmare non dubito, anguloſum & aſperum, per cujus attritum renis ſubſtantia exulceretur, venæque reſerentur. Cur aſſeverare id audeam facit, Primò experientia, quâ didici, ſanguinis diuturnam mictionem ab hac ferè cauſa, aliis abſentibus, fieri conſueviſſe. Deinde autem Joannis Fernelii Medici Doctiſſimi obſervatio; qui per ſolam ſanguinis mictionem renis calculum ſæpe patefactum, nullisque aliis indiciis proditum, ut ne ſubeſſe quidem putaretur, literis mandatum reliquit. Hæc cùm ita ſint, uti omnino timeo, curatio ſanè difficultatis ac periculi (ut benè Dominus Doctor Godefridus prædicit) pleniſſima, vixque integra ſperanda erit; imò me authore

Mictûs ſanguinei diverſæ cauſæ.

Calculus mictionis ſanguineæ plerúmque cauſa.

thore ſolicitè ac validis remediis ne attentanda quidem. Calculum enim ferè per lithontriba frangere,comminuere,ac cum urina expellere, quis prudens ſatiſque ſanus hîc auſit Medicus? monet Fernelius,diu poſſe multam emictionem cruentam prodire,ſine manifeſta virium jactura; id quod ipſe quoque in Nobili Fœmina obſervavi,quæ poſtquàm plurimos per intervalla excreviſſet calculos, illis vacuari deſinentibus, ſanguinem mingere cœpit, anniſque aliquot prodiit copiâ tam magnâ, quam nemo facilè crederet. Vivit illa & ab annis plùs minùs quindecim valetudine fruitur ſatis comoda; calculos interim in renibus geſtans haud dubiè complures, at minùs fortè aſperos,ob ídque venis aperiendis minùs accommodatos. Hæc autem à me non ideo commemorantur, quòd putem, affectum hunc negligendum, oſcitantérque tractandum eſſe, ſed remedia ad eum perſanandum non ita anxiè perquirenda, ut eorum multitudine ac potentia inſigni æger in majus diſcrimen adducatur. *Sanguis diu mingi poteſt ſine magno virium lapſu.*

Nemo neſcit ſanguinem vitæ theſaurum eſſe, ac profluvium ejus uti & cachexiam,hydropem, ac tabem indè ſequi ſolitam, quantum fieri poſſit,præcavendam. Itaque auxilia nonnulla euporiſtica, coercendo ſanguinis fluori,& calculo,vel conterendo,vel lævigando ſaltem,atque incremento ejus prohibendo, nec non deſiccando ulceri idonea,quæ & tuta & ex uſu hoc tempore fore videntur, hîc ſubſcribam. Primum eſt corporis evacuatio per potionem ſequentem.

Purgans potio in ſanguinis mictu.

R. *Mannæ* ℥iſs.
Diſſolvantur in *aquæ Plantaginis* ℥iij. addendo
Pulveris Rhabarbari electi ʒj.
Syrupi Myrtini,
Jujubarum ana ℥ß.
Miſce fiat potio.

Quæ repeti ſæpiuſcule, quoties nempe præſenti Medico videbitur, ad vitioſos humores à renibus avertendos, debebit. Alterum ita habet.

Potio adſtringens in mictu ſanguineo.

R. *Syrupi Myrtini* ℥ij.
Aquæ Plantaginis ℥iiij.
Pulveris Equiſeti ʒj.
Miſce fiat potio,per complures dies continenter aſſumenda.

Equiſeti pulvere ulcus veſicæ, brevi temporis ſpatio, ſanatum aliquando fuiſſe,compertum habeo. Vbi deterſio nonnulla ulceris, quod nunc ſordidum non eſſe ſcribitur,requiretur,omiſſis aquâ & ſyrupo,ſolus Equiſeti pulvis ex aqua ſaccharata, vel mulſa,vel lactis ſero,addito melle,convenientiùs porrigetur. Tertio loco, gummi arboris ceraſi ex vino potum. Vltimum eſt experimentum, à Reinero Solenandro traditum, Veronica ſcilicet, & Prunella vulgò dicta,vino *Alia experimenta.*

cta,vino incocta, id, poſt multa fruſtra adhibita remedia, ſanguinis mictum diuturnum perſanavit, quo ſine noxa Illuſtris quoque Baro re poſtulante, cùm ſcilicet copioſior ſanguis cum lotio procedit, uti poterit.

In topicis laudo, quæ renes minimè gravando modicè refrigerare, ac roborare poſſunt,ut eſt Refrigerans Galeni, vel unguentum Roſatum linteolo inductum,regioni renum impoſitum,& poſt horulam,ne incaleſcens calefaciat,remotum, ac paulò pòſt denuo adhibitum.

In victûs ratione accuratè tibi præſcripta, non eſt quod moneam, ſi febre careat, in potu laudo vinum Neccaricum rubrum, aquâ chalybeatâ, vel ſaccharatâ ſi detergendum videatur, lymphatum. neque enim video,cur vinum ad virium ſuſtentationem concedi non debeat,uſu ſaltem valde moderato. placeret vinum Cydoniorum,è Cydoneis in muſto ad dies triginta maceratis, quod cùm ad manum jam non ſit, proximo autumno, ſi neceſſitas poſtulârit, facilè parabitur,eo quem Dioſcorides docet modo. Commendat Solenander aquas Spadenſes, quæ ferro ſint imbutæ; ego ſuſpectas habeo ob vim diureticam ;deinde quòd ipſe calculoſus nihil ab earum potu fuerim adjutus; ac ſenem quendam cruentas urinas mingentem nihil indè levari, quin potiùs lædi,aucta ſcilicet cruenta mictione,obſervaverim. Per Schwalbacenſium aquarum potum nephriticorum dolores non mediocriter ſubinde exaſperari, ex aliorum relatu primùm accepi, ac tandem in me ipſo quoque ſum expertus; ita ut neque illas Illuſtri Domino tuas fore putem; Itali laudant in ſanguinis mictu Calderianas ſuas ferreas (ut putant) in agro Veronenſi ſcaturientes; alii commendant aquam agri Carpenſis aluminoſam, cui Blandulæ nomen eſt; hanc ſanè ego magni facerem, ſi viribus integris advehi poſſet, memor adjumenti, quod Religioſus quidam Noſocomii Florentini infirmarius, ob ejusdem uſum in cruenta mictione percepit. Verùm de his ulterior ſuo tempore erit deliberatio.

Vinum Cydoniorum.

Acidulæ pleræque in ſanguinis mictu ſuſpectæ.

Deus Optimus Maximus heroicum hunc Virum proſperæ valetudini quamprimùm reſtituat. Monachij 7. Junij 1601.

CON-

CONSULTATIO XVII.

INCONTINENTIA URINÆ, MOTUS SPASMATICI, ET DISPOSITIO HYDROPICA, UNA CUM IMPOTENTIA AD VENEREM &c.

IMpotentia coitûs, ſi à defectu ſpirituum vel à faſcino dependet, à Medicina vix habebit ſubſidium. Incontinentia urinæ à triplici cauſa dependet, nempe à laxitate muſculi orificium veſicæ urinariæ claudentis, ab urinæ acrimonia, & ejuſdem multitudine: per quæ ultima duo natura ad excernendam urinam ſtimulatur, & quaſi compellitur. Relaxatio muſculi prædicti, magna ex parte orta eſt à medicamentis diureticis pellentibus, quibus loca illa urinaria adeò obruta ac debilitata fuêre, ut muſculus officio ſuo fungi ampliùs non poſſit. Spaſmaticus & dolorificus motus pedum, ab acri & pravo humore, nervoſis, tendinosisque partibus maximè infeſto, provenit; quæ idcirco partes, dum talis humor affluit, ſeſe ad expellendum illum accingunt, & eijcere ſatagunt convellendo. Vrinam albam turbidam, materia pituitoſa, quæ probabiliter in ſtomacho priùs generata, & à renum fervore poſtea attracta fuit, ut ego quidem arbitror, efficit. medicamentis quibus uſus eſt diureticis, ac præcipuè cantharidibus, non parùm coadjuvantibus. Neque porrò ab omni ſuſpicione arenularum vel calculorum latitantium liberi ſumus, cum ij non in renibus tantùm, ſed etiam in veſica ſine dolore notabili latitare aliquamdiu ſoleant. Sitis tandem præternaturalis effectus videtur eſſe hepatis & renum fervoris, eò periculoſioris, quòd hydropem minetur, atque adeò affectuum omnium reliquorum magis ſuſpecti.

Diuretica multa incontinentiam urinæ inducunt.

Cantharides aliquando noxiæ.

Calculi etiā in veſica ſubinde ſine dolore latitare ſolent aliquamdiu.

Remedia ad enarratos affectus (exceptâ impotentiâ) accom̃oda paucis conſigno: & primò quidem à nimio potu abſtinebit: pro potu ordinario vinum Neccaricum ſeliget rubrum aquâ, in qua chalybs aliquoties extinctus eſt, benè dilutum: omnia diuretica uti Petroſelinum, Paſtinacam, aromata &c. vitabit. Præterea hoc tempore corpus expurgabit medicamento ex Caſſia, Tamarindis, Rhabarbaro, Manna, & Syrupo Roſato ſolutivo confecto: ut commodè poſtmodum ad uſum ſeri lactis caprilli accedi poſſit: parabitur illud infuſis & decoctis ſimul herbis Fragariâ, Equiſeto, paucâ Salviâ, radice Tormentillæ, Viſco quercino, Roſis; atque hujus mediam menſu-

Serum lactis magiſtrale in ſanguinis mictione.

menſuram manè jejunus aſſumat calidam, inambulando poſtmodum ſine motu violentiori, atque ita continuando per ſeptimanas circiter tres. Quòd ſi verò exin ſtomachus ventérque inflaretur, abſtinere à ſero conſultiùs erit. His ita peractis pro ulteriore evacuatione per alvum materiæ pituitoſæ, quæ unà cum urina effluit, ſuaderem equidem uſum aquæ Tettucij, per tres aut quatuor dies continuandum, ea methodo, quæ aliàs à me adnotata eſt. Poſtmodum pro corroboratione, alteratione viſcerum hepatis, renum, ventriculi, ad aquas acidas Schwalbacenſes pervenirem; ac tandem pro adſtrictione colli veſicæ atque muſculorum ejuſdem thermas Grumbacenſes recta methodo adhibitas laudarem. Interim pro ſiti veſperi ante cœnam hauſtum bibat hujus aquæ.

Uſus aquæ Tettucij.

Thermæ Grumbacenſes.

Aqua cocta.

℞. *Paſſularum* ℔ß.
Tamarindorum ℥iij.
Linguæ Cervinæ,
Ceterach,
Capillorum Veneris ana Mj.
Affunde *aquæ* menſuras vj. ſervetur in cella vinaria aliquot diebus, dein indatur in linteolo incluſa
Cinnamomi acuti ℥j.

Monachij 1. Februarij. 1605.

CONSULTATIO XVIII.

ARDOR URINÆ, ET SUSPICIO CALCULI IN VESICA.

PRO NOBILI MATRONA.

*

Poſtquam diligenter expendi, & meditatus ſum omnes circumſtantias, quibus Nobilis Matrona affligitur, apparere video non tantùm læſionem aliquam colli veſicæ, ac meatuum urinariorum, qui continuum dolorem & ardorem urinæ perſentiunt, verùm etiam non levem ſuſpicionem calculi à renibus in veſicam delapſi, atque hactenus inibi reſtitantis. Hoc equidem, pro certo tamen, non affirmaverim; ſed cum in finem dictum volo, quòd ſuſpiciones & indicia calculi non deſint, adeò tamen obſcura & confuſa, ut ſine manuali operatione ſeu per ſyringam exploratione (quæ & ipſa aliquando fallit) nihil firmi & certi

Calculi in veſica ſigna non ſemper firma.

aſſeri

aſſeri poſſit. Manualis operatio in hoc conſiſtit, ut per candelam, aut aliud inſtrumentum argenteum, quod ſyringam vocant, in collum veſicæ ſuaviter & cautè immiſſum exploretur diligenter, an calculus, aut tumor, aut alia excreſcentia adſit? hæc verò operatio à nulla fœmina, ſed à ſolo chirurgo viro experto & lithotomo fieri poteſt. Itaque ſi innoteſceret calculum adeſſe, cauſa tandem etiam pateret, cur hactenus in Nobili Matrona tot adhibita medicamenta nullum effatu dignum attulerint fructum; ac porrò eò cogitandum foret, quomodo ſecurè calculus eximi poſſet: medicamentis enim comminuere illum poſſibile non eſt, nec ſine magno periculo damni majoris, tentandum.

Calculus comminui medicamentis non poteſt nec tentari ſine magno periculo.

Interea utendum iis mediis, quæ dolorem leniunt, atque læſionem in collo veſicæ, quantùm poſſibile eſt, demulcere queunt. remedia interna ſunt clyſteres ex lacte vaccino, ſaccharo rubro, & butyro confecti, ac ſæpe adhibiti; uti etiam Caſſia recenter extracta; item dilutio vini cum decocto Liquiritiæ; necnon abſtinentia à falſis, aromaticis, & acribus cibis. balnea ſeu ſemicupia aquæ dulcis, in qua Malva, Violaria, Althæa cum toto, ſemen Lini, & herba Raparum incocta ſunt, manè jejuno ventriculo & ad veſperas horâ quartâ vel quintâ adhibita, & per horam integram continuata laudantur. & quandoquidem locus doloris ad partem exteriorem corporis anteriùs vergit, idcirco Illuſtris Matrona benè faciet, ſi poſt balneum, atque poſt emiſſam urinam, petiam ſequenti linimento tinctam intra corpus ſemper immittat.

Remedia anodyna.

R. *Unguenti de Ceruſſa,*
Roſati,
de Lithargyro ana ℥j.
Miſce pro unguento.

Unguentum.

Præter hæc neceſſarium eſt, ut leniens atque ſanans per ſyringam in collum veſicæ medicamentum aliquod injiciatur; quod fieri poterit per obſtetricem expertam, cui diſpoſitio veſicæ & ejus colli nota eſt, atque hoc prima tantùm vice: nam poſtea Nobilis Patiens ab obſtetrice edocta facilè ſibi ipſi hanc injectionem applicabit; & primò quidem talis injectio tentetur; poſtea & altera, quæ ſequitur, mutatis vicibus adhibeatur.

R. *Albuminum ovorum recentium* N°. iiij.
Agitentur in liquorem, adde
Lactis muliebris ℥iij.
Butyri recentiſſimi ℥ß.
Miſce pro injectione tepidè applicanda.

Injectiones in veſicam urinariam anodynæ.

R. *Mucilaginis ſeminis Pſyllij,*
Malvæ,
Althææ,

 Lini,

Mucilaginis ſeminis Lini,
Cydoniorum extractæ in aquæ Malvæ ℔ß.

Adde
Olei Nenupharis ℥ij.

Et iterum diſſolve
Opij,
Croci,
Seminis Hyoſcyami,
Camphoræ ana granum j.

Miſce pro injectione.

Exteriùs ſuprà pubem, pannum lineum, qui in epithemate ſequenti intinctus & madidus ſit, applicandum cenſeo, præſertim peracto balneo.

Epithema ad veſicam exterius.

R. *Aquæ Malvæ,*
Chamomillæ,
Solani,
Lactis Muliebris ana ℥v.
Olei Violati,
Butyri recentis ana ℥ß.

Miſce pro epithemate.

Et hæc pro hac vice. DEVS ſua benedictione adſiſtat. Monachij 25. Octobris. 1606.

Sequentia poſtmodum ordinata fuerunt.

Potus purgans.

R. *Foliorum Senæ electæ* ℥ij.
Radicis Liquiritiæ ℥ß.
Jujubarum N°. ix.
Fructuum Sebeſten N°. v.
Paſſularum ℥ß.
Zingiberis ℈j.

Decoque in ſ. q. *aquæ* ad tertiæ partis conſumptionem & in ℥iijß. diſſolve
Mannæ Calabrinæ ℥ijß. ʒj.
Syrupi è Jujubis ℥ß.

Miſce fiat potio.

Linimentum ad pubem in calculoſis.

R. *Unguenti Roſati,*
Mucilaginis ſeminis Malvæ, extractæ in aqua Malvæ,
Pinguedinis caponis ana ℥j.
Cuniculi,
Olei Nymphææ,
Roſarum ana ℥iij.

Miſce & cum modico ceræ fiat linimentum, ad pubem & inguina inungenda.

R. *Foliorum*

R. *Foliorum Malvæ* Mijß. — Mulſum anodynum in calculo veſicæ.

Parietariæ Mß.

Seminis Althææ ℥j.

Fructuum Sebeſten N°. xij.

Radicis Liquiritiæ ℥ij.

Paſſularum ℥j.

Inciſis incidendis, dentur in chartam. De his ſume mediam partem & adde

Mellis ℥iiij.

Coque in menſura j. *aquæ* per quadrantem horæ, de eo manè bibat hauſtulum ad leniendos dolores. & ſi dolor urgeat, etiam noctu, tribus ſcilicet horis poſt cœnam.

Eadem Nobilis Matrona uſa eſt etiam ſequentibus, ſed ut ſcribitur, ſine mali alleviatione. tandem ex thermis meliùs habuit.

R. *Herbarum Equiſeti,* — Serum lactis deſtillatum magiſtrale.

Plantaginis,

Roſarum rubrarum,

Granorum Alkekengi,

Radicum Althææ,

Liquiritiæ ana ℥ß.

Jujubarum,

Sebeſten ana ʒvj.

Boli Armeni ℥ß.

Quatuor ſeminum frigidorum majorum excorticatorum ana ʒiij.

Seminum Papaveris albi ʒvj.

Cydoniorum ℥ß.

Infundantur in *ſeri lactis caprilli* ℔vj. per duos dies deſtillentur.

Sequens pulvis ʒj pondere aliquot diebus ſumatur.

R. *Equiſeti pulveriſati ſubtiliſſimè* ℥iij. — Pulvis Equiſeti

CON-

CONSULTATIO XIX.

CALCULUS VESICÆ, CUM MICTU SANGUINEO.

PRO

VIRO ILLVSTRI.

✠

Sanguinea urina, quam Illuſtris Dominatio Veſtra poſt prægreſſum exercitium equitando, aut eundo, vel curru vehendo moleſtiſſimè experitur, uti etiam dolorifica frequens mictio præſertim nocturna, oriuntur ſingula ex una eadémque cauſa: nempe à calculo adhuc minori in renibus primùm nato, dein der ureteres in veſicam truſo, atque inibi hactenus reſtitante. Nec poteſt ille calculus adhuc magnus eſſe, quandoquidem non diutiùs quàm per ſeſqui annum, uti percipio, in veſica hæret. cùm verò inæqualis, aſper, & aculeatus ſit, mirum non eſt, quod in commotione corporis, venæ veſicæ exin læſæ aperiantur, & ſanguinem fundant. Et cùm ſanguinis natura ſit, ut (poſtquam extravaſatur) mox diſſolvatur & in grumos abeat, neceſſarium quoque eſt, ut tunc Illuſtris Dominatio Veſtra plus doloris ac plus difficultatis in urinando, ob grumoſum ſcilicet ſanguinem urinæ meatus ſimul obſtruentem, percipiat. Hanc opinionem meam de præſentia calculi in veſica, confirmant multa & ferè omnia ſigna, quibus aliàs veſicæ calculus cognoſcitur; præſertim verò prægreſſa nephritis & renum calculus: dolor continuus, poſt emiſſam urinam, in virga: calculoſa arena unà cum urina micta: craſſa turbida & pituitoſa urina atque alia indicia plura, quæ Medicum rarò fallunt.

Sanguis extravaſatus mox in grumos abijt.

Calculi ſigna in veſica latentis.

Quantùm igitur ad ſanationem ac plenam curationem hujus mali attinet, omnibus notum eſt, illam ſine ablatione calculi fieri non poſſe: an verò hæc ſine inciſione ſit poſſibilis, ſecura, & tentanda? non quilibet Medicus ſatis intelligit: quòd ſi quis verò intelligit, cautè ſanè (modò fideliter agat) hoc loci incedere debebit, nec ſpe aut deſiderio medendi, ſecuriora negligendo, deteriùs quidquam aggredi. Equidem ex Chriſtiano & fideli animo, ſectionem ſuadere vix poſſum, multò minùs calculi per diuretica attritionem & expulſionem: quandoquidem medicamenta, quibus ſimilia perfici credunt, tenui ſubſtantia penetrante acutáque eſſe debent, qualia tamen ob ſanguinis mictum nullo modo ſecura, ac, meo judicio, tentanda non ſunt. Verum quidem eſt, multa hac in cauſa remedia

Sectio calculi periculoſa, attritio plerumque impoſſibilis.

afferri

afferri, laudari, quaſi naturali ſua & occulta qualitate ſine noxa calculum atterant,attritum expellant; quibus tamen parum fido: vidi enim ſimilia adhiberi multa,ipſúſque non paucá tentavi,auxilia verò in calculo veſicæ ſubſecuta non vidi, nec expertus ſum; adhæc diligens Medicus omnes circumſtantias ac præcipuè Patientis vires, ætatémque apprime conſiderabit, quod ſanè in Illuſtri Dominatione Veſtra, quæ annum jam ſexageſimum nonum agit, meritò perpendendum erit.

Quibus ita poſitis, meum eſt conſilium, ut Illuſtris Dominatio Veſtra nulli ſe Medico (qui præter ſectionem, quam æquè non ſuadeo,plenam calculi ſanationem promittit) ſubijciat, ſed potiùs paucis medicamentis dolorem partim, quantùm poſſibile eſt, lenientibus, partim ne calculus major fiat prohibentibus contenta ſit; ac præterea tempore,quo cruenta urina mingitur, illa adhibeat, quæ ſanguinem grumoſum ſecurè ad evacuationem promoveant. Remedia & auxilia itaque paucis comprehendo.

Solùm aliquando palliativa locum habent.

Exercitium & motus corporis tanquam manifeſta & evidens, malum exacerbans,cauſa,quantum fieri poteſt, intermitti debet. inter cibos vitanda ſunt acria,ſalſa,acida. vinum recens, acre, acidum, cereviſia aut alius qualiscunque potus qui turbidus aut craſſæ eſt ſubſtantiæ, nocet.

Inter Medicamenta placeret mihi, ut pro evacuatione humoris pituitoſi, quo calculus augetur, & veſica impura redditur, ſingulis quatuor ſeptimanis ſemel, Illuſtris Dominatio Veſtra potiunculam ex Manna & Rhabarbaro aſſumeret.

Potiuncula purgans.

R. *Mannæ* ℥ij. ʒij.
Diſſolve in
Aquæ Boraginis,
Malvæ ana ℥ß.
Adde
Syrupi de Jujubis,
Oxymellis ſimplicis ana ʒij.
Pulveris Rhabarbari electi ʒj. vel ℈iiij.
Miſce fiat potio.

Hæc potio ſummo manè,benè calida & commixta ebibatur, & indè per horam ſomno iterum indulgeatur. vel ſi placet, loco hujus potiunculæ,ſingulis menſibus Caſſia recenter extracta devorari poterit,horá uná aut alterá ante prandium,tali modo parata.

Caſſia.

R. *Florum Caſſiæ recenter extractæ* ℥j.
Pulveris Liquiritiæ,
Aniſi ana ℈ß.
Cum ſaccharo fiat bolus.

Quòd ſi dolor in urinando affligat vehementiùs, clyſma domeſticum inijciatur.

Clyſma in calculoſis anodynum.

R. *Herbarum Malvæ*,
Biſmalvæ,
Parietariæ ana Mj.
Florum Meliloti,
Chamomillæ ana Mß.
Radicis Althææ,
Seminis Aniſi ana ℥j.
Decoque in ſ. q. *aquæ* ad ℔j. Colaturæ adde
Caſſiæ extractæ ℥v.
Sacchari rubri ℥ß.
Olei Amygdalarum dulcium,
Liliorum alborum,
Chamæmeli ana ℥j.
Vitelli ovi N°. j.
Salis ℈j.
Miſce fiat clyſter.

Emplaſtica ad pubem.

Poſt hæc ſumatur Parietaria, Petroſelinum, & Malva, coquantur in ſartagine cum oleo Amygdalarum dulcium, addendo parum vini Malvatici, atque demum imponantur iſthæc pubi. Porrò ſi dolor virgæ urgeat, accipiatur Malva & lacti caprino incoquatur, cui dein virga imponi poterit aliquamdiu, modò ne nimis ſit calidum vel frigidum lac. Præſente urina cruenta ante omnia quies obſervanda eſt: illa verò ob grumos remorante, pulvis accipiatur vino albo mixtus, pars manè, altera pars duabus horis ante cœnam.

Pulvis ad diſſolvendos grumos ſanguinis in Veſica.

R. *Succini albi tenuiſſimè pulveriſati* ℈iiij.
Detur ad duas doſes.

Verùm ſi nec hoc ſatis ſit, ſecurè per expertum chirurgum in veſicam injici poterit, quod ſequitur.

Injectio contra grumos ſanguinis in Veſicam.

R. *Foliorum Parietariæ* Mß.
Pulegij Pj.
Coque in *aquæ fontis* ℔iß. ad tertiæ partis conſumptionem, cum colatura dilue
Oxymellis ſimplicis ℥j.
Miſce pro injectione in veſicam.

Repeti hoc poteſt de die bis; dubium non eſt, quin ſanguinem grumoſum DEO auxiliante ſit diſſoluturum & evacuaturum. & hæc remedia Illuſtris Dominatio Veſtra tentabit, ac me de ulteriori rerum ſtatu commonefaciet. Faxit DEVS ut benè omnia interim ſuccedant.

CONSULTATIO XX.

URINÆ SUPPRESSIO.

AD

Medicum Clariſſimum.

QUia properanti vel ipſa feſtinatio tarda eſt, idcirco ne tabellarius diu detineatur, paucis ad Excellentiæ Tuæ litteras reſpondebo. Cognovi obiter hiſce diebus nobiliſſimum Virum N. lithiaſi renum laborare; jure igitur optimo ſuſpicaris, calculum in veſicam deſcendiſſe, qui dum exitum non invenit, cervicem veſicæ obſtruendo lotium ſupprimat.

Itaque deobſtruendum abſque mora, & via urinæ paranda. fieri hoc nequit corpore impuro; rectè igitur clyſterem & leniens medicamentum ſuaſiſti; quòd ſi ne dum evacuatus eſt venter, potione nimirum vomitu rejectâ, & clyſteribus illico ſine fructu redditis; hortor, ut unus & alter repetatur ex emollientibus conſtans, ex Malva nempe, Althæa, Parietaria, Chamæmelo, oleo, ſaccharo & Caſſia. per os ſumendam laudo hanc potiunculam.

R. *Mannæ* ℥ijß. — Potiuncula grata.

Diſſolve in jure pulli additâ (ad inciſionem)

Oxymellis ſimplicis ℥j.

Aquæ Cinnamomi guttulas aliquot.

Erit gratum palato medicamentum. Caſſia, quòd diuretica ſit, ante ventris lenitionem non probatur alioquin convenientiſſima.

Repurgato ventre ad pellendam urinam iſtud propono efficax & ſuave remedium.

R. *Succi expreſſi è corticibus Raphani acuti*, — Potio diuretica ſuavis.

Limonis crudi,

Vini Malvatici ana ℥ij.

Sacchari albiſſimi ℥j.

Miſce fiat potio.

Præterea infundentur utiliter menſuræ uni *vini* albi *radicum Ononidis* ℥ij. ejúſq; hauſtus porrigetur manè jejuno ventre, & veſperi horis duabus ante cœnam. Pectini imponantur herbæ recentes *Naſturtij aquatici*, *Petroſelini*, *Malvæ*, *Parietariæ* conciſæ & cum *vino Malvatico* madefactæ. Indè inungatur *oleo Amygdalarum amararum*, *Anethino*, *Scorpionum*. Inſeſſus quoque parentur ex iisdem. Quibus omnibus nihil proficientibus vel ſtatim, ſi in mora (ut ſuſpicor) periculum ſit, cathetere lapis, vel quicquid collum veſicæ obſtruit, remo-

Vinum cum infuſione radicum Ononidis.

Emplaſtica, inunctiones.

vendum. Deus conſiliis hiſce benignè annuat. Vale doctiſſime Vir, méque nobiliſſimis Dominis N. N. ipsíque ægro officioſè commenda. hæc in pharmacopolio Monachij 14. Septembris 1602.

CONSULTATIO XXI.

IN SUSPICIONE CALCULI VESICÆ.

PRO PUERO NOBILI.

ASſumat crebrò Caſſiæ ℥ß. ſingulis nempe hebdomadis; uno quadrante horæ ante cibum. Item lenitem clyſterem ex Malva, Chamomilla, radicibus Althææ, Parietaria, Violaria in ℥x. decocti; diſſolvendo Caſſiæ ℥ß. Sacchari rubri ℥j. Olei Chamomillæ & Amygdalarum dulcium ana ℥j. Salis ℈ij. repetatur octavo vel decimo quoquo die. Lapidis contractionem & excluſionem tentet hoc medicamento.

Potio diuretica.

℞. *Succi Raphani*;
Limonum recentis ana ℥x. vel ℥iß.
Vini Hiſpanici vel Malvatici, ℥j.
Sacchari albiſſimi ℥ß.
Fiat potio ſumenda manè jejuno ventriculo; poſt uſum Caſſiæ & clyſteris.

Ante prandium duabus horis inſideat aquæ tepidæ, cui incoctus ſit ſacculus ex Malva, Parietaria, & foliis Raparum, & Naſturtij aquatici; inſideat autem per unius horæ ſpatium, ungendo poſt inſeſſum pectinem oleis Chamæmelino, Anethino, Liliorum alborum & ſimilibus. continuetur autem poſtea inſeſſus aut litus quatuor aut quinque alternis diebus. his peractis, & cum conſilio prudentis Medici quater vel quinquies repetitis; digito in rectum inteſtinum immiſſo dexter chirurgus exploret, an calculus in veſica aliquis deprehendatur: deprehenſum hoc remedio atterendi conſilium eſto.

Aſellorum pulvis calculũ atterere creditur, illius parandi modus, & exhibendi methodus.

℞. Aſellorum, quam volueris quantitatem; abluito diligenter vino albo generoſo; mox in ollam conijcito novam, vitro obductam, incruſtato illam luto; ac poſteà in furno exſiccetur; non comburetur; ità ut in tenuem pulverem poſſit redigi. tum verò affunde ejusdem vini generoſi, quantum poterunt ebibere, & rurſus exſiccato; & tertiò ebibito & ſiccato ut ſuprà; quartò verò pulverem irrorato aquâ deſtillationis fragorum, & olei è Calcantho ʒj. permiſceto invicem & exſiccato rurſus, ſervetur in vaſe vitreo, aut argenteo, doſis ℈ij. uſque ad ʒj.

ad ℨj. cum decoctiCicerum ℥viij. vel viiij. & guttis aliquot aquæ vitæ. continuet uſum iſtius pulveris per XV. dies alternos. Spa. 18. Augusti 1598.

CONSULTATIO XXII.

CALCULUS VESICÆ, VEL CERTE EJUS SUSPICIO.

PRO

VIRO MERCATORE OPULENTISSIMO.

EX deſcriptione affectûs mihi tranſmiſſa, intelligo,aliqua adeſſe,calculi in veſica, ſigna: nempe ſedimentum in urina pituitoſum; excernendi cupiditatem & conatum tam in virga quàm inteſtino recto, ſimul eodem tempore moleſtantem, uti etiam dolorem vehementer affligentem poſt corporis motum. è contra nullum ſubeſſe calculum ſpem facit, quòd Dominus Patiens ab una acceſſione ad alteram benè habeat,vivatque ſine dolore; atque adeò dolor non continuus ſit, ſed dies aliquot intermittat: nam ſi calculus lateret, vix unquam ſine dolore viveret; quamvis & ego obſervaverim non paucos, qui dum ſedent aut cubant, dolores utcunque tolerabiles, aut certè non admodum moleſtos experiantur. *Calculi in Veſica ſigna.*

Thermas quod attinet, conſiderationem illæ majorem merentur. ego de illis ita ſentio: ſi calculus ſubeſt,quod DEVS avertat, thermæ non uſque adeò juvabunt; quin corpus exin non ſine periculo nimiùm exſiccari, & urina acuta magis, & ſalſior reddi poterit, atque indè major in urinando ardor & dolor ſubſequetur. Quòd ſi verò nullus latitet calculus, ſed in veſica mucus pituitoſus ſolummodo ſubſit,qui in ventriculo cumulatus, poſtea à renibus attractus, ac tandem per ureteres in veſicam delapſus eſt; non abs re tunc thermæ ad calefactionem ventriculi & veſicæ, adhiberentur; eóque conſultius,quoniam æger à calidis magnum ſemper experitur auxilium. *Thermæ in calculo veſicæ ſuſpectæ ſunt.*

Interim ratione thermarum cautè procedendum erit, ne illis abutatur æger, ne cibo potúque corpus ſuum oneret ſed temperatè vivat; priùs debitam purgationem & ſufficientem inſtituat;ac durante balneatione ſæpe domeſtico utatur clyſmate,tali modo conciñato: *Thermis cautè utendum.* *Clyſmà domeſticum.*

℞. *Lactis vaccini vel caprini* ℥xij.
Sacchari pro clyſteribus ℥ijß.
Butyri recentis non ſaliti ℥iiij.
Salis ℨß.
Miſce pro clyſmate.

Dolorem lenit ſimúlque pituitam ex ſtomacho ad inteſtina, quò minus ſubſiſtat in renibus aut veſica, derivat.

Potus ſit vinum Neccaricum benè maturum, tertia vel quarta parte dilutum, aquâ, cum Glycyrrhiza ad bonam dulcedinem coctâ. Verùm, quo modo ante thermas purgandus ſit Nobilis Æger, paucis comprehendo.

Methodus accedendi thermas.

Primò, præmiſſo pridie ex lacte (uti ſuprà notavi) clyſmate, electuarium devoretur ex Caſſia, horis duabus ante prandium, ſaccharo aſperſum vel nebulis in volutum.

Bolus.

℞. *Florum Caſſiæ recenter extractæ* ℥v.
Radicis Turpethi optimi pulveriſati ℈j.
Pulveris Cinnamomi grana v.
Miſce fiat bolus.

Devorato hoc bolo, ſyrupus aſſumendus, quatuor diebus continuis, manè ut iterum ſomno indulgeri per horam poſſit. medicamentum ſuave eſt non purgans.

Præparantia.

℞. *Mellis Roſati*,
Oxymellis ſimplicis,
Syrupi Violacei,
Jujubarum ana ℥ß.
Aquæ Malvæ ℥ijß.
Boraginis ℥iß.
Miſce fiat potio, ſummò manè ſumenda.

Poſtea pro ulteriori expurgatione potiuncula purgans haurienda, calida, & benè priùs mixta, quod ſi placet, ſomnum iterum aſſumptâ potiunculâ per horam inire poterit ægrotus. quibus mediis ſi corpus ſufficienter expurgatum non videatur, repetatur poſt aliquot dies eadem potio purgans, quæ ſic ſe habet.

Potio purgans.

℞. *Foliorum Senæ electæ* ℥ß.
Seminis Aniſi,
Zingiberis ana ʒß.
Radicis Liquiritiæ ʒij.
Jujubarum N°. vij.
Fructuum Sebeſten N°. v.
Paſſularum ʒiij.
Florum Boraginis,
Malvæ,
Nymphææ ana Pj.
Decoquantur in *aquæ Malvæ* ℥viij. ad tertiæ partis conſumptionem. ſtent per noctem, manè fiat colatura ad ℥iii.
In quibus diſſolve

Manna

Mannæ ℥iß.
Pulveris Rhabarbari electi jamjam pulveriſati & *aquâ Cinnamomi* irrorati ʒj.
Fiat potio.

Hiſce ita peractis thermæ tandem tentari poterunt: ſed, meo quidem conſilio, moderatè & quantum vires ferunt ſine magna excalcfactione aut facultatum languore; manè ad horas duas uſque, & ad veſperas ad horam unam balneo inſidebit, ſi nempe ad ſummum balneandi tempus aſcendendo pervenerit. poſt prandium, niſi peracta ventriculi coctione, nunquam tentabit thermas, & idcirco pauco cibo potúque in prandio contentus erit. Manè horâ ſextâ balneum ingrediatur, quo peracto per horam in lecto quieſcat; veſperi horâ quartâ balneum repetat; ac eum, quem præſcripſimus, continuet modum. Interim ſpero aſſiſtentem Medicum, omnia, quæ ad rem pro diverſitate circumſtantiarum facere videbuntur, diſpoſiturum eſſe; ac præcipuè benè examinaturum, an hæ thermæ utiles & ſecuræ ſint. Itaque hiſce relictis,ad ea progredior,quæ dolorem, caſu, quo accidentia poſt thermas non deſiſterent, demulcerent, ac delinirent. Balneandi modus.

Clyſmata ex lacte ſuprà annotata utiliſſima ſunt. item ℥j. Caſſiæ recenter extractæ cum ʒij. Liquiritiæ mixta, & dimidiâ horâ ante prandium devorata conducit, dummodo ventriculus non ſit impurus; hinc clyſma ex lacte pridie injiciatur,& ſi ad vomitum facilis aut proclivis eſſet æger, conſultiſſimum foret, pridie quoque vomeret; quod ut faciliùs fiat,conſulo,ut tale deterſorium propinetur.

R. *Brodij gallinæ non ſaliti* ℥viij.
Syrupi Violacei,
Oxymellis ſimplicis ana ℥iß.
Miſce optimè. Vomitivum mite.

Hauriatur etiam cum nauſea tepidè, & poſt quadrantem horæ, vomitus procuretur. Poſt hæc, clyſmata ſcilicet & Caſſiam aſſumptam, ad demulcendos dolores, balneum ex oleo & aqua paratum conduceret.

R. *Foliorum Althææ*, Balneum an dyn[illegible]
Malvæ,
Parietariæ,
Capitum Papaverum unà cum ſeminibus,
Florum Chamomillæ,
Meliloti,
Nymphææ,
Seminis Fœnugræci ana quantum ſatis videbitur.
Indantur in vas aheneum capax, affundendo quantitatem *aquæ* ſufficientem, & coquantur. indè de hujus aquæ colatura

R. *Men-*

R. *Menſuras viginti aut triginta,*
Olei olivarum partem tertiam.
Calefiant dein iterum omnia, & benè miſceantur, pro balneo.

Hoc balneo utetur Nobilis Æger manè & ſerò poſt cœnam, prout facilè ferre poterit. Pro ardore dolorifico & continuo urinandi conatu, utile eſt remedium, injectio mixturæ, quam propono & in ſimilibus caſibus mihi uſualis eſt; ea autem triplex eſt, una alterâ valentior, quas mutatis vicibus chirurgus dexter & expertus, per ſyringam, in veſicæ collum, inijcere blandè & cautè debebit.

Injectiones anodynæ in calculoſis.

Prima.

R. *Albuminum ovorum recentium* N°. v.
Conquaſſentur donec in aquam redigantur, adde
Lactis fœminæ puerum lactantis ℥iij.
Butyri non ſaliti recentiſſimi ℥ß.
Miſce pro injectione prima, quæ, prima ſcilicet vice injici poterit, & poſt aliquot dies hæc, quæ ſequitur:

Secunda.

R. *Seminum Melonum,*
Cucurbitæ ana ℥j.
Lactucæ,
Papaveris albi ana ʒij.
Contundantur & cum *aqua Solatri* fiat emulſio; de qua
R. ℔ß. adde
Mucaginis ſeminum Pſyllij,
Cotoneorum,
Malvæ cum
Aqua Malvæ extractæ ℥iij.
Olei Nenupharini ℥j.
Diſſolvendo in his
Opij,
Hyoſcyami,
Croci,
Camphoræ ana granarum j.
Miſce fiat mixtura.

Tertia.

R. *Mucaginis ſeminum Pſyllij,*
Cotoneorum,
Althææ,
Communium frigidorum
extractæ cum
Aquæ Nenupharis ℔j. adde
Geruſſæ,

Seminis Alterci, id eſt Hyoſcyami,
Gummi Arabici ana ℈ij.

Miſce; agitentur in mortario plumbeo, pro injectione, tempore doloris, poſt prædictas jam uſurpatas.

Cæterùm pro dolore virgæ, qui in ipſa urinæ mictione ſuſtinetur, laudatur lac ſequens, ſi virga in illud indatur & aliquamdiu detineatur in illo. Denique ad mundificationem veſicæ admodum præſtat Terebinthina Veneta, poſt debitam corporis purgationem adminiſtrata, vel injecto priùs clyſmate, atque potiuncul ex Manna ſuperiùs deſcriptâ aliquoties adhibitâ. Terebinthina aliquoties as-ſumitur, alternis ferè diebus, horis quatuor ante prandium. quomodo verò illa præparetur ac lavetur, in ſcheda adnotatum eſt. DEVS medicamenta ſalutifera efficiat. Monachij 27. Aprilis 1612. Terebinthina pro mũdificatione veſicæ.

NB. *Terebinthinæ præparatio non eſt adſcripta, uti nec lac anodynum, in quod virga immergitur ad ſedandos dolores. interim aliunde Terebinthinæ præparatio facilè innoteſcit ex aliis conſiliis. lactis præparatio etiam ſine dubio alia non eſt, quàm vulgaris, in qua nempe incoquitur Althæa, Malva, Linum, Fœnugræcum &c.*

CONSULTATIO XXIII.

CALCULUS VESICÆ.

PRO

VIRO QUODAM REVERENDISSIMO.

✱

DE affectu, quo Reverendiſſimus Vir affligitur, aliud judicare non poſſum, quàm latére in veſica calculum; qui ex renibus eò delapſus dolorificæ mictionis cauſa ſit. hoc dolenter pronuntio, ſed virum ſapientem & cordatum, non licet celare veritatem. Remedia, quæ in hoc caſu proponi poſſunt, duplicia ſunt: nempe palliativa ſeu mitigatoria, & curativa propriè dicta. hæc ſeu curativa, quæ, per ablationem cauſarum, morbum rectè & ex fundamento ſanant, conſiſtunt in ſectione & comminutione calculi. Sectio calculi periculi plena.

Sectio eſt dolorifica & periculo non vacat; comminutio calculi à multis, inter quos Ludovicus Mercatus Hiſpanus Medicus valde clarus, pro impoſſibili habetur: Galenus ſectionem etiam plus laudat, quàm comminutionem: Horatius Augenius verò ſcribit *Libro nono Epiſtolarum & Conſultationum Medicinalium*, curationem per commi- Comminutio calculi cenſetur à multis impoſſibilis.

 nutionem

nutionem non eſſe impoſſibilem: quandoquidem parens ſuus unum, ipſe etiam Augenius duos (nî fallor) ex toto ſine ſectione per lapidis tantummodo comminutionem curaverit. Clariſſimus Doctor Holzaphelius proponit ad eam intentionem, ſcilicet ad diſſolutionem & expulſionem calculi optima & congrua auxilia; placent mihi omnino, addo iis remedium quoddam, quo typographi filius, qui jam erat ſecandus, perſanatus fuit. præparationem & uſum citatus Augenius, loco jam allegato, diligenter deſcripſit. Cauſa, cur hoc remedium propono ſaltem ad conſiderandum, eſt, quia illud in duobus ægris adhibui, quibus tamen (quantùm equidem ſcio) non tulit auxilium, neque etiam nocuit: calculi fuêre magni duri ac minimè ad comminutionem apti. An in hoc noſtro Reverendiſſimo ſubjecto tentandum ſit? quandoquidem calculus nondum magnus eſſe poteſt? ac fortaſſis tophaceus & friabilis? penes judicium Doctoris Holzaphelii aliorúmque ipſi ſimilium conſumatiſſimorum Medicorum relinquo. Me quod attinet, promittere multa non auſim, neque tamen ſum extra ſpem omnem. nihil video, quod ſpem nobis adimat, niſi Reverendiſſimi Domini ætatem ſenilem: nam in juvenibus corpora mollia, & meatus laxi, in ſenibus dura & viæ ſtrictiores ſunt.

Augenius comminutionem admittit.

Comminutionis calculi experientia.

In Juvenibus corpora laxa mollia, in ſenibus dura & viæ ſtrictiores.

Interea temporis, dum ſcilicet deliberabitur de remedio iſto ex millepedibus parato, & de dolorifica inciſione, remedia palliativa, dolorem ad tempus ſaltem mitigantia, in uſum deducenda ſunt; quorum licèt innumera ferè ſint, aliqua tantummodo proponam, quæ mihi magis placent, & partim etiam ipſus in alijs comprobavi. Præter clyſteriola ex lacte, ſaccharo, oleo, vel butyro recenti; item fotus & inſeſſus, ex decocto Malvarum, Althææ, Parietariæ, Violariæ, Chamæmeli, Meliloti, Florum Nymphææ, capitum Papaveris albi cum ſuis ſeminibus, arriderent mihi omnium maximè injectiones à perito chirurgo cautè per ſyringam injectæ in veſicam. Propono autem triplicis ſortis injectiones, unam leviorem, reliquas duas paulò fortiores. inijciuntur autem calidæ ſeu potiùs tepidæ ſæpius de die, & quidem quotidie. & quòd ſi prima illa aqua pro injectioue non ſatis eſſet valida, opémque non ferret, diebus aliquot pòſt, ſecunda & tertia in uſum deducenda foret.

Anodyna remedia.

Injectiones in Virgam anodynæ triplices.

℞. *Albuminum ovorum recentium* N°. v.
Conquaſſentur, donec in aquam redigantur, adde
Lactis fœminæ puerum lactantis ℥iij.
Miſce. Signetur prima injectio.

℞. *Seminum Melonum*,
Cucurbitæ ana ℥j.
Lactucæ,
Papaveris albi ana ℥ij.

Contun-

Contundantur & cum *aqua Solatri* fiat emulſio, de qua

℞. ℔ß. adde

Mucaginis ſeminum Pſyllij,
Cotoneorum,
Malvæ extractæ cum
Aquæ Malvæ ℥iij. adde
Olei Nenupharini ℥j.

Miſce ac diſſolve

Opij,
Seminis Hyoſcyami,
Croci,
Camphoræ ana granum j.

Miſce fiat mixtura ſecunda fortior.

℞. *Mucaginis Seminum Pſyllij,*
Cotoneorum,
Althææ,
Communium frigidorum extractæ cum
Aquæ Nenupharis ℔j.

Adde

Ceruſſæ,
Seminis Alterci,
Gummi Arabici ana ℈ij.

Miſce; agitentur in mortario plumbeo, pro injectione. Signetur mixtura, quæ cum ſyphone injiciatur, tempore doloris; poſt prædictas jam uſurpatas.

Porrò inter clyſmata & ſequens utile expertus ſum, quæ in anum ſcilicet injiciuntur, pro ſedatione dolorum calculi.

℞. *Lactis vaccini* ℥x.
Sacchari rubri ℥ijß.
Olei ſeminis Lini ℥v.
Salis ʒß.

Miſce fiat enema. Clyſma anodynum comprobatum.

Emulſiones quoque ſubinde adhibitæ, valde laudantur, qualis talis eſſe poterit. Emulſiones anodynæ.

℞. *Radicum Liquiritiæ* ℥ij.
Conſolidæ majoris ℥iß.
Fructuum Sebeſten N°. v.
Jujubarum N°. vij.
Paſſularum ʒß.
Florum Violarum,

Boraginis ana ℈j.
Seminum Portulacæ,
Lactucæ ana ʒj.
Decoquantur in ℔ij. *aquæ* ad quartæ partis conſumptionem, fiat colatura, deinde
R. *Seminum Papaveris albi* ʒiij.
Melonum ℥iß.
Contundantur in mortario marmoreo, addẽdo *Amygdalarum dulcium electarum decorticatarum & per tres horas in aqua Lactucæ infuſarum* N°. XXX.
Contundantur & cum prædicta colatura fiat emulſio ſ. a. cui adde
Confectionis manûs Chriſti,
Sacchari albiſſimi ana ℥ß.
Detur ad vas vitreum.

Cæterùm ſi contingat (quod DEVS avertat) ut dolores non cedant, vel adhuc acerbiores fiant medicamentis anodynis fruſtra adhibitis omnibus, ſupereſt remedium aliquod, quod incommodum quidem & aliquo modo miſerum, eligibilius tamen quàm cruciatus continuos toto tempore vitæ continuò pati. illud proponit tanquam ſuum inventum Joannes Zecchius in *ſuis conſultationibus Medicis*, & eſt, inciſio colli veſicæ in illo loco, ubi cæteroquin ſectio fit ad extrahendum calculum: quia verò dilatatio veſicæ & notabilis læſio per ferramenta, dum extrahitur lapis, valde periculoſa ac dolorifica eſt, ideo relinquitur in hac operatione calculus in veſica, cannula argentea inditur vulneri, ac aperta ibi manet perpetuò, ut urina liberum ſemper habeat exitum; quæ (ut Zecchius ſcribit) inciſio, ſine periculo perficitur, ægérque vitam ſine dolore traducit. Ego auxilium iſtud in duabus perſonis exercui, ſed hactenus modum reperire non potui, cannulam in vulnere adeò firmandi, ut maneat, ægérque tali modo obambulare poſſit; ambo patientes abſque dolore effatu digno vixerunt, atque ex alijs tandem morbis interierunt, unus hydrope, alter, ex magna vomica interna renis, & febre contabuit. Monachij 24. Junij. 1612.

Inciſio colli veſicæ ſine extractione calculi.

CONSVLTATIO XXIV.

PRÆSERVATIO A CALCULO.

PRO

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO QUODAM PRINCIPE.

Conſilium petitur, quo (DEO inprimis adiuvante) Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps Epiſcopus N. Dominus noſter Clementiſſimus à periculoſa iſchuria, qua

ria,quâ ante triennium laboravit, præſervari impoſterum queat. præſervabitur autem procul dubio,ſi cauſa mali aboleatur,aut ſi quando illa rurſus immineat,ne veſicam functione ſua privare queat, prohibeatur. De cauſa, quâ ſuppreſſa Principi urina fuit, viri doctiſſimi in diverſas ivêre ſententias,dum unus nudam ac ſolam veſicæ intemperiem frigidam,alter mucoſam materiam ac pituitam craſſam, ſpaſmicam item diſpoſitionem, ac colli veſicæ contorſionem; quidam cum pituita ſabulum copioſum conjunctum ac filamenta incuſat. Etſi verò indicia iſta clariſſimorum Medicorum diſcrepantia ſatis fuêre, remedia tamen propoſita non parùm Illuſtriſſimo Ægrotanti conduxêre; nempe omnia eò conſpirantia, ut viis laxatis urinæ exitus pararetur,ac Princeps à præſenti vitæ periculo eximeretur. Tandem verò abditus fraudulentúſque hoſtis in conſpectum prodijt, calculus nempe, à rene in veſicam delapſus, ex eâque cum multa arena exploſus. Is cervicem veſicæ, tam copioſo comitante ſabulo, non ſine craſſa ac viſcida pituita,facilè támque arctè obſtruxit, ut & urinam interceperit & catheteri virgæ immiſſo ingreſſum concluſerit. Non negaverim interim frigus tam externum,piſcatione & venatione,quàm internum frigidiori potu incautiùs contractum, veſicæ,partibúsque ei deſervientibus multùm ſanè obfuiſſe, calorem operationum omnium opificem hebetando, veſicæque oſtium coarctando, cùm frigoris natura opúſque ſit,denſare ac conſtringere. Verùm niſi arenæ ac calculus ſubfuiſſent, in cervicémque veſicæ anguſtam irruiſſent,ibíque moram trahendo, atque ob tumorem nonnullum excitatum firmiùs hæſiſſent, tam pertinacem urinæ ſuppreſſionem haudquaquam progigni potuiſſe. *Iſchuriæ variæ cauſæ.* *Frigus calculoſis noxium.*

Invento igitur morbo,cujus periculoſum illud ſymptoma ſoboles fuit, jam liquidò conſtat, in quo tota præcautionis ratio, ſpéſque omnis tanti periculi poſthac evitandi ſit repoſita. Morbus fuit obſtructio à calculo & ſabulo: enitendum igitur,ne denuo creſcant. creverunt in renibus; renes igitur à nephritide præſervandi; cauſas, à quibus ea fit,removendo; quantùm fieri licebit.

De calculorum cauſis variant Medicinæ ſcriptores, antiquitas atque Claſſicorum pars maxima, materiam ejus, ſuccum craſſum ac viſcidum; alij terreum; chymiſtæ tartarum ac ſalem ſtatuunt. Efficientem putant quàmplurimi calorem renum immodicum; addunt alii proprietatem ſeu qualitatem renum lapidificam, quam tollere admodum ſit difficile. Incuſatur etiam rectè ac verè renum vitioſa conformatio,nimia meatuum laxitas, per quam unà cum ſero excrementa in renes illabantur; ſed & meatuum eorundem conſtrictio, renúmque ipſorum denſior ſubſtantia in vitio ponitur, quòd expurgandis ſordibus minùs ſit idonea. Cæterùm his de rebus non eſt hoc loco diſputandi,neque otium neque neceſſitas. Ego enumeratas cauſas *Calculorum in renibus cauſæ bellè deſcriptæ.*

tas cauſas incuſari omnes poſſe,facilè conceſſero; omiſſâque diſputatione,paucis viam, quæ Principi optimo tenenda ſit, ut à terribili iſto hoſte tutus diutiſſimè vivat, vel certè vitæ diſcrimen evitet, ex Hippocrate Medico,ut antiquiſſimo,ita & ſapientiſſimo,commonſtrabo.

Præſervatio calculi ex Hippocrate.

Libro 6. Epidem.

Calculi præſervatio ex Hippocrate.

Hippocrates formulam ſibi breviſſimam in renum curatione;nè ſcilicet à lithiaſi infeſtentur per capita iſta inſtituit.

1. *Quieſcere non conducit, ſed exerceri.*
2. *Non repleri.*
3. *Juvenes Veratro purgare.*
4. *Poplitem incidere.*
5. *Urinarijs mundare.*
6. *Tenuare.*
7. *Mollire.*

De primo ac ſecundo præcepto, quæ ad vivendi rationem ſpectant, fuſè ac doctè ſcripſerunt in conſiliis ſuis complures Medici. Porrò monendus eſt Reverendiſſimus, vel ſolam ſatietatem alimentorum,ne dum repletionem eſſe cumulandæ calculi materiæ aptiſſimam. Atque longè veriſſimè à Galeno ſcribi, *ex cibis ac potibus etiam corpori commodiſſimis,ubi quis eis non in tempore utatur, aut pluribus, quàm tempeſtivum ſit,& morbos & mortes fieri.* Summum igitur morborum renibus & veſicæ inſidiantium prophylacticum cenſendum eſt remedium,cibi potûsque parcitas. Potu liberaliore fluctuat ventriculus, indè infelix cibi concoctio, flatuum generatio, cita nimis potulenti liquoris ad renes diſtributio, calculorum procreatio; dum craſſa materia in calculum vel calore renum excoquatur, vel moram duntaxat in illis longiorem ducens,æſtu etiam nullo præſente, indureſcit. Qui cibi à Celſitudinis Suæ menſa exulare debeant, ab aliis eſt monita. In potu unum eſt, quod probare equidem non poſſum; vini ſcilicet meri potus,quo dum ventriculo metuit, utitur. Novi ego bonum virum nephriticum, qui ſolâ vini abſtinentiâ à calculo ſe præſervabat,quod tamen hîc non ſuadeo; ſeptentrionales populi hydromelitis potores calculum nunquam patiuntur, quod facultati mellis deterſoriæ adſcribo. At calor ventriculo non à vino ſolo quærendus; modicum piperis craſſi contuſi, in prima menſa ſumptum bellè calefaciet ventriculum, ſi modò calore copioſiore, quod equidem ſanè vix crediderim,qui cum Medicis omnibus ſentio, concoctionem ventriculi elixationem non aſſationem eſſe, eámque probè à moderato fieri calore,non immodico. Aquæ autem, diluendo vino,profuturæ,vel maſtiches momentum incoquatur,vel panis ſecalinus,

Satietas omnis noxia.

Vini abſtinentiâ ſe quidam à calculo præſervavit.

Ventriculi concoctio fit per elixationem non aſſationem.

linus,benè fermentatus infundatur. De Pane autem Principis id obiter adnotandum occurrit,ut is ex triticea quidem farina, non tamen mundiſſima, ab omníque furfure penitus repurgata paretur: albiſſimus enim panis nimiùm nutriendo, ventrem difficulter ſubeundo,viſcera ac renes obſtruendo, huic morbo incommodus planè eſt,id quod Auguſtus Cæſar ſanitatis ſtudioſiſſimus intelligens, pane ex farina tritici confuſanea, veſcebatur: res parva vulgò cenſetur, ſed certè momenti majoris eſt, quàm credatur. Alimenta diuretica, aromatis plùs ſatis condita, ciborum item varietatem ſeditionem in corpore parientem perpetuò proſcribere conſultiſſimum fuerit.

Albiſſimi panis noxæ.

Meminerit autem Reverendiſſimus Præſul, corpus humanum (docente Galeno) ſi cum pleniore victu non exerceatur,diu incolume eſſe non poſſe, niſi evacuationibus tempeſtivis ei ſubvenias. *Morbi fiunt* (inquit Hippocrates) *cum alimenta laborem ſuperant. Corpora ſub dio vivunt, ſub tecto putreſcunt*, ſcribit Marſilius Ficinus. Exercendum igitur corpus, ídque libero cœlo, modò id ſerenum ſit & tranquillum. ſed de utilitate ac neceſſitate exercitij corporei, ſatis eſt informatus Reverendiſſimus,uti & de tempore,modo,& loco. de balneo quoque uſúque laconici, qui interdum exercitij loco eſſe poteſt,non neſcit, id jejuno ventre inſtituendum.

Corpora ſub Dio vivunt,ſub tecto putreſcunt.

Tertio præcepto jubet Hippocrates ad calculi præcautionem, *Juvenes Veratro purgare*, hoc eſt medicamento alvum ducente vitioſos humores vacuare. Cùm igitur caveri vix poſſit, ne in vivendi norma penitus delinquatur, quin imò ob viſcerũ dyſcraſiam in diæta quantumvis accurata, impuritatem aliquam colligi, neceſſe ſit; operæ pretium ſeu neceſſarium potiùs erit,purgantibus auxiliis viſcera repurgando,materialem calculi cauſam auferre,non Elleboro non Scammonio, non aliis laborioſè vacuantibus, ſed clementioribus, quorum ingentem copiam ac ſylvamMedicina ſuppeditat,è qua nonnulla decerpam,longo uſu, & felici ſucceſſu comprobata, eáque in tres claſſes ſeu ordines diſtribuam. Quæ primo ordine continebuntur,bis in anno; quæ ſecundo ſemel in menſe; quæ tertio, ſemel atque iterum una hebdomade convenientiſſimè ſumentur. Primùm igitur, ineunte Vere talis inſtituatur vacuandi modus, vel illi non abſimilis.

℞. *Foliorum Senæ electæ* ℥ß.
Zinziberis ℈ij.
Seminis Aniſi ℈j.
Liquiritiæ ʒß.
Paſſularum ʒiij.

Potio purgans. Vernalis.

Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥iiij. quieſcant tecto vaſe per noctem, manè colentur, in colatura diſſolve

Mannæ

Mannæ ,
Mellis Roſati laxativi ana ℥ij.
Miſce fiat potio aromatizetur cum
Aquæ Cinnamomi ℨj.

Hâc prima corporis area extergetur; diei unius quiete interpoſita, vena brachij dextri baſilica incidatur, fluântque ſanguinis ℥viij. vel x. quâ phlebotomiâ quarto Hippocratis præcepto fiet ſatis, quo *poplitem ſecare* jubet. Indè apozema in ſequens triduum tale paretur.

Sanguinis miſſio.

Apozema laxans emolliens.

R. *Foliorum Boraginis* Miß.
Betonicæ Mj.
Radicum Cichorij recentis ,
Polypodij querni ana ℨvj.
Liquiritiæ ℨiij.
Foliorum Senæ ſelectæ ℥j. ℨj.
Zinziberis ,
Seminis Aniſi ana ℨj.
Fructuum Sebeſten N°. vij.
Jujubarum N°. xij.
Paſſularum ℥j.
Florum Boraginis ,
Malvæ ,
Violarum ana Pj.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥x. in colatura poſt decem horas facta, dilue
Mellis Roſati ,
Oxymellis ſimplicis ana ℥iß.
Fiat potio ad tres doſes.

Vbi die uno quieverit ſimile purgans ſuadeo.

Potio purgans detergens.

R, *Foliorum Senæ electæ* ℨiijß..
Agarici albiſſimi crudi inciſi & conquaſſati ,
Radicum Polypodij querni ,
Liquiritiæ ana ℨiß.
Zinziberis ,
Seminis Aniſi ana ℨj.
Florum Cordialium ana Pj.
Fructuum Sebeſten N°. v.
Paſſularum ℨiij.
Decoquantur in *aquæ Malvæ & Boraginis ana* ℥iijß. ad tertiæ partis conſumptionem, ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua diſſolve

Mannæ

Mannæ ℥ijß.
Rhabarbari electi ſubtiliſsimè pulveriſati & aquâ Cinnamomi aliquot horis irroratiantea ℈iiij.
Probè ſæpius miſceantur, adde
Oxymellis ſimplicis. ℥vj.
Miſce fiat potio.

Qua Princeps vacuabitur ritè, ferétque eam, DEO favente, leviter.

Autumnali tempore eadem ferè ex uſu erunt, addito Epithymo, Veratro nigro pauco, Fumariâ; & Lupulis.

Hiſce evacuationibus utinam mox ſuccederet aquæ Tettucianæ potatio uno ſaltem triduò continuata, elueret ea ſine omni virium jactura ventriculum, inteſtina, meſenterium, renes; veſicam; conduceret mirificè non modò renum & veſicæ morbis ſed & flatibus hypochondriacis præcavendis, quorum initia præ foribus ſunt haud obſcura. Remedium menſibus ſingulis ſumendum ſit iſtud. Aqua Tettucij.

R. *Florum Caſſiæ recenter extractæ* ℥v.
Radicis Turpethi pulveriſati ℈j. Bolus ſingulis menſibus ſumendus.
Pulveris Cinnamomi acuti grana v.
Miſce fiat bolus cum *ſaccharo.*

Apprimè quoque utilis erit vomitus, æſtivo præſertim tempore; & ſi abſque difficultate cieri queat, provocandum eum cenſeo, auxilio aliquo non potenti, ſed leviſſimo, quale eſt iſtud.

R. *Brodij non ſaliti carnis non ſatis coctæ* ℔j. Vomitus.
Oxymellis ſimplicis ℥ijß.
Syrupi Violati ℥iß.
Miſce fiat potio vomitoria tepidè exhaurienda.

Auxilium familiare octavo quoque die ſemel, vel bis aſſumendum, erunt catapotia ex Aloë Roſata, Aloës extracto, ſeu balſamo Aloëtico vocato, ex ſpeciebus Hieræ ſimplicis Galeni (ſi ventriculi cruditas adſit) vel maſſâ Maſtichinarum Conciliatoris, earum dimidius ſcrupulus una doſi bis in ſeptimana ante cibum devoratus, ventriculo deterſcendo roborandóque longè erit utiliſſimus; ſi venter inde non laxetur, clyſteriolo aliquo familiari emolliatur. quid multis? ventrem laxum, non conſtipatum, non impurum habere calculo præcavendo commodabit plurimùm. ventre autem, quantum ſatis eſt, mundato, tum demum ſe offert renes expurgandi occaſio, quod quinto Hippocratis præcepto mandatur. inter innumera autem, quæ in eum uſum proponi ſolent, ego pauca duntaxat mihi præcipuè probata, in medium afferam.

Pilulæ ſingulis octiduis ſumendæ.

Alvus laxus eſſe debet ad præſervationẽ calculi.

Infundantur fructus Alkekengi craſſè inciſi ℥ij. menſuræ Auguſtanæ vini albi, ſerventur in cella vinaria, bibatur manè ab aſſum- Vinum ex granis Halicacabi.

pto juſculo cicerum,hauſtus ℥vij. vel viij. ſi imbecillus videatur, addantur radicum Ononidis & Eringij inciſarum ana ʒß. Hoc menſibus ſingulis, purgato corpore uſurpabitur tutò. Quod ſequitur longè potentius eſt, ac proinde rariùs ſumendum, poſt vernam ſcilicet aut autumnalem purgationem corporis univerſalem.

Diureticus potus.

℞. *Succi Limonum*,
Raphani,
Vini Malvatici,
Aquæ è Fragis deſtillatæ ana ℥ij.

Adde *Sacchari* quantùm ad dulcorationem ſit ſatis. Fiat hauſtus, manè vacuo ventriculo, duobus vel ſummùm tribus diebus porrigendus.

Subijciam nunc aliam therapiam, quâ in Italiâ quidam, poſt quam plurima ſine fructu attentata remedia, à renum calculo planè convaluiſſe ſcribitur; id verò ita habet.

Terebinthinæ uſus, & parandi modus.

℞. *Terebinthinæ Venetæ Claræ* ℥iij. lavetur *aquâ Boraginis* toties, donec bene ſit purgata, & alba facta. deinde affuſâ rurſum *aquâ Boraginis* in eâ ſtet per noctem, ſequenti die rurſus ter vel quater lavetur ſemper dictâ *aquâ Boraginis* iterum affuſâ, tunc diſſolvatur cum una ſcutellâ *brodij macri* non ſaliti carnis vitulinæ.

Fiat potio.

Quæ bibatur calida tota,quatuor horis,ante prandium, circum ponendo ori linteolum perforatum, foramine facto tam magno, ut potio per illud bibi poſſit, & ne barbæ Terebinthina inhæreat. Repetenda eadem potio ſemel in hebdomade per unum menſem,deinde Terebinthina ſic purgata & lota ut ſupra,quantitate unius ovi vitelli, ſumatur cum vitello ovi recentis crudo,aut cum Julepo frigido,quarto vel quintò quoque die,per aliquot tempus continuando,quia ſemper renes purgabit & per urinam ſabulum expellet; ſed oportet corpus priùs purgare, antequam uſus Terebinthinæ incipiatur. videri poteſt palato ingratum valde,ſumptúque difficile, verùm ego ſæpius id præſcripſi, atque nuper Monachij duobus nobilibus viris porrigi curavi,qui ſine moleſtia atque querela ipſo etiamnum utuntur. Viſcera omnia eorúmque meatus,renum præcipuè abſtergit, mundatque egregiè; ac ſanitatem, licet, integram ejus uſu non polliceat, ad majoris tamen mali & periculi præſervationem maximè profuturum, perſuaſum planè habeo; ſumendum eſt poſt vernam vel autumnalem purgationem,quo tempore & ſyrupus conveniet,quem appendicis loco adſcribam. Hoc Horatius Augenius magni nominis Medicus,

dicus, ſe à renum calculo ſexcentos præſervâſſe ſcriptum reliquit; hunc autem in modum conficitur *Lib.12.Epiſt. & Conſul.Epiſtola 2.*

Syrupus à renum calculo præſervans Augenij.

℞. *Radicum Saxifragiæ,*
Ruſci,
Leviſtici,
Eryngij,
Ononidis,
Althææ,
Fœniculi,
Petroſelini,
Graminis ana ℥ß.
Raphani Sylveſtris ℥ij.
Foliorum Betonicæ,
Pimpinellæ,
Cimarum Althææ,
Urticæ,
Pulegij noſtratis,
Calaminthæ,
Polygoni minoris,
Helxines ana Mj.
Granorum Halicacabi N°. xx.
Fructuum Sebeſten N°. xv.
Corticum Radicum Lauri ʒiij.
Uvarum Paſſularum,
Radicum Liquiritiæ ana ʒvj.
Capillorum Veneris,
Polytrichi ana Mj.

Coquantur in *aquæ Capillorum Veneris, Polytrichi, Milij ſolis* ℔. x. ad libras vj. in vaſe duplici, è quibus cum *ſacchari* finiſſimi libris quatuor, & *mellis* deſpumati ℔ij. fiat ſyrupus, & aromatizetur ℥j. *Cinnamomi* & ℥ß. *Nucis Moſchatæ.*

Poſt univerſalem purgationem dantur ℥iij. cum ℥vj. radicum decocti Eryngij, Stellariæ ſeu Cardui ſtellati, ſeu Calcatrippæ, facti in duplici vaſe ex aqua ſtillaticia Graminis. horis quinque ante prandium, continuè per quindecim dies.

De ſexto Hippocratis præcepto nihil addam, quòd id & victûs ratio, & medicamenta ſuperiùs allata adimpleant.

Emollientia quoq; quæ Septimo & ultimo loco proponũtur, cùm nemini ſint ignota, ſilentio prætеribo, finémque faciam, DEVM Optimum Maximum precatus, ut Principem hunc longa ac felici vita dignisſimum ad decrepitam uſq; ætatem incolumem præſtet ac ſervet.

NB. *Finitâ iſtâ curâ excrevit magnũ calculum rubri coloris, quem videndum Doctori Mermanno miſit, petiitque remitti, ut & reliquis alterius opinionis Medicis mittere poſſet. mortuus eſt anno 1625.* hæc D. Braunius in ſuis M. S.

CONSULTATIO XXV.

CALCULUS IN VIRGA HÆRENS.

PRO

ILLUSTRI ET REVERENDISSIMO VIRO.

Calculum in virga hærere uti terrificum valde ac dolorificum, ita inſolens inauditúmq; non eſt: expertus id ſum non in aliis modò, ſed bis in me ipſo. Morbus eſt in via, ſymptomata dolor urinæque retentio. cauſa calculus obſtruens. Indicatio ſeu opus in curatione præſtandum, eſt cauſæ remotio, calculi nempe excluſio. præſtabit id natura, modò viæ laxentur ac dilatentur: à diureticis metu inflammationis abſtinendum. Proderit herbas emollientes ac anodynas, cujuſmodi ſunt Malva, Althæa, Violaria, Chamæmelum, Melilotum, ſemina Lini, aquæ incoquere, ſub ſella perforata collocare, in eáque ſedendo vaporem excipere, ſuperiore corporis parte pannis benè munita; poteſt & ſtans admittere. Lacti quoque utiliter Malva incoquetur, in có-que tepido membrum genitale continebitur; deinde linteola mollia oleis Amygdalino, Liliorum alborum & Chamæmelino imbuta circumligentur. Venter ſiccus non eſto; ſed ſpero, priuſquam hæc reddantur, ejectum jam fore lapidem, quod DEVS faxit.

Calculo in Virga hærente à diureticis abſtinendum.

CONSULTATIO XXVI.

GONORRHOEÆ SPECIES.

PRO

VIRO QUODAM PERILLUSTRI.

De affectu illo moleſto potiùs, quàm periculoſo (licet enim prognoſticum prænunciare) rectè ſcribit Perilluſtris Dominatio Veſtra, illum nimirum priapiſmum ſeu ſatyriaſin non eſſe, nec gonorrhœam propriè vocari

poſſe. Ego de nomine non diſputabo,quamvis ad gonorrhœam magis ſpectare facilè affirmaverim. Affectus eſt conatus & irritatio ad ſeminis emiſſionem involuntariam. Cauſam hujus moleſtiæ conjunctam arbitror eſſe bilioſum atque acrem humorem ſemini permixtum, ſeu potiùs ſemen ipſum in ſubſtantiâ ſuâ pauld acrius redditum. Hæc cauſa fovetur levi inflammatione, ſeu intemperie calidiore renum, teſtium, glandularum, ſeu adenum, paraſtatarum, atque omnium illarum vicinarum partium. Hanc intemperiem excandeſcentiæ, quæ univerſum corpus alioquin valde picrocholon nonnihil inflamavit, verè adſcribere poſſumus,accedentibus aliis quoque procatarcticis cauſis, ut immodica corporis exercitatione,ſtudiis,& id genus aliis, mihi ignotis. Exiſtimo igitur à ſeminis acrimonia irritari genitalium expultricem facultatem: verùm retentricem adeò firmam & robuſtam hoc tempore eſſe, ut ſeminis prodire conantis effluvium non ſequatur, ſed potiùs pugna ac lucta quædam naturæ cum ſemine eruptionem moliente. Neſcio autem num fortè in ſomno non aliqua ad loca,in quibus ejaculatio fit, ſeminis portiuncula attracta ac retenta computruerit, ibique inflammationem concitaverit; ad quam à toto humores confluxerunt, quod frequenter fieri in me ipſo aliquoties ſum expertus. utut ſit,mihi exploratum eſt hanc moleſtiam ſeminis acrimoniæ eſſe adſcribendam. Sententiam meam confirmant tum multa alia, tum verò maximè antecedentes cauſæ,temperamentum totius corporis, & quod apud me pathognomonicum eſt, ejaculationi involuntariæ dolor quidam conjunctus.

Conatus ſeu irritatio ad ſeminis emiſſionem involuntariam.

Semen putreſcēs inflammationem parit in vaſis ſpermaticis.

Periculum ſeu malum effatu dignum portendere non videtur affectio hæc, quòd convulſio nulla appareat, nec valde copioſi per congreſſum Venereum aut gonorrhœam ſeminis profluvium & jactura præceſſerit, ne dum arguat.

Ex his omnibus ſcopi ſeu indicationes ad affectum propulſandum hæ potiſſimùm exſurgunt. Primò opera danda, ne humorum acrium redundantia in univerſo corpore augeatur,de novo acervata: hoc præſtabit victûs ratio tenuior refrigerans & humectans. ſuadeo igitur inprimis,ut aër in conclavi Roſis,foliis Salicum, floribus Nymphææ,& ſimilibus inſtratis refrigeretur. deinde velim, ut aliquamdiu à vino abſtineat, ejúſque loco aquam bibat, in qua Hordeum mundatum,Paſſulæ,momentum ſeminis Acetoſæ, Roſarum rubearum ſiccatarum, Maſtiches & Cinnamomi ſit incoctum. In cibis laudo Lactucam,Portulacam,Poma cocta,Pruna,Ceraſa, Piſces, aliáque id genus parùm nutrientia. A diureticis ſeu humores ad renes ducentibus abſtinendum cenſeo. quieti corporis & animi indulgendum; dorſo nequaquam, ſed lateribus incumbendum. lectus etiam ex lana non ex plumis confectus eſto. ingenium plùs ſolitò ſeriis rebus occupetur,omniáque Venerea objecta longè amoveantur.

Victûs ratio ſemen imminuens.

Acriores humores leniente medicamento educendi. ad hoc conferrent ſyrupi Roſati laxativi ℥iij. in aqua Plantaginis dilutæ, & duabus ante cœnam horis aſſumptæ frigidè. Caſſiam quòd flatuoſa ſit, hoc loco, non probo. Rhabarbarum urinæ ardorem excitat, quod hîc incongruum foret. Electivè trahentia prorſus ſunt exterminanda, cùm vix lenientibus locus eſſe videatur; ne ſcilicet materia ad inferiora pertracta illis aſſueſcat, propterea in aqua Plantaginis ſyrupum Roſatum laxativum offerri velim. Expediet etiam vel potiùs neceſſum erit, fæcibus eluendis, clyſterem ex Malvæ Violariæ decocto, melle & oleo Violaceo paratum præmittere, eundémque deinceps ſæpius repetere. de venæ ſectione, quæ aliquando ſola hujusmodi moleſtias perſanat, nihil dico, cùm ſciam Perilluſtrem Dominationem Veſtram vix poſſe tam magnum præſidium ſine inſigni virium lapſu & ſpirituum reſolutione tolerare, ſperémque abſque phlebotomia malum hoc extirpatum iri.

Potio leniens.

Rhabarbarum urinæ ardorem excitat.

Clyſteres.

Tertio loco erit hepatis, renum, genitalium, & vicinarum partium phlogoſis tum intra corpus aſſumptis, tum etiam topicis removenda. Ego in his initiis conſervâ Roſarum rubrarum & florum Nymphææ cum ſeminibus Lactucæ uterer; ejus mixturæ ſemiunciam in ingreſſu lecti & manè jejunus aſſumens. Renes, lumbos & perinæum linimento hujusmodi inungerem.

Electuarium.

Unguentum infrigidans renes.

R. *Unguenti infrigidantis Galeni recenter parati* ℥j.
Roſati,
Cerati Santalini ana ℥ß.
Camphoræ grana iiij.
Miſce; addendo
Olei Cotoneorum &
Aceti Roſacei ana ℥ij.

Hepatis verò regionem fovere poſſet utiliter tali epithemate.

Epithema hepar refrigerans.

R. *Aquæ Endiviæ* ℥vj.
Nenupharinæ,
Roſaceæ,
Acetoſæ ana ℥ij.
Aceti Roſacei ℥j.
Specierum Diatrion Santalorum ℥ij.
Seminis Acetoſæ,
Corallorum rubrorum præparatorum ana ʒß.
Camphoræ grana iij.
Fiat epithema tepidè admovendum.

Poſt epithema hujuſmodi unguentum ex uſu eſſet.

Ceratum ſimile.

R. *Cerati Santalini* ℥iß.
Olei Roſacei,

Nymphææ

Nymphææ ana ℥ß.
Olei de Abſinthio,
Aceti Roſarum ana ʒiij.
Camphoræ grana iij.

Miſce loco prius cerato in aqua Endiviæ.

Si hæc non ſufficerent,ad potentiora deveniens ſyrupi de Papavere ℥ij.quo feliciter in ſimilibus affectibus utor, vel ex cochleari vel ex aqua Lactucæ,Plantaginis,aut Portulacæ dilutas haurirem, tribus poſt cœnam horis,bis in ſeptimana.&c. 1581. Leuttfletten.

Syrupus de Papavere.

CONSULTATIO XXVII.

GONORRHOEA.

PRO

VIRO MULTUM ILLUSTRI.

✱

SI Perilluſtris Dominationis Tuæ conſtitutionem corporis in memoriam meam revoco, invenio illam delicatam & debilem potiùs,quàm robuſtam. idcirco propoſui Illuſtri Dominationi Tuæ nuper remedium, gratum guſtui, ad confortandum ſtomachum, refrigerandum hepar, renes, corroborandáque vaſa ſeminalia utiliſſimum. & ſane remedio tali vel maximè indigere videbaris, quandoquidem ſeminis profuſio, progreſſu temporis,multùm debilitat,& paulatim totum corpus conſumit. Remedium fuit aqua acida Tirolenſis,Bruzzenſis dicta, vel ſimilis ex aliis Germaniæ locis adportata. Sed relatum mihi eſt,quòd illuſtris Dominatio Tua auxilium hoc recuſârit: forſan,quòd magnæ difficultatis eſſe credat, acidulas deportandi Salisburgum. error eſt à mala utique informatione ortus: deportari ad nos ſolent hæ aquæ, vaſis optimè obturatis,per totum ferè annum, media etiam hyeme, cùm vinùm acidulis mixtum perpetua ferè conſuetudine bibere ſoleamus.

Gonorrhœa diuturna corpus conſumit.

Redeo itaque ad meam propoſitionem antiquam, & ut acidulas bibat omnino ſuadeo; & quamvis in Medicina haud deſint alia remedia,hoc tamen præcipuè aliis præfero,quòd malam diſpoſitionem Illuſtris Dominationis Tuæ à calore & debilitate renum provenire videam. unde auxiliis indiget adſtringentibus & refrigerantibus; atque etiam,cùm malum ſit inveteratum,remedium debet eſſe longo tempore continuatum, quod ſi leve erit effectus non erit magnus; ſi verò multum potens,calori nativo nimiâ oberit refrigeratione. commodiſſimè

Mala inveterata remedia volunt diuturna.

Acidularum uſus in gonorrhœa.

modiſſimè proin acidulæ,tanquam remedium moderatè alterans, per menſem integrum, & fortaſſis amplius bibentur, manè ſcilicet; diluendo verò in menſa vinum cum illis per longum tempus. In his ego multum confido, & ſpero, accedentibus paucis exterioribus & interioribus medicamentis,Illuſtrem Dominationem Tuammagnam habituram exin utilitatem, atque etiam præſervatam iri à majoribus malis. Interim priuſquam ad acidulas procedat, neceſſum eſt, ut corpus ſequentibus evacuet; præmiſsâ quoque convenienti ſanguinis miſſione.

R. *Florum Caſſiæ recenter extractæ* ℥v.
Radicis Turpethi albiſſimi pulveriſati ℈j.
Cinnamomi acuti pulveriſati grana v.
Miſce fiat bolus.

R. *Mellis Roſati* ℥x.
Oxymellis ſimplicis ℥vj.
Diluantur
Aquæ Boraginis Cichorij ana ℥iß.
Aquæ Menthæ ℥ß.
Miſce fiat potio, ter repetenda, ac tribus diebus manè offerenda.

Potio purgans.

R. *Foliorum Senæ ſelectæ*,
Agarici præparati ana ʒiß
Zingiberis inciſi ℈ijß.
Seminis Aniſi ʒß.
Tamarindorum ℥ß.
Florum Cordialium ana Pj.
Decoquantur in *aquæ fontis* ℥vij. ad tertiæ partis conſumptionem. ſtent per noctem, manè fiat colatura ad ℥iiij. in his diſſolve
Mannæ ℥ß.
Rhabarbari electi pulveriſati & aquâ Cinnamomi irrorati ʒj.
Syrupi Myrtini ℥ß.
Miſce fiat potio, offerenda horâ quintâ matutinâ, facta prius diligenti mixtione.

Electuarium adſtringens.

R. *Conſervæ Roſarum veteris* ℥iiij.
Nymphææ ℥ij.
Florum Salviæ,
Anthos ana ℥ß.
Spodij ʒij.
Coralliorum rubrorum præparatorum,
Santalini rubri ana ʒj.
Specierum Aromatici Roſati,

Nucis

Nucis Moſchatæ raſæ,
Seminum Lactucæ,
Portulacæ ana ℈j.
Syrupi è Roſis ſiccis qs.
Miſce; fiat electuarium.

CONSULTATIO XXVIII.

IMPOTENTIA AD COITUM.

PRO

VIRO ILLUSTRI.

*

Quemadmodum morbum tollere nemo poteſt, niſi radicem illius agnoſcat, & evellat, ita in præſenti caſu optatus finis haud ſubſequetur, antequam vera impotentiæ cauſa innoteſcat, depellatúrque. Cauſæ quæ homines ad coitum ineptos reddunt, variæ ſunt tam externæ, quàm internæ; utpote ſenectus, morbi diuturni, corporis emaciatio, fames, mœror, animi paſſiones, crebrius & nimium Veneris exercitium, occupationes magnæ, capitis labores & ſtudia, cibus & potus frigidior, vel calidior. Subinde in ſemine hic defectus latitat, dum illud deficit, vel paucum, vel frigidius, vel non ſpirituoſum, vel calidum nimis generatur. Aliquando in membro virili mali origo quærenda eſt, dum muſculi hujus reſolutionem paſſi, virgam erigere haud queunt. Sæpius verò halituoſi illi flatus ad diſtenſionem membri neceſſarij deſunt; producuntur hi à calore temperato, impediuntur à partis frigore, atque à calore nimio diſſipantur. Impotentiæ cauſæ variæ.

Quantum ex relatione mihi facta intelligo, videtur impotentia Viri hujus Illuſtris non nominati, & mihi incogniti à defectu potiſſimùm caloris nativi dependere; præſertim cùm ipſus Patiens inconſuetum, & notabile frigus in membro virili ſentiat; unde neceſſariò concludendum, teſtes vaſáque ſeminaria paucum ac frigidum ſemen, nec calidum flatuoſum, quod ad diſtendendum membrum ſufficiens ſit, producere.

Caloris itaque defectus (dummodo non ex veneficio, ſed cauſis naturalibus procedat) debita victûs ratione partim, partim medicamentis appropriatis reſtitui debet. Verùm antequam ulteriora medicamenta in uſum veniant; neceſſarium eſſe duco, ut Patiens lectum, plumas, ſtramina, omnémque reliquum locum, ubi dormit, ſtudioſè perluſtret, vel potiùs ſtragula omnia nova confici curet. inſuper In Impotentia videndum an non ſubſit veneficium.

 puteus

NB. Puteus exhauriendus, nam in his ſæpe veneficia latent.

puteus,ex quo aqua pro cibis petitur, totus exhauriatur & purgetur: nam in his quoque veneficia non rarò latitant.

Quibus peractis in diæta ſequentia obſervet: in cibo & potu à cruditatibus ſibi caveat & crapula, alimentis refrigerantibus nimiſve humectantibus, item ſanguinis miſſione, purgationibus (ſaltem ſine præſentis & prudentis Medici præſcitu) nec non acetarijs, fructibus horariis abſtineat. E contrà cibis utatur, qui halitibus flatuoſis turgent,calore præſtent, ac ſuavem odorem exhalent. uti ſunt Piſa cocta, ac per colaturam expreſſa unà cum ſuo brodio, Fabæ,radix Paſtinacæ,Rapæ, Artiſchoki,Cardi, Amygdalæ dulces, Pineæ, Piſtacia, Vvæ dulces; item Crocus,Macis unà cum cibis porrectus. Porrò maximè teſtes gallinacei ad coitum inſerviunt cocti, & cum aromatibus ſuaviter conditi ac crebrò aſſumpti; item ova ſorbilia aliquot, manè hauſta; idem præſtant paſſeres aſſati, ova ex bonis piſcibus deſumpta. Alvus ſi ſegnior ſit,ſollicitabitur ficubus pinguibus,vel paſſulis majoribus,exemptis acinis,ante menſam acceptis.

Medicamenta quod attinet,multa illa ſunt, & diverſa in his caſibus paſſim decantata, aliqua tantùm, quæ Illuſtri Viro profutura ſpero,ſeligam, & proponam: primum eſt electuarium ſuave, quod poſtquam ventriculus, & primæ viæ à præſenti Medico per pilulas fuerint laxatæ,hunc in modum aſſumet. pilulæ autem iſtæ erunt.

Pilulæ ſtomachicæ laxantes.

℞. *Maſſæ Pilularum Maſtichinarum,*
Aloëphanginarum ana ʒß.

Miſce; formentur pilulæ N°. ix.

His,ut diximus, deglutitis altero die manè jejunus ʒß. prædicti electuarij,item eodem die,tribus horis poſt frugalem cœnam tantundem; mox cubitum iturus; ac tandem poſtridie iterum, atque adeò tertia vice eandem quantitatem manè deglutiet. Indè ſex dies ab electuario abſtinebit,quibus elapſis denuo ad uſum illius eodem modo redibit. ac iterum per ſex dies quiete interpoſita, tertia vice electuario, ut aliàs utetur. ita tamen, ut tempore illo, quo Dominus Patiens electuario non utitur, etiam à coitu abſtineat. Electuarium hoc eſt.

Electuarium ad Venerem.

℞. *Electuarij Diaſatyrij Nicolai* ℔j.
Zinziberis conditi inciſi ℥iiij.
Specierum Diambræ ʒij.
Juris Zinziberis conditi q.s.

Fiat electuarium.

Quòd ſi medicamentum hoc nimiùm calefaceret,vel etiam urinæ ardorem vehementiùs induceret,ab illo aliquamdiu abſtinendum cenſeo. Interim eo,quo dixi, modo curam hanc ſuam proſequatur, atque aſſumpta media electuarij parte impoſterum de ſucceſſu me admoneat, ne longiori uſu calidioris medicamenti alia incommoda

ſubſe-

ſubſequantur. Alterum unguentum eſt, quo partes affectæ, teſtes nimirum, virga uſque ad inteſtinum rectum manè, ac veſperi optimè inungi debebunt ad rubedinem ferè uſque partium.

Unguentum ad virgam.

R. *Olei Nucis Moſchatæ per expreſſionem facti,*
Maſtichini ana ℥iß.
Liquentur ad ignem, adde
Moſchi grana viii.

Quòd ſi has partes ab inunctionibus ſordidas detergere placuerit, id fiat, in quo Roſmarinus incoctus fuerit. Ad regionem cordis ſacculum ex bombace, cui Moſchus ſit inſperſus continuò geſtet. Hæc ſunt, quæ mihi cogitanti in mentem venêre, alia additurus, ſi ulteriùs de affectu horum medicaminum fuerim informatus. Monachij 15. Novembris anno 1595.

Sacculus cordialis.

CONSULTATIO XXIX.

VENERIS IMBECILLITAS.

PRO

VIRO QUODAM NOBILI.

*

AD affectum illum, de quo Nobilis Dominatio Veſtra conqueritur, multa hinc indè afferuntur remedia, quæ tamen in conſtitutione corporis Dominationis Veſtræ ſecura non ſunt, & potiùs ob alia accidentia, nociva. Itaque diligenter cogitavi, ut remedia à me allata ita eſſent conſtituta, quæ non tantùm ſine periculo, ſed etiam pro corroboratione tum partium ignavarum, tum caloris nativi, facultatiſque vitalis, inſervirent. Pretioſa hæc quoad pretium & effectum remedia mihi ante annos multos communicata ſunt à Viro Italo magni nominis, adfirmante, Principem quendam illis uſum non ſine magno deſiderati effectûs emolumento. modus, adhibendi illa, talis eſt.

Primò ex rotulis pretioſis unam, manè, jejuno ſtomacho, devoret.

Secundò, pulveris pretioſi grana tria miſceantur cum ovo recenti tenuiter cocto, & ebibantur, unà cum albumine, quod tenerum eſt; illud quod ovi parietibus adhæret, omittatur.

Tertiò, oleum Piſtachiorum (quod recens eſſe debet) quantitate cochlearis unius unà cum ovo recente leniter cocto aſſumatur, ſine albúmine, cujus loco prædictum oleum vitello commiſceri debet. Poterit Nobilis Dominatio Veſtra pulverem unà cum oleo in uno eodémque ovo, vel pulverem in uno; oleum in altero, & ita utrum-

que medicamentum in ſingulis ambobus ovis pro vice accipere, manè ſcilicet jejuno ſtomacho,& veſperi ante cœnam horâ dimidiâ.

Quartò Elixir quoddam ſeu Malvaſiam cum quibusdam ſpeciebus deſtillatam præſcripſi, manè etiam ex cochleari uno bibendam, illo nimirum die, quo reliqua, pulvis, oleum, & rotulæ non aſſumuntur.

Quintò obſervandum in his remediis cenſeo, ut, ſi Nobilis Dominus per hæc media nimiùm ſe calefieri, atque adeò æſtum quendam perſentiat, parciùs iis utatur,& ſingulis diebus, mutatis remediis, modò rotulis, modò ovis cum pulvere & oleo, modò Malvaſiâ deſtillatâ ſucceſſivè,& cum diſcreto judicio fruatur; attamen rotulas, item ova cum pulvere & oleo, uno die ſecurè aſſumi poſſe, & abſque periculo crediderim.

Denique de oleo Piperis ſumantur guttæ aliquot, & virgæ locus inferior ſeu nervus tantùm, intactâ glande, ad teſticulos uſque illiniatur. Optimum etiam foret, ſi Nobilis Dominus in cœna, poſt aſſumptum juſculum, veſceretur alâ pectoréque columbi juvenis, vel perdicis, aſperſâ granis tribus, vel quatuor ex pulvere ſupradicto.

Piſtachia in Malvaſia infuſa. In fine menſæ, bellatiorum loco, Piſtachia priùs per octodecim vel viginti dies in Malvaſia infuſa comedantur, pondere unciæ unius. in quem finem ſumatur Piſtachiorum libra una aut ſemis non rancidorum, & cum Malvaſia, uti dictum, præparetur pro aſſignato uſu. DEVS iſthæc benedicere dignetur. 21. Septembris anno 1609. Sequuntur antè enarrata remedia.

Rotulæ. R. *Ambræ*,
Moſchi ana ℈j.
Sacchari albiſſimi ℥iij. diſſoluti in
aqua Cinnamomi.
Fiant rotulæ.

Pulvis. R. *Ambræ*,
Moſchi ana qs.
Miſce fiat pulvis.

Oleum. R. *Olei Piſtachiorum non rancidorum.*
Signetur ſuo nomine.

Elixir. R. *Cinnamomi*,
Zingiberis,
Caryophyllorum,
Nucis Indicæ,
Malvatici Vini ana qs.
Addendo his
Moſchum &
Ambram,
Deſtillentur, & in alembico ponantur itidem

Moſchus

Moſchus &

Ambra.

Deſtillentur, inquam, in B. M.

R. *Olei Piperis* quantùm placet. Inunctio.

CONSULTATIO XXX.

IMPOTENTIA AD VENEREM.

PRO

VIRO QUODAM IGNOTO.

*

Quod ſcribis de impotentia coëundi, ita ut aliquando calefiat quidem membrum, & ſubinde erigatur, concidat tamen illico ineptum ad Veneris exercitium, paucis tibi reſpondeo: quòd nempe media naturalia omnia priùs adhibenda cenſeam, antequam de maleficio, ut tu putas, certò quid ſuſpicari liceat. Proinde exiſtimo, ut ante omnia humores pituitoſi frigidi incidantur, attenuentur, & expurgentur, quandoquidem abſque eorundem evacuatione nulla firma reſtitutio ſperari poteſt, illi enim humores non ſolùm calorem nativum qualitate ſua obtundunt, ſed etiam ductus obſtruunt, per quos ſanguis & ſpiritus neceſſariò permeare ſolent.

Primò itaque electuarium hoc, ſeu bolum ſuadeo. Expurgationes neceſſariæ.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis Galeni recenter diſpenſatæ*,

Pulveris Senæ præparatæ ana. ℥j.

Miſce; & cùm *aqua Cinnamomi* fiat bolus; qui involvatur nebulis, & duabus horis ante prandium porrigatur, ſuperfundendo aliquid *Juris Zinziberis conditi.*

Indè per tres ſubſequentes dies, tertiam ſingulis diebus partem ſyrupi præparantis, incidentis, diluti priùs cum brodio caponis vel gallinæ ebibat, manè horâ circitèr quintâ, & ſomno iterum indulgeat, quantùm lubet.

R. *Oxymellis ſimplicis*,

Mellis Roſati colati,

Syrupi è corticibus Citri ana ℥ij.

Miſce pro digeſtivo.

Poſt hæc potiuncula purgante ſummo manè utatur, ſomno inſuper ut ſuprà per horam admiſſo.

Potio purgans.

R. *Foliorum Senæ electæ*,
Agarici præparati ana ℈iiij.
Seminis Aniſi,
Zingiberis ana ℈j.
Paſſularum ℥ß.
Florum Boraginis,
Bugloſſi,
Roriſmarini ana Pj.
Decoquantur in *aquæ Boraginis* ℥viij. ad tertiæ partis conſumptionem, ſtent per noctem, manè fiat colatura, de qua
R. ℥iij. & diſſolve
Mannæ ℥ij.
Pulveris Rhabarbari electi ʒj.
Oxymellis ſimplicis ℥ß.
Aquæ Cinnamomi ʒj.
Miſce fiat potio, cui poſt tres horas brodium carnis ſuperbibatur.

Atque hiſce, uti ſpero, corpus aliquatenus expurgabitur ſatis, niſi fortaſſis præſenti Viro Medico, cui natura Patientis & conſuetudo magis perſpecta eſt,aliud videbitur; interim tamen ſuadeo à fortioribus pharmacis abſtineat, utpote vires & calidum nativum fortiter abſumentibus, nec non in penetralibus viſcerum ſubinde ſuſcitantibus calorem extraneum,ac maximè perniciosum.

Porrò neceſſarium eſſe duco, ut pro calefactione & corroboratione ſtomachi, nec non ad præcavendum copioſum inibi phlegma, ſingulis quatuordecim diebus, pilulas hîc deſcriptas deglutiat, horis duabus ante prandium,atque has;ſiMedico ordinario videbitur,continuet per annum integrum. pilulæ hæ ſi copioſè non purgaverint, non erit ſolicitus, intererit tamen multum, ut pharmacopœjus illas recenter diſpenſet,ac diligenter præparet.

Pilulæ ſtomachales phlegma abſumentes.

R. *Maſſæ pilularum Aloëphanginarum* ʒj.
Maſtichinarum ℈j.
Miſce & cum *aqua Cinnamomi* fiant pilulæ, deaurentur. pro una vice.

Præter has pilulas,electuarium corroborans, tranſmitto, ex quo manè poſtquam è lecto ſurrexerit & ſerò antequam cubitum eat, unciam ſemis devorabit: ut quantùm fieri poteſt, calidum nativum (ex cujus defectu omnia ferè ægri accidentia morboſa dependent) reſtauretur.

Electuarium corroborans calidum nativum reſtaurans.

R. *Conſervæ florum Roriſmarini*,
Corticum Citri extimorum conditorum hoc eſt remotis carnibus inciſorum ana ℥iiß.
Zinziberis

Zinziberis conditi inciſi ℥ij.
Specierum Diambræ,
Caryophyllorum inciſorum ana ʒij.
Juris Zinziberis conditi,
Syrupi è corticibus Citri ana ʒvj.
Miſce; fiat electuarium confortans.

Interim alternis diebus manè,omiſſo tunc electuario antedicto, de Saccharo cum Ambra mixto accipiet grana xij. in ovo ſorbili, quòd ſi duo aut tria ova recentia ſorbilia unà cum lacte ſupernatante inſuper ebiberit, cibum habebit optimè reſtaurantem; opus tamen non erit, ut in ſingulis grana duodecim ſacchari ambrati diſſolvat; ſufficiet,ſi duodecim illa grana in primo ovo, aut ſi mavult, diviſam hanc ſacchari ambrati doſin in omnibus pro vice aſſumat. Saccharum ambratum ita fit. Pulvis ad Venerem ex Ambra.

R. *Ambræ gryſeæ* ℈iiij.
Sacchari albiſſimi ℥ij.
Miſce optimè

Denique membrum virile unà cum teſticulis, nec non ſpatium inter teſticulos & anum, interfemineum vel perinæum dictum, ſingulis manè ſimili linimento fovebit benè. ita etiam proderit, ſi loca illa ſapone Moſchato vel odorato lavârit, & purgaverit.

R. *Olei Nucis Moſchatæ expreſſæ* ʒvj. Unguentum ad Venerem.
Ambræ gryſeæ,
Moſchi,
Zibethi ana ʒß.
Fiat linimentum.

Regioni cordis ſcutum applicabit ex goſſypio, cui ʒj. Ambræ ſit inſperſa,cum ſindone ſerica, factū ad palmæ manûs magnitudinem.

In cibo & potu temperantia requiritur, omnis cruditas noxia. inter cibos admitti aliquando poteſt radix Paſtinacæ unà cum carne cocta: item fructus Piſtaciorum, Pineorum &c. poſt menſam tragéa ſequenti utatur ad ʒß. pro vice,quam pani inſperget vino Malvatico vel alio vino dulci madefacto. utatur hac tragéa non admodum diu, ſufficit trium aut quatuor ſeptimanarum ſpatium, quin ſi ſe nimiùm calefieri perſenſerit Patiens,illam ex toto intermittet. tragéa iſta eſt.

R *Seminum Naſturtij*, Tragéa.
Urticæ,
Erucæ,
Zinziberis ana ʒß.
Sacchari albi ℥ij.
Miſce.

THO-

THOMÆ MERMANNI
CONSULTATIONUM ET RESPONSIONUM
LIBER SEXTUS.
DE
MULIERUM MORBIS.
CONSULTATIO I.
MENSES IMMODICI.
PRO
NOBILISSIMA DOMINA MEDIOLANENSI.

ETſi remedia, quæ pro Nobiliſſima Matrona immodico ac diuturno menſium fluxu laborante petuntur, ex arte & methodo præſcribi non poſſunt, niſi cauſæ ac ſigna, quæ in cognitionem affectûs hujus exactam ducere queant, perſpecta ſint & cognita. Nihilo minùs ut Illuſtriſſimi Domini Baronis N. N. voluntati inſerviam, nonnulla proponere non verebor, hypotheſibus tamen aliquot præmiſſis: ſcilicet Dominam iſtā nullo alio morbo ſeu corporis vitio effatu digno laborare; malum iſtud neque à laborioſo partu, neque ab ictu, neq; ab alia procatarctica cauſa ortum habuiſſe: quòd ſanguis nullo cum dolore, nullo item cum pure neque cum fœtore fluat; horum enim ſi quid vel præceſſiſſet, vel etiamnum ſubeſſet, non facilè mihi perſuaſerim, illud ſilentio præteriturum fuiſſe, qui de morbo iſto ad Dominum Baronem ſcripſit. Certum autem eſt, vitium iſtud vel ad uterum, vel ad ejus vaſa, vel ad ſanguinem referendum eſſe. Ad uterum, quòd is ſanguinem continere non poſſit, fortè ob languorem & hiatum, cujus Hippocrates cùm alibi ſæpe meminit, tum verò præcipuè Lib. 2. *de Morbis Mulierum* his verbis: *Si os uterorum hiârit ampliùs, quàm in menſibus ſolet, menſes fiunt plures, & deteriores, & liquidiores, & per longius tempus.* Debilitata itaque retentrice facultate mirum non

Menſium immodicorum cauſæ.

eſt,uterum non corrugari, ac comprimi, ac proinde ſanguinem, qui in ipſum influit,foras prodire. Idem de vaſis ac meatibus uteri dicendum,qui cùm laxiores fiunt, contentrix quoque vis,ut langueat, neceſſe eſt. Laxitatem verò hanc tam uteri quàm meatuum intemperiei humidiori adſcribendam nemo dubitat. Verùm, an ea calida ſit, vel frigida? affirmare non auſim,quamvis facilè adducar,ut credam, calidam eſſe vel certè ab initio fuiſſe, cùm Domina ægrota ſcribatur corpore eſſe alioquin benè, quoad temperaturam, conſtituto; & trigeſimum ætatis annum non excedere; fieri tamen non poſſet, quin longiùs perſeverante hæmorrhagia iſta, uterus, atque adeò totum corpus tandem refrigeretur.

Ad ſanguinem quod attinet, quamvis ille abſque inſigni vitio fluere poſſit,in hoc tamen corpore ipſum planè innocuum eſſe, rationi conſentaneum non eſt, quòd tam longo temporis ſpatio, ac poſt tam multa remedia à Medicis adhibita,coërceri non potuerit. Vnde non immeritò ſuſpicor, ipſum & ſeroſum fluxioníque paratum, & nonnullius acrimoniæ expultricem irritantis eſſe participem.

Hæc ſi ita ſe habent, in eam ſanè curam incumbendum erit, ut expurgata prima corporea regione,& revulſionibus per venæ ſectionem & cucurbitulas adhibitis,ſanguis totius venoſi generis à ſeroſitate aliíſque impuritatibus mundetur, ac deinde utero veníſque laxioribus robur adſtrictoriis auxiliis reſtituatur. Cùm verò non dubitem primas vias jam ſatis antè abſterſas, ac corpus per repetita lenioria purgantia,phlebotomias ſaltem revulſorias, & ſcarificationes aliqua ex parte evacuatum eſſe, idcirco remedia hîc pauca ſubijciam, quibus ego Nobilem Matronam à ſimili affectu, hydropi vicinam, atque in vitæ diſcrimine verſantem, Deo auxiliante, liberavi: quæ fortè & huic Dominæ poſſent eſſe uſui. Primum eſt potio clementer purgans, quæ ſic ſe habet.

R. *Mannæ* ℥iiß. — Potio purgans.
Diſſolve in *aqua Plantaginis* ℥iij. adde
Pulveris Rhabarbari electi ʒj.
Myrobalanorum citrinarum ℈j.
Syrupi Myrtini ʒß.
Miſce fiat potio quæ octavo quoque die porrigatur.

Alterum Syrupus eſt intermedijs diebus ſumendus.

R. *Syrupi Myrtini* ℥ij. — Syrupus adſtringens.
Aquæ Plantaginis ℥iiij.
Coralliorum rubrorum præparatorum ʒj.
Miſce.

Hiſce auxiliis Matrona dicta ſtrenuè fuit adjuta, at præcipuè potione priore ſæpius repetita; alteram enim neſcio quàm ſæpe adhibuerit.

miſerit. hujus loco electuarium interdum decernere placuit,hoc vel ſimili modo paratum.

Electuarium adſtringens.

R. *Conſervæ Roſarum veteris* ℥iiij.
Boli Armeni præparati,
Lapidis Hæmatitis,
Coralliorum rubrorum,
Cornu Cervi uſti & loti ana ʒj.
Syrupi Myrtini qs.
Miſce;

De quo ℥ß. manè, ac tantundem veſperi, horâ unâ, ante cœnam devoretur.

In paucis iſtis ſpem ferè præcipuam pono, vivendi ratione convenienti adjuncta,de qua non eſt quòd verba faciam, cùm eam haud dubiè ex Doctiſſimis Medicis ſuis Domina jam pridem didicerit. Unum duntaxat moneo, non parùm ſcilicet referre,ut venter ſuo fungatur munere,imò verò ſæpiusculè, niſi largiùs fluat, cieatur; idque pulvere *Rhabarbari conſervæ Roſarum* admixto, ex brevibus intervallis, aſſumpto.

Porrò non me latet,quàm parùm tutò, ac quanto cum periculo fluxiones ab utero ſæpe ſiſti ſoleant; propterea neque ipſe conſultor fuero, ut nimio atque intempeſtivo uſu adſtringentium Domina in hoc diſcrimen adducatur. Quòd ſi verò his opus omnino Medicis eius Doctiſſimis videatur, è divite Medicinæ penu præter jam dicta quàm plurima deligi poterunt: mihi duo præcipuè probantur per os aſſumenda. Primum eſt Burſa Paſtoris vino rubro incocta, de quo decocto hauſtus unus quotidie manè & veſperi ante cœnam quindecim diebus porrigatur. Alterum, ſumatur foliorum quernorum teneriorum in mortario benè contuſorum ℔ß. addantur Sacchari ℥ix.miſce & vitreo vaſe excepta ſoli exponantur, ſpatulâ ligneâ quotidie ſæpius agitando, offeratur manè inſtar caſtaneæ vel nucis juglandis. Commendatur tanquam experientiâ comprobata herba Polytrichum,cujus Mj. tribus vini libris ad dimidiæ partis conſumptionem incoquatur; colaturæ in aurora ℥iij. per triduum tepidæ hauriantur. Ex Recentioribus Ludovicus Mercatus certum & fidiſſimum experimentum eſſe ſcribit radicis Filipendulæ ʒj. quotidie manè in ovo ſorbili ſumptam. Quæ ab Hippocrate & Galeno traduntur ceu omnibus nota hoc loco omitto.

Experimenta in menſium fluxu nimio.

In topicis, quorum maxima eſt ſylva, placet unguentum quod ſequitur.

Unguentum ad nimium menſium fluxum.

R. *Olei Roſarum* ℥iß.
Cydoniorum,
Myrtillorum ana ℥j

Maſtiches

Maſtiches ℥ß.
Schœnanthi,
Nucum Cupreſſi,
Maſtiches ana ℈j.
Antheræ ℈ij.
Acaciæ ℈j.
Gummi Arabici,
Tragacanthi ana ʒß.
Menthæ,
Labruſcæ,
Roſarum ana ℈ß.
Coralli rubri,
Lapidis Hæmatitis præparati ana ʒß.
Boli Armeni,
Seminis Plantaginis ana ℈ß.
Cornu Cervi præparati ʒß.
Ceræ q. s.
Fiat unguentum molle.

Hæc habui de caſu nudè ac ſimpliciter mihi propoſito dicenda; plura, ubi de omnibus ſcitu neceſſariis fuero informatus, lubens ſummóque ſtudio ſcripturus. Interim, ut iſta æqui boníque conſulantur, obnixè cupio. Monachij 24. Martij 1601.

CONSULTATIO II.

MENSIUM RETENTIO.

PRO

VIRGINE QUADAM HONESTA, GIBBOSA ET DELICATULA.

✱

Affectus, quibus honeſta Virgo hoc tempore affligitur, tres ſunt præcipui, nempe reſpirationis difficultas in ambulando, corporis extenuatio, atque menſium præter naturam retentio. de cauſis horum affectuum mea opinio talis eſt. Menſtrua purgatio, quæ inprimis exoptatur, vel ex defectu ſanguinis, vel mala qualitate ejuſdem, vel ex obſtructione venarum, quæ ſanguinem ad uterum convehunt, ſubſiſtit. Sanguis alimentum eſt corporis; & cùm alimentum deficit, corpus non ſolùm nutriri non poteſt, ſed neque in uterum quidquam influit, quod menſtruam ſui purgationem requirat. Qualitas ſanguinis, quem Virgo parcè

Cauſæ retentionis menſtruæ.

 admodum

admodum conficit,non minima cauſa eſt menſtruæ retentionis: ille etenim ſanguis craſſus eſt & melancholicus, cereviſiæ aut vini fæcibus non abſimilis. & cùm præterea Virgo Patiens anguſtas venas obtinet,nemo mirabitur, ſi tales facilè obſtruantur. Quæ cùm ita ſint, quæſtio oritur, quid cauſæ afferri poſſit, cur ſanguis in hac Virgine deficiat? reſpondeo. Sanguinem nutrimentúmque corporis in ventriculo & hepate gigni,mediante naturali calore, tanquam principali opifice omnium totius corporis operationum. ubi deeſt talis calor aut etiam intercluditur,nulla fieri vera coctio, nec corpori utile nutrimentum parari poterit. Itaque cùm in virginis hujus hepate & ventriculo, quoad ſubſtantiam ipſam, nulla læſio appareat, omnis error in calore reponendus videtur. Calor non nimius, nec paucus, ſed naturalis temperatus mediocris eſſe oportet: nam calor auctior, febrilis, præternaturalis, extraneus non concoquit, nec digerit alimentúmſed adurit illud & corrumpit; paucus calor igniculo ſimilis eſt,qui parùm aut ferè nihil conſumit. In hac virgine calor profectò paucus eſt ac impotens, aſſumptum alimentum in corporis ſubſtantiam convertere: licet enim coctio fiat aliquatenus, imperfecta tamen eſt & parùm utilis; cibo partim in pituitam & melancholicum ſuccum,partim verò ac præcipuè in ſeroſitatem converſo. Et poterit ſanguis iſte lacti vitioſo non incongruè comparari, cujus maxima pars ſeroſa & caſeoſa, minima verò pars butyroſa pinguis exiſtit, ad nutritionem apta.

Melancholicus ſanguis vini fæcibus non abſimilis.

Calor naturalis qualis eſſe debeat.

Caloris paucitas & ejus effectus.

Sanguis malè coctus lacti vitioſo ſimilis.

Verùm quærere ulteriùs quis poteſt, quæ cauſa ſit, cur in virgine tam juvene naturalis calor jam deficiat? huic multa quidem reſponderi poſſent,quæ ſtudio brevitatis omitto,unum tamen hoc loci monendum cenſeo, quòd nempe thorax in hac Virgine ob curvitatem dorſi vertebrarum,coſtarúmque, pro cordis neceſſaria eventilatione ſufficiens ſpatium non habet; unde probabiliter concludo, calorem totius corporis, qui in corde potiſſimùm reſidet, generatur, ac fovetur,pérque arterias univerſim diffunditur, quodammodo ſupprimi & ſuffocari: haud ſecus ac parvus igniculus, qui cùm major fieri nequeat, ſi libero aëre deſtituitur, tandem neceſſariò extinguitur; hanc opinionem meam confirmat Virginis pulſus,quem omni ſtudio exploravi. Timeo præterea ac planè puto, coſtis adnatos eſſe pulmones vehementiùs, quod in pluribus corporibus, quæ meo juſſu poſt mortem diſſecta ſunt,vidi & obſervavi. Quibus ita conſtitutis cuilibet facilè apparet, quàm difficilis futura ſit cura, in affectu connato,nec non tot annis inveterato?

Gibboſi paucitate caloris laborant, & cur.

Pulmones coſtis ſubinde adnati.

Interim tamen Patiens deſeri non debet, ſed ea, quæ è re facere aliquo pacto videbuntur, paucis annotabo, plura, ſi eventus poſtulabit,ſuo tempore propoſiturus. Primò,quandoquidem bonus ſanguis calórque naturalis ex cibo potúque convenienti progignitur; vitabit

Patiens

Patiens Virgo omne,quod eſt inſalubre, concoctu difficile,craſſum & glutinoſum. conveniunt quàm maximè aviculæ, gallinæ, capones, pulli,columbi juvenes &c.poſt menſam quieſcat, non laboret, aut multùm ambulet,donec quinque tranſierint horæ; tandem ambulatione ſe exerceat, ſed leni; quod ipſum ante prandium quoque factitabit. Diæta.

Medicamenta quod attinet, levia illa eſſe oportet, aliquoties tamen repetita. Primò electuarium è Caſſia manè ſumat, horis quatuor ante prandium. hoc parùm purgabit, per diem tamen dein quieſcet; ac tum potiunculam Littera A. notatam manè ebibat, ſuperbibendo poſt tres horas juſculum gallinæ. Hoc facto, tribus diebus continuis juſculum medicatum ſibi præparet, ex herbarum Boraginis, Bugloſſi, & Meliſſæ ana manipulo uno, coquantur cum dimidia gallina in media menſura aquæ, per horam dimidiam, ſtent dein per noctem; manè de colato jure ſumantur unciæ quatuor, in quibus diſſolvantur Mellis Roſati & Oxymellis ſimplicis ana cochlearia duo. ſuperdormiat huic juſculo Patiens quantùm lubet. poſt hæc potiunculam B. notatam accipiat, ac iterum tribus diebus continuis ad juſculum medicatum cum melle Roſato & Oxymelle mixtum redeat. tandem potiunculam C. aſſumat manè, uti reliquas purgatiunculas, ſuperbibendo ſemper poſt horas aliquot brodium gallinæ. & hæc medicamenta ſuaviaſunt & lenia, ſed, meo judicio, vel maximè utilia. Corpore ſic ſuaviter purgato, conſilium meum eſt, ut vena ſaphæna in ambobus pedibus tundatur, una manè, altera poſt prandium, ſanguine emiſſo non admodum multo. Vltimò ad humectationem & calefactionem extenuati corpuſculi balneum aquæ propono, unà cum unguento, de quibus tamen aliàs plura. Monachij, 10. Julij. 1606. Pharmacia. Venæ ſectio. Balneum aquæ dulcis.

NB. *Tres illæ purgatiunculæ à Mermanno hîc adpoſitæ non ſunt, ſed in ſcheda particulari notatæ ſine dubio perierunt. facilè tamen ſubſtitui prudenti Medico poſſunt. unguentum de quo ultimo loco mentio fit, ſine dubio fuit unguentum Reſumptivum, vel ſimile.*

CONSVLTATIO III.

MENSIUM RETARDATIO, ALIAQUE ACCIDENTIA.

Ad Virum Amicum.

PRO

FILIA EJUSDEM.

VT morem voluntati geram tuæ, quæ mea ſit ſententia de natura ac remediis affectuum corporis lectiſſimæ fœminæ filiæ tuæ, paucis exponam: diffuſiùs ea de re

Nolebat omnibus gratis inſervire Mercmannus,& recté.

ſcripturus, ubi id Magnificus & Clariſſimus Dominus Cancellarius ejus maritus petierit, ipſéque otij nactus fuero pluſculum. Primùm ex ſcripto Clariſſimi Medici colligo, atque ceu indubitatum ſumo, corpus hoc crudis ac pituitoſis ſuccis repletum, ác ventriculum ob caloris inopiam ad coctionem peragendam infirmum eſſe, indè non ſolùm inappetentiam & flatus copioſos, diaphragma comprimentes progigni, verùm & viſcera, lienem præſertim, atque uterum obſtrui, hoc eſt impuris humoribus repleri, menſes retardari, ſterilitatem aliáque ſymptomata ſequi quàmplurima. meritò autem & prudenter de ventriculo ſollicitus eſt Dominus Cancellarius, rectè quoque Medicus ventriculum validis medicamentis labefactandum non eſſe cenſet. De Phthiſi verò, cur timendum valde ſit, ejuſque præſervatio tam anxiè quærenda? cùm & deſtillatio abſit & tuſſis, non video. Corpus enim naturâ gracile, in tam improba tam primæ quàm ſecundæ coctionis imperfectione non ſatis nutriri, omni caret admiratione. Vera autem tabis in hoc corpore præſervatio, atque adeò tota hujus Matronæ curatio ab hiſce indicationibus, ſeu operibus, quæ ſubijciam, petenda.

Cruditatum cauſæ,& effectus.

Cura.

Ventriculus ante omnia totáque prima corporis regio extergenda, atque à pituita probè repurganda, obſtructiones deinde tàm lienis, quàm venarum uteri paulatim talibus auxiliis reſerandæ, quæ & aperiendi, & blandè vacuandi facultate prædita ſunt. Mundato exactè & ſenſim ab impuritatibus corpore, tum demum ventriculo, & reliquis primarijs partibus robur adijciendum. Hæc genuina erit & artificioſa curandi methodus: quæ niſi obſervetur, in pejus ruent ſucceſſu temporis omnia. Cæterùm quando ob hybernum frigus inſtitui curatio hæc commodè non poteſt, ſapienter Clariſſimus Medicus remedia proponit uſque ad Vernum tempus uſurpanda, quæ mihi ſanè probantur vehementer, quamvis catapotiorum doſin augeri, atque Aloë Roſatæ ſpecies Hieræ Simplicis Galeni ex Aloë Soccotrina optima ac fideliter recens diſpenſatas ſubſtitui mallem in formam boli hoc modo redigendas.

℞. *Specierum Hieræ ſimplicis*. ℥j.
Cum *aqua Meliſſæ* fiat bolus, qui nebulis obvolutus, & affuſo poſtmodum *juris Zinziberis conditi* vel *Syrupi è Corticibus Citri* porrigatur duabus ante prandium horis.

Enema,

Hujus medicamenti uſus imminenti purgationi menſtruæ accommodatus quàm maximè fuerit, bis(minimùm)adhibitus; cui non parùm etiam contulerit enema ex decocto *Malvæ, Chamomeli, Meliloti & Anethi miſto cum oleo Anethino, Chamæmelino, Saccharo rubro & pauco electuario Hieræ ſimplicis*. Aliis temporibus placet Sennæ decoctum ſingulis hebdomadibus aſſumptum, cujus vicem (cùm Domina uſque adeò medicamenta averſetur) talis puppa agere poſſit, vino infuſa.

♃. Folio-

℞. *Foliorum Senæ Alexandrinæ ſelectæ* ℥ß.
Zinziberis inciſi ʒß.
Galangæ ℈ß.
Nucis Moſchatæ raſæ ℈j.
Summitatum Abſinthij vulgaris Pß.
Exciplatur ſindone infundenda *Vini albi Neccarici* ℔iß. bibatur hauſtus ad primam menſam.

Vinum medicatum gratum.

Victûs ratio.

In vivendi ratione monendum occurrit, ut à lacticiniis, & caſeo, à frumentaceis, & quæ in ſartagine frixa ſunt, à pyris, item & à pomis crudis prorſus abſtineatur. Omnis ſatietas vitetur. Inter prandium & cœnam ſeptem horarum ſpatium vel amplius adhuc intercedat. Hæc (DEO favente) à gravioribus malis præſervabunt optim Matronam, atque etiam curationem in Vere decernendam juvabunt non mediocriter. De hac verò, quid ſentiam, breviſſimè nunc explicabo.

Thermæ corpore impuro ſuſpectæ.

Thermæ, ut fatear liberè, ſuſpectæ mihi ſunt magnopere: etſi enim emendare ventriculi, atque uteri frigidiorem intemperiem queant, periculo tamen, atque noxâ manifeſtâ non vacant, niſi viſcera ab immunditie omni, & ab obſtructione planè ſint libera, id quod polliceri nobis de una, atque altera potiuncula in morbis inveteratis non poſſumus. Arbitror ergo, omiſſis thermis, præmiſsâ Hierâ, apozemate aliquo partim aperiente, partim alvum ducente aſſumpto corpus perfectè repurgandum, venámque ad talum utriuſque cruris ſecandam: ac deinde quiete bidui vel tridui interpoſita, Chalybe præparato vel in pulveris, vel in electuarij forma, eo, quem tunc ſcribemus, modo exhibita, obſtructiones, ſeu impuritates lienis atque uteri abſumendas: tum verò, his ſcilicet peractis, juſculo pulli, cui aliquid ligni Saſſafras incoqueretur, manè diebus aliquot continuis porrecto, tam ventriculum, quàm uterum cum reliquis viſceribus calefacienda, atque corroboranda. Quo remedio convenienti ratione è me præſcripto, atque uſurpato, ſterilem fœminam ex oppido Müldorff fœcundam redditam, ſcitum puerum ſeni viro ſuo peperiſſe commemini. Habes Clariſſime ac Doctiſſime Vir, de filiæ tuæ invaletudine, quid mihi videatur brevi ſermone, & feſtinato calamo exaratum. Id DEVS Optimus Maximus benè fortunet. Vale & Clariſſimo Domino Cancellario genero tuo ſalutem ex me, gratificandíque paratiſſima ſtudia adſcribe. Monachij.

Chalybis uſus.

Decoctum ligni Saſſafras ſterilitatem aufert.

CON-

CONSULTATIO IV.

MENSIUM RETENTIO.

IN

MULIERE EMPYEMATICA, ALIJSQVE GRAVIORIBUS ACCIDENTIBUS DETENTA.

AD

Ferdinandum Matthiolum Medicum Patientis Maritum.

STante hoc fundamento, quòd menſium retentio ab obſtructionibus viſcerum ſit facta, lac ſive aſininum ſive caprinum Dominæ conjugi nocivum erit, etiamſi verè eſſet Phthiſica: ſcio neceſſarium non eſſe, ut Excellentiæ Veſtræ hanc concluſionem demonſtrem, nam probatione n n eget. dubito ob fluxum ventris, qui jam ceſſavit, an bonus, utilis, vel damnoſus fuerit? arguit enim meſenterij obſtructionem, & fruſtratam alimentorum anadoſin. verùm ſolent in illo caſu quæ excernuntur eſſe chyloſa. ſi non fuêre talia, & cum bona tolerantia excreta, potuit fuiſſe ex uſu. ſi fluxus ille mihi non foret ſuſpectus, proponerem remedium, quod eſt Agaricus, cujus vellem ut Domina conjux acciperet ℈j. non præparatum cum vitello ovi teneriter cocti benè mixtum, & hoc ad complures dies continuos vel interpolatos: aperiret obſtructiones, expurgaret viſcera. verùm quantumcúnque Agaricus parùm moveat ventrem apud aliquos (uti in praxi experturtusſum) non audeo tamen exhibere illum in hoc caſu, ne novum & ſuperfluum fluxum concitemus.

Agarici crudi uſus.

Agaricus parùm movet ventrem.

Quid igitur agendum? videamus indicationes; menſes, ſi per naturam emanant, revocandi: morbus in pectore factus (ſive ſymptomata in excretis) cum puris excretione ſanandus. quærendum igitur remedium, quod utrique poſſit facere ſatis, ſi modò inveniri id poſſit. Quantùm ad prognoſticum, non poterit fieri melius, quàm Hippocrates in prognoſticis fecit, & Excellentia Veſtra haud dubiè legit: ubi narrat & ad unguem deſcribit, quinam empyematici moriantur & ſanentur. ſi Domina conjunx pulſum habeat robuſtum, & non eſt extenuata & benè appetit, comedit, repeterem poſt aliquas ſeptimanas ſaphænæ ſectionem. clyſteres adhiberem ex decocto cum Mercuriali, floribus Chamomillæ, radicibus Althææ, ſeminibus Aniſi, Lini, addendo ℥ij. electuarij Hieræ ſimplicis, item Saccharum rubrum, oleum Liliorum alborum, Chamomillæ, tanquam utero convenientia. Frictiones porrò laudo pedum & pedilotia. item appoſitio-

Empyematicorum prognoſis.

appoſitionem cucurbitularum ſine ſcarificatione: fortè enim ſcarificationes ſanguinem ab utero derivantes menſes ſiſtunt magis, quàm promovent. Poſtea melicratum facerem ex Hyſſopo, Marrubio, Scabioſa, Farfara, Liquiritia, id pectus detergeret & menſes pelleret, ſi manè exin ſumeret ſex uncias; ſin verò calidum nimis videretur, temperari poſſet addita radice Cichorij, Boragine, ſeminibus Melonum. demum ſi faſtidium ex hoc remedio acciperet, illúdque nauſearet, ſubſtituerem aquam Hyſſopi, Farfaræ, Scabioſæ, & Boraginis, in quibus conſerva florum Boraginis & Bugloſſi diſſolverentur, ac facta tranſcolatione emulſum fieret. hæ conſervæ abſtergunt & menſtrua modeſtè proliciunt. aliàs plura. 19. Martij. 1608.

Cucurbitulæ ſcarificatæ menſes ſiſtere magis quàm promovere videntur.

Melicratum pectus expurgans & menſes pellens.

Emulſum ad idem.

CONSULTATIO V.

EX MENSIUM SUPPRESSIONE, PLURIMA GRAVIA ACCIDENTIA.

IN VIRGINE HONESTA.

Ad Medicos Clariſsimos Ordinarios.

Quemadmodum menſtrua purgatio mulieres, dum corpora earum excrementis, cauſis morborum, referta deonerat, ab innumeris malis vindicare ritè procedens poteſt: ita vel ſuppreſſa vel imminuta in quàm plurima ac graviſſima valetudinis incommoda præcipitat; ídque omnibus uſq; adeò notum eſt, ut vel ipſæ mulierculæ nullum penè morbi genus experiantur, quod ad uteri vitium aliquod referre non conſueverint. Habent autem ea in re ſibi ferè ſuffragantem Hippocratem, qui ut in cæteris omnibus, ita in ſexûs hujus morbis præcipuè indagandis curandíſque longè fuit diligentiſſimus. Itaque non mirabuntur Clariſſimi Medici, qui miſerum valetudinis ſtatum, in quo honeſtiſſima Virgo jam dudum verſatur, doctiſſimè deſcripſerunt, ſi calamitatis iſtius omnium ſymptomatum cauſam, originem, ac fontem, unam menſium ſuppreſſionem ſtatuero, ut ſanè facio, atque aſſeveranter pronuncio. Sententiæ hujuſce meæ tum multis in locis teſtem Hippocratem *Lib. de Morbis Mulierum. 6. Epid. 1. Aphor. 57.* habeo, ut in ea ſapientiſſimis atque in arte verſatiſſimis Medicis probanda laborare minimè debeam.

Cæterùm cùm menſium ſuppreſſio non unam cauſam habeat, quoniam ſcilicet ſanguis interdum in uterum influens, ob craſſitiem & viarum anguſtiam, exitum non reperit; interdum verò expultricis fa-

Menſium ſuppreſſio non unam cauſam habet.

cis facultatis errore, ad alia naturæ incommoda loca refunditur; nonnunquam etiam languentibus ac planè proſtratis viribus immotus hæret; quid hîc loci cauſandum præcipuè ſit, definire non eſt difficile. Etenim cùm Virgo iſta de partibus utero vicinis, nequaquam, de mammis verò turgentibus ac graviter dolentibus vehementer conqueratur, certum eſt, ſanguinem relicto utero ad illas commigrare, glanduloſâsque ipſarum carnes in tumorem attollere, ac phlegmonis inſtar diſtendere. Quàm facilis autem detur materiæ in mammis contentæ ad thoracem tranſitus, & vaſorum vicinia, & ſocietas partium facilè declarat. Huc accedit aſſiduus à capite in ſubjectas partes, de quo ſcribitur, rheumatiſmus, diaphragmatis item compreſſio ab hepate obſtructo, hoc eſt copioſis cruditatibus referto. Hinc reſpirandi difficultas, inappetentia, præterea ventriculi à morbidi jecoris conſenſu vitioſa coctio ac inflatio, cacochymia univerſam ſanguinis maſſam inquinans, febricula lenta, corporis abſumptio, totaque illa malorum ilias ab eadem menſium retentione ac anadrome facta, quam ſigillatim hîc examinare nec eſt neceſſe, nec per feſtinationem licet. Quòd verò quàm plurima remedia à Doctiſſimis Viris adhibita, atque inter alia ſanguis ex vena pedis miſſus parùm valuerint, id ſanè morbi indomiti pertinaciæ adſcribendum eſt. Probè (ſcio) meminerunt Excellentiſſimi Viri ſanguinem neque ſeriùs neque parciùs eſſe mittendum, ipſúmque Galenum mulieri corpore gracili copioſum è vena cruris, aliis Medicis reluctantibus, cum fructu vacuâsſe. Quod remedium venis turgentibus, atque ubi ab aſſumpto cibo corpus ſanguinem ingratum averſans non nutritur, locum duntaxat habere, nemo ignorat. Verùm in caſu iſto mihi propoſito, quid auxilii ac ſpei reliquum ſit planè non video, præter unam analepſin ac virium inſtaurationem. His enim, ut audio, planè attritis nulli potentiori artis præſidio, cujusmodi præcipuè ſunt phlebotomia, & corporis per ventrem purgatio, locum eſſe manifeſtum eſt. Lactis uſus propter viſcerum obſtructiones, ac febrem, quam putridam, licèt lentam, eſſe non dubito, ſuſpectus eſt: Placet hordeum ad diſſolutionem cum jure caponum aut pullorum juvenum coctum, item contuſa, conſummata quæ vocant, potiſſimùm verò aqua ex uno aut altero capone, medulla panis, foliis & floribus Boraginis, Bugloſſi, Scabioſæ, Intybi, Farfaræ, Oxalidis, & Cichorij, cum pauca Meliſſa deſtillata. Inprimis laudo ſuccum è capone in veru aſſato, in fruſtáque conciſo, torculari expreſſum, hordeato, aliísque juſculis admixtum. Vinum album media parte vel etiam duabus aquæ, cui Sacchari & Liquiritiæ modicum incoctum ſit, dilutum; ut potiùs aqua vinoſa dici poſſit, refocillandis viribus fortè non parùm commodaret. In mentem venit quod Hippocrates *in Coacis Prænotionibus* ſcriptum reliquit his verbis: *Quibuscúnque mulieribus oborta febre dolor mammarum incidit,*

Venæ ſectio.

Analeptica.

incidit, indè nata ſputi cruenti non fæculenti expurgatio; moleſtiam omnem ſolvit. Hinc colligo, in ſputo facilitando multum præſidij eſſe poſitum, proinde in ejus promotionem ſedulò incumbendum. Itaque præter idoneos linctus è Syrupo de Scabioſa, Capillis Veneris, Farfara, aliiſque temperatioribus ac palato minùs ingratis, thoracis regionem pinguedine recenti caponis, anſeris, cum pari olei Amygdalarum dulcium & Violacei portione, bis vel ſæpius in die inungere non erit inutile. Commendo hoc quo crebrò uti ſoleo: Coquatur hordeum mundum ad putrilaginem; decocti hujus colati capiatur ℔.j. Olei Violarum, Amygdalarum dulcium ana ℥iij. Miſce, & linteola liquore hoc imbuta thoraci imponantur mediocriter calida ac ſæpe repetantur. In ſumma reſpirandi difficultate laudo extremorum frictiones, & pedum ex aqua calida lotiones, quo tempore niſi cibus nuper ingeſtus prohibeat, profuerit unum vel alterum cochleare aſſumere decocti ſic parati. Cataplaſma pectorale eximium.

℞. *Aquarum Scabioſæ,* Aqua pectoralis.
Farfaræ,
Ceraſorum nigrorum ana ℥iij.
Hyſſopi,
Sacchari candi,
Paſſularum majorum exacinatarum ana ℥ij.
Liquiritiæ raſæ ℥iij.
Ficuum Pinguium N°. vij.
Coque ad tertiæ partis conſumptionem; deinde colentur.

DEUS Optimus Maximus, ſine cujus ope irrita ſunt omnia, benè fortunet. Monachij 16. Junij. 1606.

CONSULTATIO VI.

MENSIUM PAUCITAS, MULIEBRE PROFLUVIUM, STERILITAS.

PRO

FOEMINA NOBILISSIMA.

Symptomata, quæ Nobiliſſimam Dominam affligunt, muliebre ſcilicet profluvium, menſium parcior evacuatio, pondus, ac dolor circa genitalia, & podicem, lumborum cruciatus, ſterilitas, ab uno morbo, ventriculi nempe intemperie frigidiore cum copioſo crudorum humorum apparatu progignuntur, qui venoſum genus ſubeuntes ob-

Uterus cloaca impuritatum.

ſtructiones inſignes pariunt, donec per uterum conſpurcatum, tanquam cloacam evacuentur. Calor, quem ab aſſumpto cibo experitur, febris non eſt, ſed phlogoſis quædam, à laborioſa ciborum coctione ſuſcitata, dum ſcilicet partium ventriculo vicinarum impuritas incaleſcit. His ſuppoſitis ita ſe habere, quemadmodum coràm fuſiùs eſt explicatum, in eam curam incumbendum eſt, ut ventriculo ejúſque coctioni inprimis conſulatur. Id quod ſine valde cauta vivendi ratione fieri non poſſe, omnino perſuaſum habeat. Quocirco in alimentorum delectu diligenter obſervando inſtruatur. Quæ verò noxam adferre poſſunt hæc ſunt: uſus carnis porcinæ, bovinæ, anſerinæ &c. vitetur.

Calor ab aſſumpto cibo unde?

NB. Deeſt victûs ratio.

Ad medicamenta quod attinet, cùm ab illis ſupra modum abhorreat, interim tamen, cùm nec ventriculus abſtergi, nec obſtructiones expediri, nec uterus repurgari corroborarique unà cum ventriculo queat abſque medicamentis, pauca proponentur, & talia, quæ palato ſunt gratiora, & ſumptu faciliora.

Decoctum pulli purgans delicatum.

R. *Pulveris Senæ præparatæ Montagnanæ* ℥vj. vel vij.

Coquantur in *juſculi pulli macri* ℥x. ad tertiæ partis conſumptionem. ſtent per noctem, offerantur juris colati ſine expreſſione ℥vj. addendo, ſi placeat, momentum (cochlear j.) *Sacchari* vel *Oxymellis ſimplicis* ex optimo melle & ſuavi aceto ſed pauco, parati, ſumantur tribus diebus alternis.

Item interpoſita quiete trium dierum.

Vinum medicatum gratiſſimum.

R. *Foliorum Senæ orientalis ſelectæ* ℥vj.
Zinziberis inciſi ʒß.
Abſinthij (ſi palato arrideat) vel ejus loco
Foliorum Salviæ &
Roriſmarini ℈j.
Excipiantur ſindone, & infundantur in ℔ij.
Vini albi, de quo frigido bibat manè ℥vj. poſt juſculum calidè aſſumptum, ſine pane, tribus alternis diebus.

His auxilijs ſpero, corpus evacuatum, atque præparatum ſatis fore. Ad aperiendum calefaciens & roborans medicamentum, quod ſequitur guſtui haud injucundum.

Decoctum columbi cum Saſſafras.

R. *Pullum dimidium columbinum vel gallinaceum* capite & pedibus abjectis.

Adde
Ligni Saſſafras ſuaviter redolentis *in ſcobem redacti* ʒj.

Aquæ

Aquæ fontis ℥xviij.

Coquantur ad medietatis conſumptionẽ. ſtent per noctem. manè quinque horis ante prandium ſumat ℥viij. cum ʒj. vel ʒij. *Sacchari albiſſimi*, ſi id ferre poſſit; dormiat unâ horâ vel alterâ, deinde corpore paulò magis tecto ſudorem eliciat ante prandium, quod ſit admodum parcum, ut in ſudorificis curis eſſe conſuevit.

Ad menſam bibat vinum album media parte ſequentis decocti dilutum.

Decoctum ex Saſſafras pro diluendo vino.

℞. *Ligni Saſſafras* craſsè limati vel in ſcobem redacti ʒiij.
Affunde *aquæ fontis* ℔vj.
Coquantur in duplici vaſe, Balneo Mariæ dicto, benè obturato, ſpatio 6. horarum. aqua colata ſervetur ad uſum.

In curatione perſeveret 25. vel 30. dies, in cubiculo ſe continens, in Autumno vel initio Veris. ac bis in hebdomade pilulis utatur, quæ recipiant

Pilulæ ſtomachicæ.

Aloës ʒij.
Myrrhæ ℈ij.
Croci,
Galangæ ana ℈ß.
Et cum *aqua Meliſſæ* fiat maſſa ad tres doſes.

Vomitus.

Vomitus quoque ad muliebris fluoris revulſionem conferet, ſi is facilis ſit, vel ſponte vel provocatus juſculo tepido, cum ℥ij. Oxymellis ſimplicis ſemel in hebdomade. ante uſum verò ligni Saſſafras ſaphena in utroque pede ſecanda appetente tempore menſtruæ purgationis. Si Aquenſes thermas ferre poſſit, & attentari velit, nequaquam improbo, ſed magna cum cautela, ut tepeſcat ſcilicet priuſquam ingrediatur; neque ſupra vires immoretur, præmiſſis tamen purgationibus primò præſcriptis: & miſſo ſanguine continuet per 20. dies (plùs minùs) bis in die, ſi vires ferant.

Sanguinis miſſio.

Thermæ Aquenſes.

Thermæ Embſenſes.

Quia non datur occaſio utendi Aquenſibus thermis ad Embſenſes prope Confluentiam ſe conferre poteſt, hiſque in potu etiam aliquamdiu uti, antequam lavet, in parva doſi, uti coràm dicetur. Vbi menſes rectiùs procedent his abſolutis, non ceſſante profluvio muliebri, ſequenti utatur remedio.

Emplaſticum pro ſiſtendo fluxu muliebri

℞. *Ova duo recentia.* terantur cum teſtis in mortario marmoreo, & ſtuppis benè carminatis excipiantur, quæ lumbis apponantur,

& faſciâ contineantur per 20. dies & plures, quotidie manè & ſerò innovando, donec ſcilicet tempus menſtruæ purgationis repetat.

Datum in Pago Spa die 19. Auguſti anno 1598.

CONSULTATIO VII.

MORBUS VIRGINEUS, SEU FEBRIS ALBA.

PRO VIRGINE NOBILI VENETA.

Nobilem Virginem, pro qua conſilium à me petitur, perſuaſum habeo, eo morbo laborare, quem virgineum & febrem albam vulgò appellant: cujus hæc ferè ſolet eſſe effigies: genæ, labra ac tota facies tanquam exſanguis palleſcit, oculorum palpebræ intumeſcunt, crura quaſi œdemate turgent, præcipuè juxta malleolos, ad motum corporis quantumvis levem cor palpitat, arteriæ temporum pulſant, in exercitio quovis reſpiratio difficilis eſt ac denſa; accedunt ad hæc faſtidium, mœror, animi dejectio, aliáque ſymptomata penè innumera, quæ explicare verbis vix queas. De iſtis Virginum malis, eorúmque cauſis ac medela, quæ in *libello de Virginum Morbis* Hippocrati adſcripto leguntur, otioſi hominis ſit, hoc loco repetere. Nos rem in pauca contrahentes, dicimus: morbum eſſe obſtructionem viſcerum & venarum: cauſam ſanguinis copiam, craſſitiem, lentorem, frigiditatem. reſpirationem tardam ac crebram facit hypochondriorum tumor, ſanguis craſſus, vapor, & ſpiritus flatuoſus arterias obſtruens, qui & anhelitum intercipit, & cor ipſum mirè exagitat. *Galenus Lib.* 3. *de Difficultate Reſpirationis*. 4. *de Cauſis Symptomatum*.

Morbi virginei ſigna.

Expediendæ igitur ſunt obſtructiones; ſi plethora ſubſit, ſanguis mittendus, primùm è vena brachij baſilica, deinde ex utraque ſaphena. In victûs ratione non eſt quod moneam, cùm exploratum Virgini non dubitem, cavendum ab alimentis craſſis, frigidis, à paſtilibus, lacticinijs, caſeo, à frixis, ab acetariis, crudis.

Medicamentorum igitur materiam ac formulas, quas hoc loco inprimis accommodatas fore cenſeo, ſubijciam, ad primæ regionis corporeæ vias detergendas. placet bolus iſte, vel huic non abſimilis,

R. *Specierum Hieræ ſimplicis Galeni* ℈ijß.
Aloës Soccotrinæ ℈j.
Specierum Eleſcophi ℈ß.

Miſce

Miſce; cum *aqua Cinnamomi* fiat bolus, nebulis involutus, duabus horis ante prandium. item

R. *Mellis Roſati* ℥iß.

Detur cum bolo, qui ſi parcè vacuet, altero vel tertio die repetatur.

Indè ad humorum attenuationem, levémque exterſionem, apozema, quod ſequitur, parandum.

R. *Herbarum Betonicæ,* Apozema attenuans & purgans.
Agrimoniæ,
Boraginis,
Capillorum Veneris ana Mß.
Florum Boraginis,
Bugloſſi,
Chamæmeli ana Pij.
Radicum Liquiritiæ ʒiß.
Fæniculi ʒiij.
Foliorum Senæ ℥ß.
Seminis Aniſi,
Zinziberis ana ʒj.
Paſſularum ʒvj.

Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℔j. in colatura dilue
Mellis Roſati ℥iiij.
Oxymellis ſimplicis ℥ij.

Miſce; fiat potio ad tres doſes, in triduum ſummo manè porrigenda.

Aſſumpto apozemate purgans exhibeatur, quod ita habet.

R. *Foliorum Senæ* ʒijß. Potio purgans.
Agarici præparati ʒiß.
Zinziberis,
Seminis Aniſi ana ʒß.
Paſſularum ℥ß.

Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥iij. ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua dilue
Mannæ ℥ij.
Oxymellis ſimplicis ℥ß.

Miſce fiat potio.

Deinde ad aliud procedendum apozema, quod vim aperiendi detergendíque majorem habeat, cujuſmodi eſt iſtud.

R. *Herbarum Artemiſiæ,* Apozema aperiens detergens.
Praſſij,
Capillorum Veneris,
Boraginis,

Betonicæ ana Mß.
Radicum Helenij ʒij.
Liquiritiæ ʒiß.
Calami Aromatici ʒj.
Zinziberis,
Macis,
Cinnamomi ana ʒß.
Foliorum Senæ ſine ſtipitibus ʒv.
Agarici præparati ʒiij.
Paſſularum ℥iß.

Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℔j. in colatura dilue
Syrupi de Betonica ℥ijß.
de Artemiſia ℥iß.
Oxymellis ſimplicis,
Mellis Roſati ana ℥j.

Miſce; fiat apozema, ad tres doſes.

Huic ſubijciatur purgans alterum hoc.

Purgans alterum.

R. *Foliorum Senæ* ʒiij.
Agarici præparati ʒiß.
Zinziberis,
Seminis Aniſi ana ℈j.
Paſſularum ℥ß.
Florum Boraginis,
Bugloſſi ana Pj.

Decoquantur in ſ.q. *aquæ* ad ℥iiij. ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua dilue
Mannæ ℥ij.
Electuarij Diaphœnici ʒij.

Miſce fiat potio.

Corpore toto, hunc in modum perpurgato, ad uſum Chalybis in hoc & ſimilibus affectibus felici ſucceſſu uſitati deveniatur.

Uſus Chalybis in pulvere.

R. *Chalybis* limâ attriti ℥viij.

Molatur ſuper Porphyrite ſubtiliſſimè cum aceto, dein ſiccetur ad ſolem vel ignem, & ſic ſepties teratur. deinde Chalybe ſic præparato

R. ʒj. adde
Pulveris Caryophyllorum grana v.

Cum aliquot guttis *vini Malvatici* fiat bolus. qui nebulis involutus deglutiatur manè, quinque horis ante prandium; ſuperbibantur duo vel tria cochlearia ejuſdem *vini*

Malvatici

Malvatici, ſi caput facilè ferat, vel ejus loco *juris pulli* tantundem.

Indè corpus unâ vel duabus horis exercendum ad ſudorem uſque, ſi commodè fieri queat. quarto quoque die purgans aliquod offeratur, omiſſo illo die Chalybe.

Vinum medicatum purgans.

℞. *Foliorum Senæ* ℥j.
Zinziberis inciſi ʒiß.
Macis ʒß.
Galangæ ℈ß.
Florum Boraginis,
Bugloſſi,
Anthos ana ℈j.
Omnia ligentur in linteolo, & fiat ſacculus, infundendus in ℔iiij. *vini albi*, aſſervetur in cella vinaria, in vaſe fictili vitreato. doſis ſit ℥v. diluantur cum *aquæ Boraginis* ℥j.

Ex uſu iſto chalybis diebus 25. continuato, fructum non pœnitendum ſpero, quod faxit DEVS. Monachij 24. Auguſti 1605.

CONSULTATIO VIII.

FLUXVS MULIEBRIS ALBUS.

IN

FOEMINA ILLUSTRI.

Ad Medicum Amicum.

VT more meo, breviter ad literas tuas reſpondeam, hoc præſertim tempore, quo me Sereniſſimæ Ducisſæ noſtræ morbus aſſiduè occupat, primùm in mentem mihi venit, nos ante biennium (plùs minùs) ad Illuſtrem Dominam Patientẽ cõvocatos ambos fuiſſe, ut moleſtis, quæ patitur, ſymptomatis remedia adhiberem⁹: verùm cùm illa mox gravida facta eſſet, neſcio quomodo morbũ intereà tulerit, atq; utrùm ad eũm profligandum præſidio ullo ſit uſa. Cæterùm ſanè de doloris tam chronici unáque in ſede hærentis cauſa, ſic cenſeo, illum, cùm neque capitis ulla gravitas, neque repletio, nec dolor circa nucham vocatam, vel ſcapulas præcedat, à pituitoſorum quidem humorum copia excitari, foverique. Verùm humores eos in ventriculo, atque prima regione corporis procreatos, magnáque copiâ ſenſim collectos, vel à

Cauſæ.

natura ipſa robuſta ad renes ablegari, vel à renibus juſto calidioribus attractos ad veſicam præcipitari; hinc urinæ illæ craſſæ, multáque pituitâ purulentâ refertæ, atque utinam ren quoque ſiniſter vitij aliquid non patiatur,vel tandem incurrat. Hæc ita ſe habere quis miretur,qui corporis conſtitutionem apprimè humidam, victûs rationem,uti his,qui in re lauta quotidianíſque convivijs verſantur, conſuetum eſt, neglectam, vitámque ob crebras uteri geſtationes ſellulariam, ac defidem conſideret? Hi iidem crudi ſucci, dum à toto corpore ad uterum confluunt, alioqui ſanum, fluore illo muliebri Dominæ moleſtiam non parvam afferunt, exonerante nimirum ſe jecinore,totáque ſanguinis maſſa,tanquam per cloacam ſe repurgante.

Hepar per uterum tanquam cloacam ſe aliquando exonerat.

Ad præſidia artis quòd attinet (ſpero enim malum indomitum non fore) corpus exquiſitè,& phlebotomiâ, & pharmaciâ evacuandum omnino ſtatuo. Deinde lavationem ex thermis Badenſibus vehementer probo, eámque decocto Chinæ & Saſſafras cùm propter rationes à te prudenter allatas,tùm verò etiam, ut indè ad urinarias vias vi ejus diuretica humores deducantur, illíſque locis in dies magis magíſque aſſueſcant (cùm præſertim Domina ſudare nequeat) longè anteponendam exiſtimo; non ignarus, quàm ſoleant pleríque omnes Germani eſſe balneorum amantes. Sic eabitur;ac calefiet his aquis univerſus corporis habitus, humoréſque excrementij roborato calore,ſi vivendi ratio melior impoſterum ſervetur, minùs generabuntur; quamquam (ut fatear, quod res eſt) longè id feliciùs & efficaciùs aliæ thermales aquæ potari ſolitæ,cujuſmodi multas habet Italia,præſtarent.

Thermæ Badenſes cum decocto Chinæ & Saſſafras.

Quod reliquum eſt, non abſimilem hunc caſum illi eſſe puto, de quo nuper rogatus ſententiam meam ad te perſcripſi. eadem igitur ferme methodus medendi conveniet. Inprimis autem laudo enemata,quibus Hieræ ſimplicis aliquid ſit admixtum, Hieræ item ſpecies per os exhibitas, addito interdum pulvere Senæ præparatæ, Agarico præparato, & momento Specierum Eleſcophi. atque ante omnia placet crebrior Terebinthinæ uſus,& vomitus,ſi adeum ſit diſpoſita, ſimplici Oxymelite procuratus. Vale Vir Doctiſſime. raptim in aula, ut fit tumultuariè, die 10. Maij 1588.

Enemata.

Terebinthinæ uſus.

Vomitus utilis.

CONSVLTATIO. IX.

VTERI FLVOR ALBVS FOETIDUS.

PRO

MATRONA IGNOTA.

✶

VTerus à natura fœminis eo potiſſimùm fine connatus eſt,ut liberos ſuſcipiat, toto geſtationis tempore foveat, ac tandem debito termino, illos excludat. præter

iſta,

iſta, alias quoque uterus ſexui muliebri utilitates adfert, nempe quòd ſanguinis copiam, quæ in non gravidis ad futuram conceptionem neceſſaria cumulatur, ſingulis menſibus debita quantitate evacuet, atque ab illa liberet totum corpus. adhæc & aliæ impuritates pravique humores in corpore paulatim coacervati, ſucceſſivè per hæc loca effluunt; unde varij morbi, ſymptomata varia, expulſâ variorum humorum ſaburrâ, facilè præſervantur. Ita & hoc ipſum contingit in Nobili noſtra Matrona, in qua magna colluvies pravorum ſuccorum ex ventriculo, hepate, totóque venoſo genere in uteri colli venas, & exin extra corpus propellitur. Hæc impura & malè olens materia induit ingentem ſuum fœtorem, hac potiſſimùm de cauſa, quòd incluſa in anguſtijs hæreat, ſuffocetúrque non ventilata; eo ferè modo uti mucus aliquando, occluſis naſi meatibus, putreſcit, atque carie quoque vicinis oſſibus infectis, fœtidiſſimum odorem de ſe fundit, donec excidentibus corruptis oſſibus, meatibúsque dilatatis partes priùs obſtructæ eventilentur; ipſéque adeò evaneſcat teterrimus odor.

Uteri in fœminis utilitas varia.

Fœtoris cauſa.

Cæterùm duæ, hoc loci, quæſtiones oriri poſſunt, prima, quî fiat, Matronam hanc Nobilem, ſtante hoc permoleſto affectu, cæterà ſanam & ſine querela vivere? reſpondeo: eo ipſo incolumem eſſe Patientem noſtram, quoad reliquas corporis diſpoſitiones, quòd pravi ſucci cæteroquin ad magnos morbos producendos apti, per uteri loca omnes expurgentur, atque adeò ab omni impuritate totum corpus liberetur. Altera quæſtio eſt, quomodo poſſibile ſit, purgationes menſtruas nec ordine, nec colore, nec odore, nec quantitate peccare? ipſámque Matronam, in tanto uteri fœtore, matrem eſſepoſſe? reſpondeo, ſanguinem bonum purúmque cumulari & permanere intra uterum, ac impuram illam & fœtidam materiam non in uteri ſed colli, ejuſdem uteri, venis coacervari, & exin ſucceſſivè ſed ſine ordine evacuari.

Duplices Uteri venæ.

Quibus ita poſitis, facilè cuivis apparet, quid ad tanti mali curam factu ſit opus: nempe totum corpus benè & ſufficienter expurgandum, atque adeò cauſam antecedentem affectûs tam moleſti auferendam eſſe: præterea ne de novo impurum quid & ſuperfluum generetur, neceſſarium erit, ſelectis cibis atque frugali diæta uti: viſcera principalia præſertim ſtomachum corroborare: nam ubi prima coctio negligitur, reliquas omnes imperfectas ſubſequi, & nunquam purum ſanguinem generari, palàm eſt; denique & uteri collum ab omni impuritate ac fœtore liberare debebimus.

Cura.

Inter cibos, magis volatilium quàm aliorum animalium caro laudatur, exceptis tamen anſeribus, anatibus, aliíſque volatilibus in aqua degentibus. ex quadrupedibus inutilis eſt caro cervina, aprorum ſeu ſuilla ſylveſtris, agnina, ſuilla domeſtica, omnis caro ſale

Victûs ratio.

condita vel fumo indurata; præterea nocent inteſtina, capita, pedes, pulmo,& cor animalium,utpote nimis viſcoſa. omnes piſces pituitoſum ſanguinem generantes utpote anguilla, tinca, carpio, prohibentur; uti etiam gambari: lacticinia, farinacea, frixa, olera omnia; fructus recentes hortenſes nocent. verbo,Nobilis Matrona ſelecta & pauca comedat, cum aliquo appetitu è menſa ſurgat, fugiatque ciborum diverſitatem. Potus ſit vinum clarum maturum, aquâ, in qua modicum Aniſi incoctum ſit,permixtum; aqua cruda, cereviſia, vinum dulce,generoſum,proſcribatur. Interdiu nihil ciborum vel potûs accipiatur: exulet omnis motus niſi coctio planê peracta ſit, idem obſervandum de balneis. Alvi conſtipatio,quantùm fieri poteſt,præcaveatur,ſi adeſt,emendetur clyſteriolis domeſticis,vel etiam ſimilibus pilulis,dummodo Nobilis Matrona gravida non ſit,in quo caſu omittendas cenſeo.

Pilulæ.

R. *Aloës Soccotrinæ* ℥iij.
Specierum Hieræ ſimplicis ℥j.
Cum *aqua Cinnamomi* formentur pilulæ ponderc granorum ij. deaurentur doſis. ℈j. unâ horâ ante prandium.

Quod totius corporis expurgationem, viſcerúmque corroborationem attinet,eo,qui ſequitur,modo inſtituendæ ſunt, omnia tamen cum adſiſtentis Medici conſilio. primò bolus leniens offeratur duabus horis ante prandium, nebulis involutus; qui ſi parùm eduxerit, ſequenti die dimidia ejus pars denuò exhibeatur.

Bolus laxaus.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis* ℥j.
Specierum Eleſcophi ℈ß.
Miſce & cum *aqua Cinnamomi* fiat bolus. item
R. *Juris Zingiberis conditi*;
Corticum Citri conditorum ana ℥vj.
Dentur unà cum bolo.

Dein in ſequens triduum tres potiunculæ iſtæ ebibantur,ſuaves ſunt,non purgant,ſed præparant & detergunt.

Syrupus præparans.

R. *Syrupi è Betonica*,
Mellis Roſati;
Oxymellis ſimplicis ana ℥ij.
Diluantur in ℥ix. *juſculi pulli*, in quo incoxerint aliquot *folia Betonicæ* & *Boraginis*. fiat potio ad tres doſes. horâ matutinâ tribus diebus continuis offerenda.

Materia ſic præparata evacuetur poſtmodum ſequenti potione purgante, manè offerendâ; quâ epotâ tribus horis pòſt juſculum pulli non ſalitum exhiberi poterit.

R. *Foliorum*

R. *Foliorum Senæ electæ* ℥iij. Potio purgans.

Agarici crudi inciſi & conquaſſati ℥iß.

Salis gemmæ grana v.

Seminum Fœniculi,

Citri ana ℈j.

Florum Boraginis;

Foliorum Meliſſæ;

Artemiſiæ ana Pj.

Paſſularum ℥ß.

Radicis Liquiritiæ ℥ij.

Decoquantur in *aqua Boraginis* ℥viij. ad tertiæ partis conſumptionem; ſtent per noctem, manè fiat colatura ad ℥iiij. in his diſſolve

Mannæ;

Mellis Roſati laxativi ana ℥iß.

Miſce fiat potio.

Atque hæc medicamenta bona quidem ſunt; ſed ſufficienter corpus non expurgabunt; quapropter tres adhuc potiunculas ad tres dies præſcripſi; quarum primæ duæ mediocriter, ultima verò paulò largiùs evacuabit, nullo tamen vitium eum lapſu: interim iſthæc Medicus præſens diriget,ac pro circumſtantiarum varietate,medicamenta differre aut mutare ſciet.

R. *Herbarum Betonicæ;* Apozema Uterinum aperiens purgans.

Artemiſiæ;

Meliſſæ;

Praſſij;

Pulegij ana Mß.

Boraginis recentis;

Bugloſſi;

Mercurialis,

Capillorum Veneris ana Mj.

Radicum Fœniculi recentis ℥vj.

Foliorum Senæ electæ ℥vij.

Seminum Aniſi,

Fœniculi ana ℥j.

Radicum Calami aromatici,

Helenij ana ℈iiij.

Paſſularum ℥j.

Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℔j. in colatura dilue

Syrupi de Artemiſia ℥ix.

Betonicæ,

Mellis Roſati ana ℥iß.

 Miſce.

Miſce; fiat apozema, ad tres doſes, in diluculo
tribus diebus offerendum. in tertia verò
doſi addantur
Electuarij Diaphœnici ʒiij.
Mannæ electæ ℥iß.
Aquæ Cinnamomi cochlear unum.

Venæ ſectio.

Peracta hac purgatione, & mox in principio poſt aſſumptum bolum, facta venæ ſectione (plethorica enim videtur Nobilis Matrona) venæ hepaticæ in brachio dextro, emiſsóque pro viribus ac judicio Medici præſentis ſanguine, conſulo, ut ad dies duodecim vel quatuordecim juſculum ſequens hauriat, ſomno inſuper pro lubitu indulgendo, remedium eſt ſuave, corroborat ventriculum, viſcera naturalia, ac præcipuè uterum ipſum. Accipitur ligni Saſſafras limâ craſſo modo pulveriſati ʒß. incoquitur unà cum media parte pulli junioris vel columbi in ſ. q. aquæ, donec caro ab oſſibus diſcedat. ſtent dein omnia per noctem, manè colentur, & brodium calidè propinetur. hoc ſumpto Nobilis Matrona denuo dormiat vel pro lubitu quieſcat. Cæterùm dum juſculo prædicto utitur Nobilis Patiens, ſuadeo, ut, per octo aut decem circiter dies, balneum ſeu inſeſſum adhibeat ex herbis ſequentibus confectum.

Decoctum Saſſafras.

Balneum ſeu inſeſſus uterinus.

℞. *Herbarum Artemiſiæ*,
Calamenthi,
Pulegij,
Meliſſæ,
Menthæ rubræ,
Satureiæ,
Hyſſopi,
Serpylli,
Thymi,
Origani,
Abſinthij,
Roſarum rubrarum,
Roriſmarini,
Chamæmeli,
Meliloti ana Mj.
Radicum Cyperi longi,
Calami aromatici ana ℥ß.
Ireos florentinæ ℥iß.
Gummi Ladani ℥j.

Omnia contundantur groſſo modo & ſacculis incluſa coquantur in ſ. q. aquæ pro inſeſſu. herbæ ſingulis tribus diebus renoventur.

Perfecto

Perfecto hoc balneo, ſingulis vicibus Nobilis Matrona ſe quieti det & lectum petat ad horam unam, reliquo verò die ab injurijs aëris probè ſe muniat. Interim dum balneo adhuc inſidet, procurabit omni ſtudio, ut aqua hæc medicata ſinus muliebres intimiùs penetret, quod ut faciliùs fiat, per ſyringam annexâ veſicâ ſuillâ aqua intropelli, vel lanâ eâdem aquâ benè madidâ in uteri collum intrudi poterit. Balnei adhibendi modus, ut uteri partes interiores penetret.

Alvus ſi conſtipatior fuerit, leni clyſmate ſollicitabitur. Clyſma uterinum.

R. *Herbarum Malvæ*,
Biſmalvæ,
Mercurialis,
Betæ ana Mj.
Florum Chamæmeli,
Meliloti ana Pj.
Seminis Fœniculi ℥ij.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℔j. in colatura diſſolve
Sacchari rubri ℥ijß.
Olei Liliorum alborum,
Chamæmelini ana ℥ij.
Salis ℈ij.
Miſce fiat enema.

Quòd ſi Nobilis hæc Matrona tantùm domi abeſſe, & ſe ad thermas noſtrates, Hailbrunn dictas, & prope Monaſterium Benedicto-Burenſe ſitas conferre poſſet, aut illas ipſas aquas thermales aliò deferri curaret, quæ modò ad feſtum S. Michaëlis uſque vigent, illisque methodicè (uti aliàs fieri ſolet) uteretur, maximum in hoc caſu emolumentum allaturas conſiderem. Monachij 10. Julij. Anno 1612. Thermæ Hailbrunnenſes.

CONSULTATIO X.

STERILITAS.

IN FOEMINA ILLUSTRI.

Ad Giſbertum Vooßium Medicum Clariſſimum.

CUm in Poloniam cum Sereniſſimis profectus eſſes, in aula, caſu, puto, in me incidit uno vel altero die, priuſquam Græcio diſcederem, Domina Baroniſſa meam ſententiam, ac conſilium de ſterilitate ſua exquiſivit, ſi-

vit,ſimúlque vereundè ac prudenter tanquam Medico ſeni expoſuit, ſe per omnem vitam in congreſſu conjugali genituram nunquam emiſiſſe, quod & cauſa & ſignum minimè fallax eſt, infœcunditatis ſaltem præſentis. Demiratus ſymptoma in corpore juvenculæ in iſta formæ præſtantia,actionúmque alacritate reſpondi, me de remediis cogitaturum. Diſtuli fidem ſolvere tum quòd hyems eſſet, réſque moram facilè pateretur, tum quòd occupationes meæ ne horulâ quidem unâ intermiſſæ otiari me hîc patiantur. Nunc verò, quia tempus imminet,quo iſtiusmodi affectuum therapiæ ſuſcipiantur; Excellentiam Suam rogatam volo, ut verbis meis, moram apud Dominam Baroniſſam excuſate, meámq; ipſi ſententiam exponere, auxiliáq; nonnulla, quæ mihi inprimis probarentur, proponere velit.

Nulla ſeminis emiſſio in conjuge juvencula.

De cauſa ſterilitatis,alteriúſque admirandi ſymptomatis ita ſentio,vaſa ſpermatica muliebre ſemen ad conceptionem neceſſarium, in uterum deferentia,obſtructa eſſe,ac ſtipata humore craſſo frigido, atque adeò ipſum uterum,præter lubricitatem,inopiâ caloris, qui fovendo virili ſemini ſit ſatis,laborare. Hoc ita ſe habere,arguit viſcidus ac craſſius humor, qui ſubinde è locis, ut refert, effluit; deinde verò & illud, quòd neque petulca ſit,neque voluptatem in congreſſu Venereo ullam experiatur; nec obſtat, quòd toto corpore ſit cæterà ſano, cùm cruditates, ſi quæ in venoſo genere colligantur,per uterum repurgari queant, ſine noxa evidenti valetudinis.

Juvenculæ cur aliquando nullam ſentiant voluptatem in coitu. vel etiã ſemen non emittant?

Ad remedia quòd attinet, ſcio hîc comendari multa, & quidem thermas,quæ corpore probè tam pharmaciâ, quàm phlebotomiâ evacuato mihi probantur. placet tamen cum Excellentia Veſtra communicare,quæ Dominæ Baroniſſæ profutura ſperaverim, ritè uſurpata,quibus Medicus quidam Empiricus, complures mulieres ſteriles fœcundas reddidit,ut ex ore ipſius nomina, & loca curationum commemorantis cognovi. Corpore ritè purgato, ſanguine etiam in corpore miſſo, vinum ex variis ſiccantibus, purgantibus, ac confortantibus tale paretur.

Empirica ad ſterilitatem fœminarum.

Vinum purgans ſiccans.

R. *Ligni Indici* ℥vj.
Salſæ Parillæ ʒiß.
Saſſafras ʒiij.
Radicum Chinæ,
Liquiritiæ ℥ß.
Corticum Ligni ℥v.
Turpethi albi ʒiij.
Rhabarbari ʒiß. (omitti hoc poterit, quia ingratum)
Foliorum Senæ ℥iß.
Zinziberis,
Calami aromatici ana ʒiß.

Radicis

Radicis Ireos ℨß.
Herbarum Veronicæ ,
Betonicæ ana Mj.

Omnia in partes minutiſſimas ſcindantur; ponantúrque in vaſculum, affundanturvini albi ℔x. De quo poſt tres dies bibantur in dies ℥xij.in menſa. Reliquo vino, ſi ampliùs bibere volet, Enula campana infundatur. Tertio die, poſtquam menſes fluere deſierint, de vino iſto bibere incipiat. Poſtquam diebus tribus de eo biberit, ſudatio inſtituatur in Laconico fumum recipiendo, ex decocto plantarum calefacientium. cujusmodi ſunt Spica, Betonica, Artemiſia, Meliſſa,Mentha,Pulegium,Salvia,Ruta,Hyſſopus. Antequam verò balneum ſudorificum ingrediatur ſumere proderit ℥ij. roob Sambuci, medicamentum Germanis ſatis familiare. Continuanda ſudatio dies 10. ſi vires ferant, bis uno die, ego ſemel ſatis fore cenſeo. dum hydrotico huic vacabit, vinum medicatum non eſt intermittendum, id, ſi non placeat, tale ſubſtituatur.

Cura ſudorifera ſicca.

℞. *Caſſiæ fiſtulæ cum corticibus* ℥iß. (Caſſia omitti poſſet.)
Mannæ electæ ℥j.
Agarici ℥j.
Sebeſten N°. vj.
Turpethi ℨiß.
Foliorum Senæ ℥vj.
Caryophyllorum ,
Macis ,
Nucis Moſchatæ ,
Cinnamomi ,
Zinziberis ,
Seminis Aniſi ana ℨj

Vinum medicatum purgans.

Frangantur craſſiori modo omnia, excipiantur linteo puriſſimo, affundantur *vini* ℔iij. vel iiij. bibatur ad primam menſam hauſtus pro libitu.

Cæterùm ad ſudorificam hanc curationem paratur domuncula parva, commoda, unius hominis capax. Hujus typum vel hic tabellarius, vel qui proximè eum ſequetur, afferet. Placerent mihi hæc remedia in Nobili hoc Subjecto ita uſurpata, ut epoto vino medicato, tribus diebus ſudatio inciperetur, atque uno die vinum, altero laconicum adhiberetur, interdum etiam uno die utrumque, ſi fieri poſſet commodè. Indubitanter credere jubet Empiricus ille, hæc remedia profuiſſe cuidam, cùm thermæ adhibitæ nihil effeciſſent. Addo ad hæc pulverem, à quadam Principe Fœmina aſſumptum Duciſſa Vrbini, ter in hebdomade, longo tempore qui ſic paratur.

 ℞. *Seminis*

Pulvis ad ſterilitatem.

R. *Seminis Ammeos* ℥vj.
Salviæ,
Uteri leporini,
Raſuræ Eboris,
Cubebarum,
Artemiſiæ ana ℥j.

Miſce fiat pulvis ſubtiliſſimus, ſumatur vel in forma pilulari, vel in brodio, vel in ovo ſorbili.

Geſtabat præterea in regione uteri tale ceratum.

Ceratum uterinum.

R. *Liquidambræ ſiccæ*,
Seminis Ammeos ana ℥v.
Olei Liquidambræ,
Balſami occidentalis ana ℥ij.
Ceræ,
Reſinæ ana ℥j.

Item ex octava parte jam dicti pulveris tela ſubtili excepta, fiat peſſarium, ante coitum in uteri tenendum.

Sacculum quoque in uteri regione continuò geſtavit, qui ex ſequentibus conſtabat.

Sacculus uterinus.

R. *Meliſſæ*,
Scatureiæ,
Pulegij,
Artemiſiæ,
Salviæ,
Origani,
Florum Chamomillæ ana Mj.
Seminis Aniſi,
Fœniculi,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Nucis Moſchatæ,
Macis,
Ammeos ana ℥ij.
Ambræ ſiccæ ℥j.
Moſchi grana v.

Miſce fiat pulvis ſubtilis pro ſacculo.

Empirica nec Galenus ſprevit.

Duciſſa hæc thermales aquas quoque bibit, & inſeſſionem adhibuit, quibus unà cum prædictis remediis gravida facta, puerum peperit. Dices empirica hæc ſunt,fateor, deſcribere tamen ea volui, quòd aliorum magni faciam experientiam, & videam Galenum quam plurimas medicamentorum formulas ab aliis uſurpatas collegiſſe. Tuum eſt methodicè ea applicare expenſis conſideratis, quæ

in cura-

in curatione corporis iſtius individui expendenda conſiderandáque probè nôſti. Cauſam verò frigidam, & humidam ſymptomatum ipſius abs te ſtatui, ex ipſa Domina cognovi, cui ſi uterum eóque pertinentia ſpectem omnino aſſentior; niſi candorem tuum noviſſem, aliter ſcripſiſſem. Vale Domine Giſberte. Monachij 19. Martij 1606.

CONSULTATIO XI.

STERILITAS, ET REMEDIA AD ILLAM TOLLENDAM.

PRO FOEMINA ILLUSTRI.

*

PRimò electuarium præſcriptum eſt, ſeu bolus duabus horis ante prandium ſumendus. quòd ut faciliùs fiat, nam amarus eſt, mel Roſatum ſimplex aut brodium Zinziberis ſuperfundi poterit. qui bolus ſi parùm purgaverit, altero die repetatur, & quòd ſi nec tunc officium fecerit, irritetur natura clyſmate domeſtico. bolus iſte eſt.

Bolus.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis* ℈ijß.
Aloës Soccotrinæ ℈j.
Specierum Eleſcophi ℈ß.
Cum *aqua Cinnamomi* fiat bolus.

Poſtea ſyrupus præparans abſtergens continuetur ad tres dies, manè unà cum juſculo diſſolutus hauriendus, ac ſi fieri poſſit, per horam ſomno inſuper indulgeatur.

Præparans.

R. *Mellis Roſati*,
Oxymellis ſimplicis ana ℥iij.
Miſce.
Dividantur in tres partes æquales, ad tres doſes.

Indè corpus expurgetur ſequenti potiuncula, quæ manè porrigetur, indulgendo deſuper per horam ſomno. quòd ſi corpus exin ſufficienter purgatum non videretur, poſt tres aut quatuor dies unà cum ſyrupis præcedentibus repeti poterit.

Purgans hauſtus.

R. *Agarici crudi inciſi & conquaſſati*,
Foliorum Senæ electæ ana ʒij.
Zinziberis,
Seminis Aniſi ana ʒj.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥iiij. ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua diſſolve

Mannæ ℥ij.
Pulveris Mechoäcæ optimæ & veræ ʒß.
Miſce.

Venæ ſectio.

Corpore ita expurgato, venæ ſaphenæ ſectionem in ambobus pedibus ſuadeo; inprimis verò, ſi venæ ſuperiores turgeant, hepaticæ quoque inciſionem. tandem ad vinum medicatum deveniendum.

Viuum medicatum purgans.

R. *Foliorum Senæ* ʒiß.
Agarici crudi inciſi & conquaſſati,
Radicis Mechoacæ craſsè pulveriſatæ ana ℥ß.
Zingiberis inciſi ʒiß.
Herbarum Pulegij,
Artemiſiæ,
Cardui benedicti,
Praſſij ana P j.
Corticum Citri inciſorum ʒijß.
Omnia excipiantur ſindone alba&fiat ſacculus.

Imponatur ſacculus in ollam vitreatam affundendo ℔iij. *vini albi boni.* ſtent in loco calido, vel etiam in aqua calida, horam unam; poſtea in cellam reponantur vinariam. doſis ſingulis diebus, præ-greſſo pauco juſculo, ℥v. vel ℥vj. tepidæ, mane horis quatuor ante

Vinum medicatum aquâ [illegible]inis di-

prandium; & ne caput indè tentetur, ſinguli hauſtus *aquæ Boraginis* quidpiam recipiant. poſtquam vinum hoc medicatum conſumptum eſt, ſuadeo, ut tantundem vini, ſacculo priori reaffundatur, & uti priùs ebibatur, ut corpus, quod purgatione indiget, probè evacuetur.

Tandem ad decoctum columbi cum ligno Saſſafras paratum deveniendum eſt, ita quidem.

R. *Ligni Saſſafras* optimi & electiſſimi limâ in pulverem craſſiorem redacti ℥iij. detur ad ſcatulam.

Decoctum columbi cum ligno Saſſafras.

Ponatur hic pulvis quantitate ʒß. vel ℈ij. unà cum columbo juniore in ollam vitreatam, affundendo menſuram unam ſeu libras tres *aquæ*, coquantur vaſe cooperto, lento igne, ad medietatis conſumptionem. Bibatur hoc decoctum duobus diebus, hoc eſt, ſingulis diebus pars dimidia, atque continuetur ſumptio juſculi iſtius ad tres ſeptimanas. ſi ſudor erumpat, feratur is tam diu, quàm diu naturæ non incommodat. interim ſi Domina Patiens manè poſt aſſumptum juſculum iterum dormire velit, rectè fecerit. Frigus porrò neceſſarium eſt, ut evitet, eo maximè tempore, quo pulveris ſeu decocti præſcripti eſt uſus. Cibi quales conveniant, aliàs à me enarratum eſt. Potus talis eſto.

Potus ordinarius ex Saſſafras

R. *Pulveris Saſſafras* modò dicti ʒij.
Imponantur in cantharum ſtanneum affundendo menſuras tres Monacenſes ſeu ℔ix.

medicina-

medicinales *aquæ*,vaſe benè cooperto,impona-
tur dein cantharus in aliud vas cupreum aquâ plenum,ita, ut cantharus,quantùm fieri poteſt, ſit immerſus. hinc calefiant omnia & ferveant quinque vel ſex horas, affundendo ſemper in vas majus aquam, ne deficiat, & cantharus immerſus ſufficienter maneat. quo facto, eximatur cantharus & aqua cocta percoletur per linteum aliquod, & frigefiat pro uſu.

Atque hæc aqua pro potu inſerviet ordinario, conceſſo tamen hauſtu vini. niſi forſan Dominæ Patienti conduceret & ferre poſſet, à vino abſtinere ex toto.

NB. *His aſſumptis, fœmina hæc gravida reddita & ſcitum puerulum peperit. ita ex notis ijſdem Mermanni.*

CONSULTATIO XII.

ABORTUS PRÆCAUTIO.

PRO

FOEMINA NOBILI.

*

Nobilis Vir &c. ad illa, quæ à me per modum conſilij petebantur,reſpondeo, eo prorſus modo, uti nuper coràm,pluribus diſſerui. quæ ſi forſan temeraria aut minùs conſueta apparebunt, aliis prudentibus Medicis proponi poterunt,atque illa demum ſeligi, quæ magis proficua, lectiſſimæ Vxori Dominationis Veſtræ futura videbuntur.

Primò certum eſt, & cuivis intuenti patet, venas lectiſſimam Vxorem habere magnas,& ſanguine refertas; qui tamen carni non admodum adponitur,partim ideo quòd forſan ab exterioribus membris ſufficienter non attrahitur, partim quòd ſubtilior, atque adeò ad nutritionē non aptus ſufficiēter in venis ſubſiſtat.Secundò ſolet etiam lectiſſima mulier menſtrua ordinatè& copioſè experiri.Quòd ſi igitur cōcipiat,& præcipuè, ſi hoc contingat,non adeò diu ante menſiū eruptionem,tunc retinetur in utero, jamiam ob conceptum ſemen occluſo,omnis ille ſanguis, qui copioſè ſatis inibi aliàs expurgari debebat. Fœtus autem, qui intra primas illas quatuor ſeptimanas vix aureum nuſnum pondere æquat, ad ſui augmentum tantâ ſanguinis copiâ minimè eget. Poſt quatuor denuo ſeptimanas menſtrua denuo ſupprimuntur, nec tum fœtus,qui vix pondere nummos aureos ſex æquabit, totum ſanguinem in ſui nutritionem conſumit; atque

Abortûs cauſa ſanguinis copia.

hoc & tertio menſe ita accidit &c. quocirca fit,ut non tantùm multum ſanguinis in corpore & venis,ſed etiam in utero cumuletur; qui poſtmodum forſan (ita certis de cauſis ſuſpicor) uterum gravat, ſollicitat,ac demum referat, unde & fœtus unà cum ſanguine immaturè effunditur. Eadem ſuperfluitatum & menſtruorum retentio, tot vomitus producit, unà cum inappetentia magna ad cibos præcipuè calidos,quâ Nobilis Fœmina vehementer affligitur: quippe cum venæ meſeraicæ,ipſúmque hepar ſanguine ſint impletæ,conſequens eſt, quòd alimentum, à ventriculo & inteſtinis ſubmiſſum,attrahere non poſſint; unde impuritates multæ circa ventriculum cumulantur, coctiones depravantur,appetitus ad cibos perditus & violentus ille vomitus excitatur; atque hæc de cauſis hujus affectûs mea eſt opinio.

Vomitus primis menſibus in gravidis.

Ex quibus Nobilis Dominatio Veſtra facilè conijciet, quid pro avertendis his malis profuturum ſit,nempe ſanguinis tempeſtiva miſſio. ac proinde ſuaſor ſum,ut Domina Conjux,licet quatuor tantùm ſeptimanis gravida ſit;mox, ubi inappetentia illa magna ſuccreſcit, venam hepaticam vel medianam (quæ ſcilicet magis conſpicua & ſanguine plena erit) in brachio dextro aperiri curet, ſanguine ad uncias ſeptem vel octo emiſſo; dummodo tamen vires hoc ferant aut ſanguinis miſſiones abſque formidine & animi deliquiis ferre poſſit: has enim ſi nimis horreat (quod equidem non ſperaverim) atque animo in iis linquatur,illas utique omittendas cenſeo, & negotium ſoli DEO relinquendum erit. Facta hac ſanguinis miſſione,ſi nauſea & violens vomitûs nondum ceſſerit, ipſaque inappetentia adhuc ſubſiſtat,elapſis quatuordecim diebus ad ſummum, denuo venæ ſectio in brachio ſiniſtro inſtituatur, ac tantundem ſanguinis, ſi vires ferant, emittatur. Hoc ſiquidem auxilium, licèt inconſuetum ac imperitis temerarium videatur,maximè profuturum ſperarem,in hac præcipuè fœmina,& corporis conſtitutione: neque enim talia fœminis promiſcuè proponenda ſunt, niſi illis duntaxat, quæ habita circumſtantiarum ratione ſuperiùs allata,facilè ferunt talia.

Repetita ſingulis menſibus venæ ſectio ab abortu præſervat.

Porrò emplaſtrum mitto corroborans quod lumbis impoſitum geſtare oportet: de electuario ſingulis manè, caſtaneæ magnitudine,accipiatur: oleo ſtomachum inungat quotidie manè antequam veſtiatur.Inſuper ab animi affectibus ſibi quàm maximè caveat, præcipuè à terrore, ab ira. Exercitia corporis vitentur, choréæ, inceſſus concitatior, montium aſcenſus, commotiones in curru nocent. A balneis abſtineat præcipuè donec medium geſtationis tempus tranſierit, ubi ſudorifera moderata permittuntur, humida verò, meritò denegantur.

Medicamenta purgantia noxia ſunt, quæ ſi fortè neceſſitas expoſtularet, lenia valde eſſe oportet, & non niſi à prudenti Medico præſcripta.

In alvi

In alvi conſtipatione nihil niſi juſcula herbacea, pruna cum ſaccharo cocta,paſſulas,& ſimilia ſecura remedia ſuadeo.

CONSULTATIO XIII.

ABORTUS PRÆSERVATIO.

PRO

ILLUSTRI FOEMINA.

Admodum Illuſtris Domina, Perilluſtris Domini N. N. Vxor, nuper octimeſtrem fœtum mortuum, alio verò partu hunc præcedente, viventem quidem, ſed extenuatum planè, miniméque ſuperſtitem enixa, remedia petit,quibus (favente DEO) à calamitate hac præſervari impoſterum queat: quæ priuſquam à me proponantur, cauſam mali hujus inveſtigandam omnino cenſeo, quâ non ſublatâ, ſolida non poteſt inſtitui curatio.

Cùm itaque indubitatum ſit,cauſam hanc vel ad matrem, vel ad uterum, vel ad fœtum ipſum eſſe referendam, quid hac de re mihi videatur, paucis explicabo. Arbitror ego, Illuſtrem Dominam à natura corpus probè temperatum obtinuiſſe, id quod habitus corporis moderatus,color faciei,quo ſani eſſe ſolent, ex rubro ſcilicet & albo commixtis,omniúmque ſignorum cordis ac jecoris calidioris, frigidiorísve abſentia, atque adeò inculpata illa ſanitas, facilè declarabat. Verùm cùm viro juncta quot annis peperiſſet, propter crebra puerperia,ac varia in vivendi ratione commiſſa errata, pituitâ repleri, ejúſq; tenacis ac glutinoſæ valde, copiam incredibilem ſputare, ac per alvum,levi aſſumpto medicamento,reijcere cœpit; in febrem quoque tertianam ſpuriam gravida incidit; atque ab aliquo tempore ſiticuloſior ſolitò,paulò liberiùs ad menſam bibere aſſuevit: quæ ſanè calorem nativum hebetatum ac imminutum, adſcititium verò auctum, hepate ſcilicet obſtructo ac impuritatibus referto,coarguunt. ſic ſentio de matre,hoc eſt de Dominæ corpore toto, quod ab ortu moderatâ temperaturâ præditum, ad nonnullam frigiditatem ſaltem privativam (ut loquuntur) inclinare jam, non ambigimus. Vterum verò dum à venoſo genere ſanguinem parciùs, obſtructis nempe vaſis,eúmque impurum,ſeroſum, atque ſubcrudum ſuſceptat, debilitari, ſufficientique calore deſtitui, rationi conſentaneum eſt. Mirum itaque videri non debet, fœtum alimento, quod ſatis eſſet, vel certè idoneo carentem, emaciatum ac tandem extinctum ab utero ante maturitatem fuiſſe excluſum. Abortûs cauſæ.

Hæc

Hæc cùm ita ſint,nullo jam negotio curativæ (quas Medici vo-cant) intentiones,ſeu opera in curatione hac præſtanda emergunt, ac ſeſe nobis offerunt. Primùm erit univerſum corpus ab excrementitijs, pituitoſisque potiſſimùm ſuccis probè repurgandum: deinde ventriculus atque uterus moderatè calefacientibus corroborandi; hic ut fœtum poſthàc,quamdiu opus fuerit,retineat; ille ut alimenta feliciùs concocta,jecori,primæ coctionis vitia haud correcturo, ſuppeditet; è quibus ſanguis purior tam corpori toto,quàm fœtui in utero rectè alendo aptior progignatur. Neque ſanè hæc ipſa conſequi, arduum valde fuerit, ſi modò animus Dominæ ſit (ut confido) rectis conſiliis patienti animo obtemperare.

Diæta neceſſaria.

Itaque perſuaſum illi ante omnia eſſe velim, quod Medici docent, réſque ipſa loquitur, remedia omnia, quantumvis præſtantia, ſupervacanea eſſe,niſi accurata victûs ratio ad ea accedat. quapropter monenda eſt,ut à cibis,qui pituitoſos ſeroſos atque impuros ſuccos præſtent,ſibi caveat: hujusmodi verò eſſe non ignoret maximam partem piſcium, ex carnibus anſerinas, anatinas, animalium item partes pinguiores; fructus horarios, braſſicam conditam; paſtilia, lacticinia, caſeum, legumina. His annumeretur potus copioſior, omniſque tam cibi quàm potionis ſatietas interdiu à ſomno, inter prandium & cœnam à cibo omni & potu abſtinendum. Alvi quoque magna ratio habenda; quæ ubi ſuo non fungeretur officio, adjuvanda: idque cum alijs auxilijs; tum verò potiſſimùm cibis emollientibus in prima menſa exhibitis, cujuſmodi ſunt Spinachia vocata, ac Beta cocta, paſſulæ, caricæ pingues, pruna Vngarica dulcia in aqua decocta, Saccharo atque interdum Manna ejus loco, inſciâ Dominâ, additâ, cum pauco Cinnamomo. Nonnunquam, ſed rariùs, foliorum Senæ Alexandrinæ ſelectorum ʒj. vel ʒij. linteolo excepta coqui cum prunis poterunt,pauco Zingibere &Cinnamomo adjectis: quæ pruna unà cum juſculo ſumpta non ſolùm inteſtina laxabunt, ſed è ventriculo quoque pituitam craſſam egregiè extergent. in eundem uſum interdum clyſteres parari poterunt familiares,ex jure carnium cum Saccharo rubro & butyro. proderit quoque Illuſtri Dominæ moderatum corporis exercitium, quod cibo in ventriculo jam concocto inſtituendum: à cibo enim neque labor illi, neque balneum ſine noxa unquam fuerit. de diæta hactenus.

Pruna Vngarica Saccharo vel Manna dulcorari poſſunt.

Accedo ad medicamenta; à quibus cùm Illuſtris Domina mirum in modum abhorreat,operâ dabimus,ut talia ipſi offerantur,quæ ſapore odoréque quàm minimè palato ejus diſpliceant, formulæ igitur,quas illi convenientiores fore confido,in hunc, qui ſequitur, modum ſe habent.

℞. *Specierum Hieræ ſimplicis Galeni ex Aloë optima recens diſpenſatæ* ʒiß.

Pulveris

Pulveris Senæ præparatæ montagnanæ ʒj.

Miſce & cum *aqua Cinnamomi* fiat bolus.

Qui nebulis involutus, affuſo modico *jure Zingiberis conditi*, vel *Syrupi conſervationis acidi Citri*, duabus horis ante prandium, aſſumatur. ſi parcior indè ſequatur evacuatio, inteſtina clyſtere eluantur, ex jure carnium parato, cum mellis Anthoſati, Sacchari rubri & olei Amygdalarum dulcium ana ℥ij. deinde quiete unius diei interpoſita

Apozema.

R. *Foliorum Senæ ſelectiſſimæ* ʒvj.
Herbarum Betonicæ,
Meliſſæ,
Boraginis ana Mj.
Florum Anthos,
Bugloſſi ana Mß.
Seminis Aniſi,
Fœniculi ana ℈ij.
Radicum Cichorij,
Fœniculi ana ʒiß.
Zinziberis ℈j.
Galangæ ℈ß.
Paſſularum ℥j.

Decoquantur l. a. in ℔iij. *aquæ Boraginis* ad ℔j. in hoc decocto poſt xij. horas colato dilue
Mellis Roſati,
Oxymellis ſimplicis ana ℥iij.

Miſce. fiat apozema in tres doſes partiendum.

Quarum ſingulæ, ſingulo manè, quinque horis ante prandium, offeratur, quieſcat Domina ab aſſumpta hac potione in lecto, vel unius horæ ſpatio dormiat. ſequenti die

R. *Mellis Roſati*,
Oxymellis ſimplicis ana ℥j.

Miſce.

Ex cochleari porrigenda, horâ ferè eâdem, ac poſtridie repetenda. his peractis, purgans hoc paretur.

Purgans.

R. *Agarici præparati* ʒiß.
Foliorum Senæ Alexandrinæ ſelectæ ʒiij.
Seminis Aniſi ʒj.
Zinziberis,
Radicis Liquiritiæ raſæ ana ℈j.
Paſſularum ℥ß.
Florum Boraginis,
Bugloſſi,
Anthos ana Pj.

Decoquantur in *aquæ Boraginis* ℥ix. ad conſumptionem dimidiæ partis, indè ſtent per noctem, manè
R. *Colati juris* ℥iiij. in his diſſolve
Mannæ ℥ij.
Rhabarbari electi pulveriſati & vino albo irrorati ʒj.
Miſce fiat potio.

Horâ quintâ matutinâ propinanda. Corpore hac vel non abſimili ratione exquiſitè evacuato (vel ſi ultima potio non ſatis evacuâſſe videatur præſenti Medico, illâ repetitâ) ad ventriculi uterique corroborationem coquatur ligni Saſſafras limati ʒß. in ℔j. juſculi pulli gallinacei vel columbini non ſaliti, mediâ parte abſumptâ, ſtent in loco calido tota nocte, manè offeratur, colatum jus calidum, horâ quintâ matutinâ, quieſcat in lecto, & ſi poteſt ſomnum rurſus ineat; ſudorem ſi ſponte is erumpet, non cohibeat, eum tamen vi nulla vel arte proliciat. In prandio vinum diluatur, tertia parte aquæ, cui Saſſafras hoc modo ſit incoctum. Accipe ligni Saſſafras limati ʒjß. affundantur aquæ fontis ℔iij. coque in duplici vaſe, ſeu balneo (quod vocant) Mariæ ſex horarum ſpatio, ubi refrixerint, colentur; aqua in vitreo vaſe uſui aſſervanda. dum hæc fiunt, quarto quoque die, electuarium è prunis meæ deſcriptionis ℥ij. in menſæ initio aſſumat. Tam prandium quàm cœna frugalis valde eſto, ex optimi ſucci ac facilis coctionis alimentis conſtans, potiſſimùm verò ex aviculis in dumetis & ſylvis degentibus, pullis gallinaceis ac columbinis, perdicibus, ac carne hœdina, aſſis potiùs quàm elixis. Huic curandi rationi, quam hoc ipſo ineuntis veris tempore auſpicari poterit, dies plùs minùs viginti conſultum foret inſiſtere. Eâ abſolutâ, ſi gravida non fuerit, meo conſilio, ſub finem Maij, vel non longè pòſt, ad ſalutis fontem vocatum, vulgò Hailbrun / qui itinere unius diei Monachio abeſt, proficiſcatur. eâ enim aquâ ritè, hoc eſt corpore rurſus evacuato, obſervatiſque obſervandis atque tunc præſcribendis, in lavatione ac potu uſurpatâ, tam uterum quàm ventriculum non mediocriter confirmatum experietur. Badenſes thermas, ab aliis propoſitas, uti equidem non improbo, ita hujuſce fontis aquas ceu ſecuriores, atque Illuſtri Dominæ vicinas, ſatiſque ad commemoratos ipſius affectus efficaces, cunctis aliis præfero. Quòd ſi verò vel ante lavationem, ex hoc vel alio fonte, vel eâ jam peractâ, gravida rurſus fiat, tunc idonea vivendi ratione inſtituta, roborantibus, tam topicis, quàm intra corpus exhiberi conſuetis, non ſine fructu utetur. cùm verò ingens horum ſit ſylva, duo quæ Illuſtri Dominæ accommodatiora exiſtimo, hîc deſcribam. primum ori ejus ſuaviſſimum haud dubiè futurum, ſic habetur.

Decoctum Saſſafras.

Thermæ Hailbrunenſes.

Thermæ Badenſes.

R. *Con-*

R. *Conſervæ Roſarum veteris* ℔ß.
Corticum extimorum (caro removenda) *Citri Sacchero conditorum & inciſorum* ℥iij.
Caryophyllorum inciſorum ʒij.
Specierum Aromaticarum Roſatarum,
Margaritarum præparatarum,
Raſuræ Eboris ana ʒj.
Juris Zingiberis conditi ℥j.
Miſce fiat electuarium inſtar opiatæ.

Electuarium confortans & præſervans ab abortu.

Doſis ſint ʒij. vel ʒiij. tribus horis ante prandium ſumendæ. Alterum eſt aqua illa celebris, multisque fœminis, Bavaricis præſertim, uſitata; quam vernaculo ſermone Kinder Balſam/ hoc eſt, puerorum balſamum appellant, quam, cùm compoſitio ejus operoſa admodum ſit, à Sereniſſima Duciſſa noſtra facilè obtinebo, mittam ad Illuſtrem Dominam unà cum ejus deſcriptione, rectóque uſu.

Inter localia placeret emplaſtrum, quod in metu abortûs, Princeps Mulier cum fructu geſtavit, dorſo adhibitum.

Emplaſtrum in metu abortûs.

R. *Gallarum*,
Balauſtiorum,
Nucum Cupreſſi,
Roſarum,
Myrtillorum,
Sanguinis Draconis ana ʒiß.
Hypociſtidis,
Thuris,
Corticum Granatorum,
Arantiorum ana ʒj.
Fiat pulvis ſubtiliſſimus.
Ladani diſſoluti in mortario calido ℥ß.
Terebinthinæ ʒij.
Ceræ ℥j.
Reſinæ ʒiij.
Miſce ex omnibus fiat emplaſtrum, ut artis eſt.

Hæc omnia, ut ad Illuſtris Dominæ valetudinem exoptatamque fœcunditatem cedant, faxit DEVS.

CONSULTATIO XIV.

FOETUS IN UTERO EMORTUUS, AC LENTE PUTREDINE TABIDUS, UNA CUM SECUNDINIS LENTE QUOQUE PUTRESCENTIBUS ET SUBSISTENTIBUS, EXCLUSUS.

IN NOBILI PUERPERA.

*

EX ſcripta informatione cognovi, quòd apud Nobilem Puerperam fœtus in utero priùs emortuus,& lentè tandem putredine tabidus excluſus fuerit, præcedente fluxu, ſeu hæmorrhagiâ aliquâ uteri multas ſeptimanas continuatâ; & cùm mentio facta fuerit, nec ſecundinas cum fœtu excluſas,ſed ex parte retentas manſiſſe, mirum non eſt, colluviem admodum fœtidam paulatim per uterum nunc excerni: quandoquidem ſecundinæ ob moram putrefactæ neceſſariò fœtorem induêre. Nec dubitandum, niſi carunculæ quoque unà cum humiditatibus apparuerint,vel adhuc ſucceſſivè evacuentur, bonam adhuc partem è ſecundinis nondum eſſe conſumptam. Quo in caſu neceſſariæ ſunt injectiones in uterum ſæpius repetitæ, quibus ille detergatur, & planè ab omni immunditie purgetur.

Injectiones in uterum.

℞. *Hordei integri cochlearia* ij.
Seminis Fœnugræci cochleare j.
Herbarum Malvæ,
Parietariæ ana Mj.
Agrimoniæ,
Abſinthij ana Mß.
Coquantur in menſura j. Monacenſi, ſeu ℔iij.
aquæ ad conſumptionem tertiæ partis, ad colaturæ ℥vj. adde
Mellis Roſati ℥j.
Miſce pro injectione ad uterum.

Hoc clyſma in uterum inijciatur è veſica, quâ aliàs clyſteres applicari ſolent ad partes poſteriores. Interea Domina Patiens linteis ſubſtratis, ſed paulò altiùs cum utero elevata decumbat, & bis in die hæc injectio repetatur, tam diu continuanda, quamdiu neceſſitas urgere videbitur; cavendo tamen, ne quid fiat nimis: ne ſcilicet ſanguinis puri fluxus excitetur: hoc enim ſi fieret, illico ab hiſce injectionibus foret abſtinendum.

Injectiones uterinæ quomodo recipiendæ.

Quod

Quod attinet ad cauſam interitûs, & corruptionis in utero fœtûs, ſemini virili adſcribi hæc noxa non poteſt. Nam cùm per ſemen conceptus ritè efformatus fuerit, dubitandum non eſt, malum hoc à ſanguinis materni impuritate proveniſſe, ob quam ille pro alimonia,& nutritione fœtûs inutilis ſit; unde conceptus in utero fœtus neceſſariò emoritur: haud aliter ac arbor marceſcit, ubi terra, cui implantata eſt arboris radix, bono & alibili ſucco deſtituitur.

In futurum ut Domina Patiens ab hiſce infortunijs præſervetur, ſuademus, ut ex conſilio alicujus prudentis Medici corpus benè expurgetur, diæta exactè inſtituatur. Inter purgantia ſequens potiuncula mihi arrideret.

Potio purgans

R. *Mannæ Calabrinæ* ℥ijß.
Diſſolve in *aqua Boraginis* q. ſ. adde
Rhabarbari electi pulveriſati, & aquâ Cinnamomi irrorati ℈iiij.
Miſce fiat potio.

DEVS Optimus Maximus hiſce præſidijs benedicat. Monachij. 5. Octobris. 1604.

CONSVLTATIO XV.

MAMMARUM DOLOR, AB IMPURO MELANCHOLICO SANGUINE.

PRO ILLUSTRISSIMA QUADAM FOEMINA.

✱

DOlor mammarum, quâ Illuſtriſſima Domina Patiens affligitur, ab impuro melancholico ſanguine oritur, qui paulatim coacervatus circa mammas, ſingulis menſibus,ob magnam,quam habent uteri, & mammarum venæ communionem,commovetur,dolorémque excitat. Huic malo,ne in pejus aliquod periculũ abeat, ut maturè ſuccurratur, ſuadeo, & diæta apprimè ſedula inſtituatur: in qua Illuſtriſſima Domina ab omnibus cibis craſſum fæculentum melancholicum ſuccum generantibus abſtinebit,præſertim verò carnes bubulas, carnes ſalitas,fumo induratas,cervinas,leporinas, piſa,lentes, fabas, caſeum, paſtilia, piſces ſale,muriâ vel fumo paratos, aſellos marinos, paſſeres, gambaros,limaces,tencas,carpiones &c.fugiat.Pro potu vinum bibat maturum,Neccaricum,cereviſia,aqua cruda, vinum dulce vel acre noxia

 ſunt.

ſunt. Animus hilaris ſit,fugiendo omnia, quæ cogitationes, & mentem turbant.

Medicamenta,quod attinet, nihil hoc tempore mammis adhibeatur,ſed interna potiùs malorum cauſa eradicetur: in quem finem ita ſentio. Singulis octo diebus ſemel potiunculâ expurgetur corpus,continuando hoc ad proximum uſque menſem Aprilis, in quo corpore priùs ritè expurgato decoctum Salſæ parillæ pro ſudore eliciendo, me ſuaſore, adhibebit. de quo ulteriùs requiſitus operam meam diligenter impendam.

CONSVLTATIO XVI.

CANCER MAMMILLÆ.

IN FOEMINA NOBILI.

*

Cauſæ carcinomatis.

Affectus mammæ dextræ, à quo iam longo tempore affligitur Nobilis Domina, alius non eſt quàm verus & confirmatus cancer,uti effectus ipſius,& ſymptomata clarè demonſtrant. Cauſam antecedentem judico ego fuiſſe complexionem ipſius Patientis valde melancholicam,atque retentionem parcámque purgationem menſtruorum. Eſtque hoc malum eò gravius, quoniam (uti intelligo) cancer ulceratus jam eſt. Dolores lateris oppoſiti in dorſo & brachio procedunt à ſimili humore melancholico, qui cumulatus in maſſa ſanguinea vagabundus per muſculos non reperit exitum. unde facilè intelligitur cura difficilis vel impoſſibilis, nam licèt mamma dextra poſſet curari; eſt tamen probabile,morbum poſtea occupaturum latus alterum & oppoſitum.

Cura principalis eſt palliativa & vitæ prolongatio; hæc meo judicio conſiſtit in eo,ut procuremus bonum ſanguinem, & reſiſtamus malignitati,acrimoniæ humoris peccantis,per exquiſitam diætam, & uſum ciborum boni ſucci, atque in ſpecie hordeati ſeu ptiſanæ, ſeptem aut octo horas coctæ, & poſtea colatæ, & de novo iterum cum brodio caponis ebullitæ; ex hoc cibo opus eſſet, ut ſingulis diebus biberet uncias aliquot, circiter octo vel decem, in principio prandij vel cœnæ. Placeret inſuper mihi pro medicina convenienti in hoc caſu ſerum lactis caprini, bibitum per tres aut quatuor ſeptimanas manè,pondere unius libræ aut paulò plus; poſtquam nimirum antea purgâſſet paucâ Senâ & Epithymo coctis cum ſuis correctivis in ſero lactis caprini, addito modico Mannæ & Syrupo de Rhabarbaro &c. Laudarem etiã,ſi dolor perſeveraret in dorſo,ut vena pedis aperiretur

Ptiſana.

Serum lactis.

ſupra pollicem, præterea ut fieret cauterium in pede ſiniſtro, infra genu, in parte ſylveſtri, uti mos eſt.

Quod ad localia, præferrem illa, quæ blandiendo magis prodeſſe poſſent, quale eſt unguentum Diapompholygos cum filamentis ad ulcus applicatum ex linteamine mundo decerptis: expertus ſum ego illa ad mitigandos dolores admodum profuiſſe etiam in cancro ulcerato. Verùm ſi opus eſſet majori abſterſione & minori refrigeratione, probari poſſet per intervalla unguentum ex Tabaco ſeu Pæto magiſtrale, cujus deſcriptio iſta eſt. Localia.

R. *Ceræ virgineæ,*
Reſinæ,
Olei Hyperici ana ℥iij.
Succi herbæ Pæti ℔jß. Unguentum ex Tabaco magiſtrale.

Bulliant lento igne, ſpatio trium horarum, poſtea colentur, colaturæ adde
Terebinthinæ Venetæ optimæ ℥iij.
Iterum bulliant per horam, deinde repone in vaſe vitreo.

Porrò placeret mihi inſuper, ſi dolor urgeret, aqua deſcripta magiſtralis, ſi nimirum linteolum illâ madidum ulceri ſuperimponeretur. aqua talis eſt.

R. *Stercoris bubuli* ℔iiij.
Herbarum Roberti,
Plantaginis, Aqua magiſtralis topica.
Sempervivi,
Hyoſcyami,
Portulacæ,
Lactucæ,
Endiviæ ana Mj.
Cancrorum fluviatilium N°. xij.
(Loco horum gambari noſtrates accipiantur)
Piſtentur omnia ſimul, & deſtillentur in alembico plumbeo, liquor ſervetur uſui.

Supra tumorem nondum ulceratum imponi poſſet plumbum ſubtiliſſimè tuſum emplaſtri inſtar, ſed pluribus & anguſtis foraminulis perforatum, remedium tantopere laudatum tum à veteribus tum modernis Authoribus. Et hoc eſt, quantum mihi in præſenti caſu ſcribendum occurrit, DEVS adſiſtat Nobili Matronæ in tam difficili & miſerabili affectu. Monachij 28. Junij. 1592. Plumbum tuſum.

Vide conſilium Lib.7. de Morbis externis & cutaneis.

CON-

CONSULTATIO XVII.

INSTRUCTIO AD THERMAS GRUMBACENSCES.

PRO

PRO VIRGINE NOBILI.

*

Quandoquidem Nobilis Virgo conſtituit, thermis uti Grumbacenſibus; neceſſarium omnino eſt, ut ante illarum uſum corpus ritè præparatum & expurgatum ſit, cæteroquin non ſine periculo thermas illas adhibebit: nam non ita dudum vidi, Virum Nobilem ex intempeſtivo iſtarum thermarum uſu in lethales contracturas incidiſſe. Mitto proinde medicamina aliquot; & primò pilulas quas devoret. ſecundò potionem digeſtivam tribus diebus continuandam. tertiò potiunculam purgantem. Quare peracta ſtatim ad thermas properabit, interpoſitis non amplius quàm duobus diebus. Mora in thermis primis diebus non erit longa, ſed aſcendendo paulatim in illis commorabitur, prout Dominationi Veſtræ notum eſt. Tria tamen ſunt, quæ monenda duco. Primum eſt, ne ſe debilitet diuturniori in thermis mora; ſatis eſt, ſi ad quinque horas aſcenderit & quindecim circiter dies continuârit, poſtea verò iterum declinet. Secundò ut frugale ſit prandium, thermásque ante horam tertiam pomeridianam non ingrediatur. Tertiò ut alvus lubrica ſit, in quem finem clyſmata, pilulæ &c. inſervient. Cæterùm potum paucum eſſe oportet, abſtineátque ab illo quantum fieri poteſt, aquâ coctâ ex Cinnamomo, Galanga & paucis Paſſulis loco vini ſubinde uti poterit. Pro ſiti Arantia dulcia, poma Granatorum dulcia faciant, acida uterum nimiùm videntur frigefacere &c. Monachij 5. April 1605.

Thermæ niſi ritè inſtituantur, nocent.

R. *Foliorum Senæ ſelectæ* ℥ß. ʒß.
Seminis Aniſi,
Zingiberis ana ʒj.
Paſſularum ℥j.
Radicum Cichorij ʒv.
Fæniculi ʒjß.
Liquiritiæ ʒj.
Foliorum Meliſſæ,
Agrimoniæ,
Praſſij,

Potio præparans & purgans.

Boraginis

Boraginis,
Capillorum Veneris,
Betonicæ *ana* Mß.
Decoquātur in ſ.q.*aquæ* ad ℔j. in colatura dilue
Syrupi è Betonica
Mellis Roſati,
Oxymellis ſimplicis *ana* ℥ij.
M. ad vaſculum pro potione digeſtiva, ad tres doſes.

Potio purgans.

R. *Agarici præparati* ʒjß.
Foliorum Senæ electæ ʒijß.
Zinziberis,
Seminis Aniſi *ana* ʒj.
Paſſularum ℥ß.
Decoquantur in *aquæ Boraginis* ℥vij, ad tertiæ partis conſumptionem, ſtent per noctem, manè factâ colaturâ,
R. ℥iijß. diſſolve
Mannæ ℥ij.
Electuarij Diaphœnici ʒij.
Miſce fiat potio purgans.

CONSULTATIO XVIII.

ALIA INSTRUCTIO AD THERMAS GRUMBACENSES PAULO FUSIOR.

PRO FOEMINA QVADAM NOBILI.

*

Primò cùm Dominatio Veſtra ad locum pervenerit, ac per medium vel integrum diem quieverit, aſſumere debebit præſcriptam potionem purgantem manè, ſequenti verò die balneum ſeu thermas inchoabit, hoc modo. In principio nec calidæ nimis ſint thermæ, nec corpus profundè immergatur: ſed in calore ac profunditate paulatim aſcendendum eſt, ita ut calor nunquam ſit nimius. Primo die, tres horæ quadrantes manè, ad veſperas mediam horam in thermis morabitur: Altero die manè quinque quadrantes horæ, & ad veſperas mediam horam cum quadrante. Tertio die manè duas horas, & veſperi ſeſ-

Calor thermarum ſit moderatus.

quihoram. Quarto die manè duas horas cum dimidia, veſperi horas duas. Quinto die manè horas tres, & veſperi horas duas, atque ſic poſtea per dies quatuordecim vel quindecim, ſi vires id permiſerint, continuabit; deſcendendo poſtmodum cum horarum quadrantibus,prout in augmento obſervatum fuit. Si vires tantum temporis balneationum non ferrent, moderatio pro rerum exigentia inſtituatur. Quòd ſi verò (hoc DEVS avertat) febris aut calor extraneus continuus Dominationem Veſtram invaderet, à thermis abſtinebit ex toto.

Tempus balneandi.

Porrò ſciendum eſt,ut manè Dominatio Veſtra jejuna ingrediatur thermas, niſi quòd ex præſcriptis morſellis unum devorare poſſit. elapſâ unâ horâ in thermis,ventriculo exiſtente debili, viribúsque id deſiderantibus juſculum gallinæ, aut ovum recens coctũ porrigi poterit.tempus inſeſſionis erit manè poſt exoneratam alvum & veſicam hora quinta vel ſexta,veſperi hora quarta. poſt egreſſum balnei lecto ſe committat Dominatio Veſtra,ac per horam quieſcat; ſi fortè ſudor erumperet, profuerit per horam aut ſaltem dimidiam ei indulgere, menſamque nunquam accedere, niſi priùs corpore benè deterſo,& ab omni fervore liberato. Menſtruis apparentibus, à thermis abſtinendum, donec periodum abſolverint. Item advertendum quàm maximè eſt, ut in prandio parcè comedat, nempe offam, pullum coctum aut columbulam, aut parvum fruſtum carnis junioris elixum, & bono brodio conditum : jejunij diebus piſorum juſculum, par ovorum recentium,paucos fundulos, vel unum aut alterum fruſtulum ex parvo lucio,pruna cocta in aqua & ſaccharo benè condita. Ante omnia neceſſarium eſt, ut alvus non ſit conſtipata, ad quem finem clyſmata ex brodio carnis,ſacchari rubri unciis duabus,olei olivarum unciis tribus,paucóque ſale confecta proderunt; vel ad idem inſerviet electuarium Diaprunis magiſtrale, ſi bonum ex illo cochleare ante menſam ſumpſerit ſuperbibendo juſculum. Finitâ mediâ curâ thermarum,ſuadeo equidem, ut per unum diem à thermis abſtineat, ac purgantem potiunculam illo die denuo ſumat, uti in principio factum eſt; niſi forſan alvi fluxus aliquis id prohiberet. Ad ſitim pellendam utile erit fruſtulum ex pomo Arantio dulci,aut Paſſulæ in aqua lotæ & maſticatæ, aut pauca Ceraſa acida condita, aut ſimilia. à frigore cavendum, nec aëri ſe committendum erit niſi congrua & optima tempeſtate. DEUS ſuâ gratiâ adſiſtat. Monachij 8.Maij. 1610.

Jejunè ad thermas accedendum.

Tempus inſesſionis.

Sudori indulgendum.

Parcè comedendum.

Alvus non ſit conſtipata.

Purgatio.

R. *Foliorum Senæ* ℥ß.
Zinziberis,
Seminis Aniſi ana ʒß.
Paſſularum ℥ß.
Prunorum dulcium N°. V.
Florum cordialium ana ℈j.

Deco-

Decoquantur in ſufficiente quantitate *aquæ* ad ℥ iiij, ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua diſſolve

Mannæ,

Mellis Roſati laxativi ana ℥ij.

Miſce; fiat potio ad vaſculum, paretur in duplo, & detur in duobus vaſculis.

R. *Electuarij Diaprunis Magiſtralis* ℔j.

Detur ad fictile & ſignetur ſuo nomine.

R. *Piſtachiorum* mundatorum & per ſex horas in *vino Malvatico* infuſorum,

Nucleorum Pineorum per tres horas in *aqua Roſarum* infuſorum ana ℥ij.

Corticum extimorum Citri Saccharo conditorum ʒx. incidantur minutim,

Conſervæ Roſarum ℥j.

Specierum Aromaticarum Roſatarum,

Caryophyllorum inciſorum ana ʒj.

Cum *Saccharo* in *aqua Roſarum* diſſoluto q ſ.

Fiant morſelli ad ſcatulam.

THOMÆ MERMANNI
CONSULTATIONUM ET RESPONSIONUM
LIBER SEPTIMUS.
DE
MALIS EXTERNIS ET CUTANEIS,
Nec non Articulorum Doloribus.

CONSULTATIO I.
SUDOR COPIOSUS POST SOMNUM.
PRO
CANCELLARIO QVODAM AMPLISSIMO.

CUm hiſce diebus à me petijſſet Magnificentia Tua, quid cauſæ eſſet, cur tam frequenter è corpore tuo toto, poſt ſomnum, ſudor copioſus effluere ſoleat? reſpondi loco magni Hippocratis, aphoriſmum recitavi, quem placet hîc repetere, ut Magnificentiæ Tuæ & ſudoris illius cauſam, & remedia ſimul in memoriam revocem. verba Hippocratis ſunt iſta: *Sudor multus ex ſomno factus, abſque cauſa manifeſta, corpus uti pluri cibo ſignificat: ſi verò cibum non accipienti hoc accidat, ſcire oportet, quòd evacuatione indiget.* 4. *Aphoriſmorum* 41. Qui cibi potúsque quotidie plus ſumunt, quàm in corporis nutrimentum indigeant, quámque à calore nativo, corporíſque exercitatione abſumatur, illis proculdubio humiditatis redundantiam in venis & arterijs colligi neceſſum eſt; quæ ſi peracta prima coctione, dum ſcilicet natura diſtributionem alimenti molitur, hoc eſt, poſt ſomnum ſudore largo ac ſpontaneo vacuetur, minùs quidem malum; attamen præter naturam eſt, curatúrque cibi potúsque ſubtractione ac temperantiâ, quæ omnino eſt imperanda. cùm verò à

Sudoris cauſa.

ſomno

ſomno multum ſudatur ſine manifeſta cauſa, qualis eſſe poteſt cubiculum, vel tegumentum calidum, aut medicamentum ſudorificum aſſumptum, tunc ſuccorum in corpore ſuperfluitatem, non ex recenti alimentorum copia enatam eſſe ſignificatur. Iſti cùm ferè inappetentes eſſe ſoleant, ſicuti Magnificentia Veſtra ſeſe eſſe conqueritur, non inediâ aut alimenti parcitate, ſed evacuatione curantur. multa autem evacuationum genera cùm præſcribere ſoleat Ars Medica, nimirum ſanguinis miſſionem, ventris ſubductionem, ſudores, provocationem urinæ, frictiones, complurésque alias, ego hoc loco, quæ mihi ex uſu præcipuè fore videntur, proponam. Evacuationes.

Omnium primò ventriculus blando medicamento abſtergatur, quale eſt iſtud

R. *Specierum Hieræ ſimplicis Galeni* ʒj.
Aloës lotæ ℈j.
Cum *aqua Cinnamomi* fiat bolus.
item
R. *Mellis Roſati ſimplicis* ℥jß.
Detur cum bolo nebulis obvoluto, duabus horis ante prandium.

Sequenti die niſi venter adhuc fluat, vena dextri brachij tundatur baſilica vocata, fluántque ſanguinis unciæ (plus minus) 7. vel 8. poſtridie venæ ſectionis paretur hæc potio.

R. *Mannæ* ℥ijß.
Diſſolvantur in *aqua Boraginis* qſ. adde *Rhabarbari electi* jam jam pulveriſati & *aquâ Cinnamomi* irrorati ℈iiij.

Miſce fiat hauſtus, poſt dies aliquot repetendus. quo ego ſudores incredibili copia fluentes finivi, quod ut Magnificentiæ Tuæ etiam eveniat, toto pectore exopto. Monachij 22. Octob. 1610.

NB. *Simili cura D. Fuggerus Auguſtæ fuit percuratus à Mermanno, ut ipſe mihi retulit, cùm à Medicis Auguſtanis nullis remedijs potuit curari. D. Braun in ſuis manuſcriptis.*

CONSULTATIO II.

PRURITUS CUTIS MOLESTUS.

IN

PERILLUSTRI MATRONA.

*

EX relatione ſcripto mihi facta intelligo, hepar olim uti & venas uteri valde obſtructas fuiſſe, nunc verò maſſam ſanguineam unà cum hepate impuram acrem

acrem & ſalſam evaſiſſe; unde pruritus ille cutis, de quo Perilluſtris Matrona potiſſimùm conqueritur, originem ſuam habet. Hic affectus ut tollatur, neceſſarium erit, jecoris totiúſque maſſæ ſanguineæ impuritatem tollere, illámque extra cutis poros potiſſimùm extrahere. atque hoc conſequi licet primò optima victûs ratione, ita inſtituta, ut Perilluſtris Patiens pauca ſed ſelecta comedat, varietatem ciborum in una eadémque menſa vitet, interdiu nihil aſſumat, brodio gallinæ aut caponis, hordeaceis, panatellis, ovis recentibus in juſculis diſſolutis & incoctis, prunis, paſſulis, ſelectis herbaceis, carne tenera pullorum, caponum, vino demum optimè lymphato aquâ, in qua panis infuſus, contenta ſit. Medicamenta quod attinet, licèt Perilluſtris Dominatio Veſtra multa hactenus ab aliis Medicis præſcripta remedia, ipſámque venæ ſectionem (quæ omnia probo) admiſerit, vix tamen ſine ulteriori eorundem uſu reſtitui poterit ad perfectam ſanitatem; quapropter præſcripſi ulteriùs aliqua, quæ ſequenti ordine in uſum venient.

Victûs ratio.

Primò electuarium purgans conſignatum eſt, quod nebulis involutum deglutiatur (& ſi placet ſuperfundatur cochleare unum alterúmve Mellis Roſati) horis duabus aut tribus ante prandium: medicamentum eſt mite, quod etſi non multum evacuet, Perilluſtris Dominatio Veſtra exin non erit ſollicita.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis,*
Aloës Roſatæ ana ʒß.
Specierum Eleſcophi grana vij.
Miſce & cum *aqua Boraginis* fiat bolus, nebulis involutus affuſo melle Roſato q. ſ.

Secundò potiuncula digeſtiva aſſumetur duobus ſucceſſivè diebus manè, qualibet ſcilicet die media pars; quâ aſſumptâ, iterum recenter fiat hæc potiuncula, alijsque duobus diebus continuetur, ita ut quatuor omnino dies in aſſumendo hoc digeſtivo Perilluſtris Domina Patiens pergat. ſingulis vicibus poſt illius aſſumptionem ſomno iterum indulgere poterit pro lubitu.

Apozema digeſtivum purgans.

R. *Radicum Cichorij recentis* ʒvj.
Polypodij querni ʒiij.
Liquiritiæ ʒj.
Zinziberis inciſi ʒß.
Seminis Aniſi ℈ij.
Foliorum Senæ electæ ʒß.
Herbarum Boraginis recentis,
Fumariæ ana Mj.
Agrimoniæ,
Capillorum Veneris ana Mß.
Paſſularum,

Tama-

Tamarindorum ana ℥ß.

Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥ix, ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua dilue

Syrupi è Fumaria ℥j.

è Capillis Veneris ℥ß.

Miſce fiat apozema ad duas doſes.

Tertiò, corpus ſequenti potione purgante evacuandum erit, quæ poſtquam manè fuerit aſſumpta, per horam ſomno iterū indulgeatur.

Potio purgans.

R. *Foliorum Senæ electæ* ʒiij.

Agarici præparati ʒjß.

Epithymi ʒj.

Seminis Aniſi ℈ij.

Zinziberis ʒj.

Paſſularum,

Tamarindorum ana ℥ß.

Florum cordialium ana Pj.

Decoquantur in *aquæ Boraginis* ℥viij. ad tertiæ partis conſumptionem, ſtent per noctem, manè fiat colatura ad ℥iiij, in qua diſſolve

Mannæ ℥ij.

Electuarij Diaphœnici ʒii.

Miſce fiat potio.

Venæ ſectio.

Cæterùm libenter vidiſſem, ut Perilluſtris Dominatio Veſtra adhuc ſemel venam hepaticam poſt haſce purgationes ſecari permiſiſſet, ſanguine pro viribus emiſſo: neque enim crediderim, nuperam venæ ſectionem adeò largam fuiſſe, ut non niſi cum virium jactura hæc nova venæ ſectio poſſit repeti.

Balneum aquæ dulcis.

Quòd ſi, his ita adminiſtratis, pruritus cutis adhuc perſiſtat, balneum conſulo aquæ dulcis, in quod ingrediatur, poſtquam corpus priùs in loco convenienti calefacto incaluerit, ita ut jamjam ſudare incipiat. ſudore apparente unguentum ſingulis partibus pruritu vexatis affricetur, quantum una alterâve vola manûs capit; partibus tamen illis, manu priùs ſola, leniter perfricatis. unguentum tale eſt.

Unguentum.

R. *Lupinorum* ℔j.

Sulphuris vivi ℥iiij.

Fiat pulvis, lixivij dulcis dein affundatur q. ſ. fiátque inſtar pulticulæ.

corpore ita inuncto, balneum ingrediatur, ſeſéque totam immergat aquæ, moderatè admodum calefactæ; ita tamen, ne etiam frigus patiatur. in eo perſiſtat horam unam ſingulis diebus & dimidiam, continuétque hanc curam aliquamdiu. Interea alvus ut aperta ſit neceſſum eſt, idcirco ſacculum medicatum ordinavi in menſuram unam vini Neccarici infundendum; de quo in principiô menſæ hauſtus fieri poteſt, addita ſemper quarta parte aquæ Endiviæ.

R. *Folio-*

Vinum medicatum purgans

R. *Foliorum Senæ electæ* ℥jß.
Radicum Cichorij recentis ʒvj.
Zinziberis inciſi ʒj.
Florum cordialium ana ℈j.
Comæ Abſinthij ℈ß.
Excipiantur ſindone rubra.

Atque hæc in præſenti occurrêre, &c. 10. Maij 1611. Monachij.

CONSULTATIO III.

PRVRITVS ANTIQVUS CVM SCABIE SICCA PERMOLESTA.

PRO

ADMODVM REVERENDO DOMINO ABBATE.

ADmodum Reverendus Dominus Abbas, annorum circiter 35, habitûs corporis admodum gracilis, & ſtaturâ ſatis procerâ, laborat antiquo pruritu cutis, in toto ferè corpore cum ſcabie ſicca, & permoleſta. Ad cujus depulſionem ſuadeo, ut corpus priùs benè evacuetur medicamento mox præſcribendo, indè phlebotomia celebretur in ſiniſtri brachij vena Baſilica (in dextro enim jam miſſus fuit ſanguis) ad ℥v. vel vi.

R. *Foliorum Senæ Alexandrinæ electæ* ℥j. ʒj.
Epithymi,
Radicum Polypodij querni ana ʒiiij.
Agarici trochiſcati ʒjß.
Liquiritiæ raſæ,
Seminis Aniſi ana ʒjß.
Paſſularum ℥j.
Florum cordialium ana ℈j.
Cinnamomi,
Zinziberis ana ʒj.

Apozema purgans ſanguinem, & mundificans.

Omnia coquantur in ſ. q. *aquæ Boraginis* ad ℥xviij, quieſcant in loco calido per noctem, manè colentur, cum nulla vel pauca expreſſione, in colatura, quæ ſit ℥xv, infunde
Rhabarbari electi & à ſordibus omnibus probè repurgati, ac deinde pulveriſati & vino albo irrorati ʒiij.
Spicæ,
Schœnanthos ana grana ix.

Stent

Stent in loco tepido ; tota nocte, manè exprimantur, & in colatura dilue *ſyrupi è ſucco Boraginis*, *Fumariæ* ana ℥j. ʒj. miſce ad vaſculum pro tribus vicibus.

Corpore ſic evacuato ; ad ſerum lactis caprilli deveniendum cenſeo, ad dies 40. plùs minùs potum. cujus primo die aſſumet ℥viij. circitèr, altero ℥xij. tertio ℥xvj. atque in hac doſi perſeverabit, & quotidie aſſumat, niſi alvus indè nimiùm fluat: tunc enim mora aliqua interponenda. Serum lactis.

Veſperi autem infundatur ſero aliquid Fumariæ recentis, & Cochleariæ, item Sacchari, manè ſemel ebulliant, ac dein benè percolatum ſerum offeratur. Interim ſi ſerum non moveat alvum, de præſcripto electuario horâ unâ ante prandium ab ℥j. uſque ad ℥ij. ſumat. atque in his remediis perſiſtat, donec de lavatione ex fonte S. Petri certè aliquid ſtatuatur, quem ego vehementer ſuadeo. electuarium hoc eſt. Electuarium laxans paſſulatum.

℞. *Radicum Polypodij querni*,
Boraginis ana ℥ß.
Liquiritiæ raſæ ʒj.
Florum cordialium ana P ij.
Foliorum Senæ ſelectæ ℥ijß.
Corticum Myrobalanorum citrinarum ana ʒij.
Zinziberis ʒj.
Santali citrini,
Macis,
Nucis Moſchatæ ana ℈ij.

Omnia coquantur in ſ. q. *aquæ Boraginis* ad medietatis conſumptionem ; poſt horas 8. vel 10. colentur ſine expreſſione ; in colaturą, quæ ſit ℔j. infunde
Rhabarbari electi pulveriſati & vino albo irrorati ℥ß.
Cinnamomi acuti pulveriſati ℈j.

Stent per noctam, manè fiat colatura cum expreſſione valida, cui adde
Pulpæ Paſſularum extractæ cum vino albo ℥ijß.
Conſervæ Roſarum Damaſcenarum ℥ij.
Sacchari albiſſimi ℥iß.

Coquantur ad formam opiatæ.

CONSVLTATIO IV.

PRVRITVS INGENS FEMORIS, TALORUM AC PLANTARUMPE-DVM,VOLARVMQVE MANVVM,SALSO HUMORE INSTAR SUDORIS POST FRI-CTIONEM EFFLUENTE.

De propoſito caſu ita ſentio: corpus ſcilicet iſtud ſcatere ſuccis impuris,ſubinde ſuccreſcentibus, præcipuè verò ſeroſis ac melancholicis, qui à primarijs viſceribus in cutem impulſi, pruritum, ac cutaneum iſtum affe-ctum permoleſtum ſalſedine ſua acri,ac rodente progignant, præter hepatis verò intemperiem, multámque impuritatem a vi ſanguifica non mediocriter oblæſa quotidie renaſcentem; lienem quoque vitio non carere,rationi conſentaneum eſt,quin imò,ſi totius mali fontem viſcus hoc ſtatuam, haud ſanè peccem. Scribitur frictionem partium comitari humorem quendam ſalſum inſtar ſudoris fluentem; qui ſanè morbum arguit melancholicum; cùm nemo vel mediocriter in doctrina Hippocratica verſatus ignoret, ſpleneticos, ac melancholicos magnâ ſeri copiâ abundare: atteſtatur huic conjecturæ vitij diuturnitas,ac pertinacia,nullis cedens remediis hactenus rectè adhibitis. Verùm ut ut ſit,liquidò conſtat, in hanc curam ſedulò eſſe incumbendum, ut ſanguis totius venoſi generis ab impuris ſalſis & acribus humoribus repurgetur,quod cùm hactenus ſudoriferis non ſucceſſerit, ego per aliam viam id moliendum, per alvum ſcilicet,exiſtimo; perſuaſum habens viſceribus probè vacuatis, & roboratis,expeditiſque obſtructionibus, cauſæ morbificæ haud parùm detractum iri; cùm experientiâ didicerim, longas ac pertinaces cutis fœditates,hac medendi methodo feliciſſimè profligari.

Lien cauſa principalis.

Melancholici ſero abundant.

Formula verò,quâ ego, corpore toto priùs evacuato, felici cum ſucceſſu,uti ſoleo,hunc vel ſimilem in modum ſe habet.

Pulvis laxans, ſanguinem mundificans.

℞. *Radicum Salſæ parillia* ℥iij.
Foliorum Senæ ſelectæ ſine ſtipitibus ℥iß.
Zinziberis,
Macis,
Caryophyllorum ana ʒj.
Corticum Tamariſci ʒij.
Omnia pulveriſentur ſeorſim, deinde miſceantur,doſis ſit ʒj, vel ℈iiij, ex juſculo calido, quatuor horis ante prandium,quotidie, vel ſi ventrem largiùs ciat,die uno interpoſito.

Pulvis

Pulvis hic, quæ ſuperiùs ſunt ſcripta, egregiè præſtát, poteritque hoc anni tempore eſſe ex uſu, præmiſſa tamen ad corporis præparationem ſufficienti ac debita evacuatione, cum prudenti conſilio domeſtici Medici inſtituta; cujus ſi formulæ, quæ mihi probatæ ſunt, requirantur, eas quoque hîc ſubijcere non gravabor.

Ad primam corporis aream expurgandam, minorativum vocatum tale eſſe poterit.

R. *Electuarij Diacatholiconis* ℥j.
Diſſolve in *aquæ Boraginis* ℥iiijß.
Miſce fiat potio.

Huic apozema, quod ſequitur, ſuccedet.

Apozema ſanguinem purificans.

R. *Radicum Cichorij* ʒvj.
Bugloſſi,
Polypodij ana ʒiij.
Liquiritiæ ʒj.
Foliorum Senæ ſelectæ,
Epithymi ana ʒij.
Herbarum Fumariæ,
Boraginis,
Lupulorum ana Mjß.
Seminis Aniſi,
Zinziberis ana ʒß.
Paſſularum ʒx.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ fontis* ad tertiæ partis conſumptionem, ſtent per noctem, manè colentur, de colatura
R. ℥xij. in quibus dilue
Syrupi de Fumaria,
de Boragine,
de Lupulis ana ℥ij.
Miſce; fiat potio ad tres doſes,

tribus diebus continuis, ſummo manè aſſumenda, ut ſomnus iniri rurſus poſſit; deinde tale purgans offeratur.

Potio purgans ſeroſos, melancholicos, aduſtos humores.

R. *Foliorum Senæ ſelectæ,*
Agarici optimi,
Radicum Polypodij ana ʒjß.
Epithymi ʒj.
Zinziberis ʒß.
Radicum Cichorij ʒvj.
Florum Boraginis,
Bugloſſi ana Pj.
Paſſularum ʒvj.
Decoquátur in *aquæ fontis* ℥viij. ad tertiæ partis

conſumptionem; ſtent per noctem, manè fiat colatura, de qua

℞. ℥iijß. in his diſſolve

Mannæ ℥iß.

Confectionis Hamech ʒjß. vel ʒij.

Pulveris Rhabarbari electi & vino albo irro- rati ʒj.

Miſce fiat potio.

Hiſce, vel ſimilibus uſurpatis, ſi ſatis vacuatum corpus præſenti Medico videatur, ad pulveris ſuperiùs deſcripti uſum veniatur, à quo DEO adjuvante fructum non exiguum deportabit, dummodo accurata vivendi ratio accedat, quam ægroto benè cognitam & perſpectam eſſe non dubito, ac proinde de ea verba facere, ſupervacaneum eſſe exiſtimo.

Aqua ex radice Bugloſſi decocta pro diluendo Vino.

In potu, qui parcus eſſe debet, placeret vinum album probè defæcatum, aquâ, cui radices Bugloſſi incoctæ ſunt, dilutum.

De venæ ſectione nihil ſcribo, quòd eam non prætermiſſam eſſe confidam. In topicis auxilijs placeret, ut partibus pruriginoſis iſtud adhiberetur unguentum.

Unguentum ad pruritum.

℞. *Pinguedinis porcinæ recentis non ſalitæ* ℥iij.

Sulphuris vivi in pulverem tenuiſſimum redacti ʒx.

Pulveris radicis Helenij,

Zinziberis ana ʒj.

Succi Limonum crudorum,

Vini malvatici ana ℥ß.

Hæc omnia ritè uſurpata, ſi extirpare vitium ex toto nequeant, ineunte Vere convenientiſſimè repetentur. atque ſi ne tum quidem ceſſerit malum, de aquis medicatis naturalibus cogitandum erit. Monachij 14. Novembris 1601.

CONSULTATIO V.

SCABIES ET PRVRITVS.

IN

VIRO NOBILISSIMO.

Ad Medicum Collegam.

SAlutem plurimam Clariſſime Domine Collega. Nobiliſſimi noſtri Patientis lavatio eam efficaciam non habet, neque eum fructum affert, quem cum Domino Patiente omnes & optabamus & ſperabamus: pruritu

enim

enim ſuo adhuc, ut ſolebat, divexatur vehementer; atque uſque adeò, ut topica aliqua, quibus moleſtia hæc pellatur, efflagitet. De cætero valet, cibum appetit & concoquit, dormítque ſatis. Excreta alvi deponit naturalia; urinas valde coctas, ſed paulò coloratiores & aduſtionibus plenas. Cauſam contumacioris pruritus in humorum ſeroſorum copiam, quâ corpus ſcatet, quæque unicâ purgatiunculâ vacuari non potuit, refero. huc accedit victus liberalior, ac ferculorum illa aulis conſueta varietas: venæ turgent valde, oculi rubent: jam triduum eſt, quòd cucurbitulis admotis aliquid ſanguinis rurſus ſubtraximus. Verùm cùm parùm proficiamus, in eam venio ſententiam, humores falſos meliùs adhuc repurgandos, repetitáque venæ ſectione ſed pauca, ad topica, atque adeò ad Terebinthinam & momentum Sulphuris, quod (teſte Galeno) hoc genus affectuum cutaneorum extergit, abſque hoc quòd in profundum repellat, perveniendum. placeret autem exempli gratiâ, quod in hunc ferè modum eſſet paratum.

Unguentum ex Terebinthina pro ſcabioſis

R. *Terebinthinæ Venetæ lotæ* ℥iij.
Sulphuris vivi ʒj.
Olei Roſati,
Pinguedinis caponis ana ℥ß.
Miſce & ducatur in mortario lapideo.

Simili linimento, ubi vacuationes prædictæ præceſſiſſent, partes ſcabie & pruritu affectæ in laconico rectè defricarentur. nihil vel ſalis vel ſucci limonis addendum cenſeo, ne dolor, cute ſcalpendo penè ulcerata, excitetur. Cæterùm de his ſuam expeto ſententiam. Landishuti 14. Octobris 1588.

CONSULTATIO VI.

SCABIES SICCA ET PRURITUS.

PRO

REVERENDO QVODAM PATRE RELIGIOSO.

Quæritur utrùm in pruritu & ſcabie ſicca, qua Reverendus Pater Julius N. in toto ferè corpore affligitur, cum ulcuſculis in utroque pede admodum dolorificis, Piperinæ vocatæ thermæ, an acidulus fons ex uſu fore videatur? qua de re ut ſententiam meam paucis exponam; primum tanquam certum & indubitatum ſumo: Reverendum Patrem inſigni quâdam cacochymiâ circa viſcera collectâ, nec non copioſis ſeroſitatibus in venoſo genere contentis laborare, atque idcirco exquiſitam horum humorum ritè priùs præparatorum per convenientes vias eva-

Evacuationes neceſſariæ.

evacuationem inſtituendam, totámque maſſam ſanguinis acriorem, ac ſalſuginoſa qualitate infectam, contemperandam eſſe. Evacuatio vitioſorùm ſuccorum, qui circa hepatis cavam partem collecti ſunt, per alvum fiet convenientiſſimè. Remediorum formulæ quæ mihi hoc loco inprimis probantur, in ſcheda ſeorſim ſunt deſcriptæ, quas Doctiſſimus Medicus præſes mutare, ubi videbitur, liberè poterit.

Sanguinis miſſio.

Expurgata viſcerum impuritate, miſsóque ex vena baſilica dextri brachij ſanguine, vel reſeratis, ſi appareant, per admotas hirudines hæmorrhoidibus, ſeroſitates per univerſum corporis habitum diſtributas, cutímque exulcerantes, ſudore excludi abſumíque poſſe commodè exiſtimo.

Decoctum Chinæ cum Saſſafras.

Porrectò in hunc uſum manè iuſculo pulli gallinacei vel columbini, cui aliquid radicis Chinæ & ligni Saſſafras veſperi incoctum ſit, ac tota nocte infuſum. doſis Chinæ ſint ℈ij. & ligni Saſſafras ℈j. juſculi ℔j. fiat coctio ad dimidiæ partis conſumptionem, colatum jus manè exhibendum, ac quotidie renovandum. Hæc medicandi ratio, ſi feliciter ſuccedat, ad dies (plùs minùs) viginti protrahatur, ita tamen ut (niſi venter plùs ſatis fluat) quarto quoque die in prima menſa ℥ij. vel paulò plus electuarij è paſſulis in ſcheda notati ſumantur.

Ad menſam me auctore bibendum vinum tertiâ vel quarta parte aquæ, in qua parum ſolius Saſſafras ebullierit, dilutum.

Acidulæ in potu & lavatione.

Occaſio hiſce remedijs utendi jam præſens eſt, menſe dein Majo Reverendus Pater ad acidulas aquas ſe conferat, quibus in potu juſta quantitate uſurpatis, ventriculus roborabitur; per lavationem verò pruritus tolletur, ac fortè ulcera quoque ſanabuntur, ita ut thermis opus minimè ſit futurum. Interim verò cauteria claudi ne permittantur. Porrò per totum annum medicamento aliquo familiari ac domeſtico ex intervallo 20. vel 30. dierum aſſumpto, humorum, qui ſubinde ex vitioſa coctione ſuccreſcunt, coacervatio præcavenda. DEVS Optimus Maximus gratiâ ſuâ & auxilio cœleſti adeſſe nobis dignetur. Monachij die 10. Martij. Anno 1593.

De fontis acidi uſu ſic ſentio, nimirum præparato per exquiſitas evacuationes corpore, aquæ hujus ad dies 12. vel 15. (plùs minùs) ante lavationem manè potandas ab ℥viij. ad ℥xxxij. aſcendendo, ac deinde rurſus ad ℥viij. deſcendendo. poſtmodum ad lavationem perveniendum, & in potu octo unciarum manè perſeverandum. Eandem verò rationem hiſce aquis utendi & Reverendo Patri Henrico N. accommodatam fore exiſtimo, ut ſpero.

CON-

CONSULTATIO VII.

SCABIES ET PRURITUS.

PRO
FOEMINA QUADAM HONESTA.

*

POſtquam honeſta fœmina ab ardore quodam diuturno in regione hepatis liberata fuit, quem ore ac faucibus etiam moleſtè perſenſerat, nunc de ſcabie corporis & pruritu conqueritur, unà cum ulcuſculis in ambabus mammis. Hæc mala, ut maturè pellantur, prægreſſa corporis evacuatione univerſali, aquas ſuadeo acidas Bruzenſes, tali ordine aſſumendas.

Quandoquidem Domina Patiens hìc Monachij in brachio ſanguinem miſit, conſulo, ut modò domi quàm primùm in pede ſiniſtro etiam ſanguinem mittat, nempe è vena ſaphena, pridie verò unciam unam ſemis aſſumat de electuario meo Diaprunis, horàm unam ante prandium, ſuperbibendo mox ſcutellam unam brodij. poſt hæc die uno quieti dato, potiones digeſtivæ tribus diebus continuis (niſi urgente neceſſitate aliquando intermitti debeant) manè calidè, ſuperdormiendo quantùm lubet, hauriantur.

R. *Herbarum Cichorij cum radicibus recentis*, Apozema digeſtivum in ſcabie.
Boraginis,
Bugloſsi,
Fumariæ ana Mj.
Radicum Bugloſſi,
Polypodij querni ana ℥ij.
Foliorum Senæ electæ ℥j.
Seminis Aniſi,
Zinziberis inciſi ana ʒj.
Paſſularum,
Pulpæ Tamarindorum ana ℥vj.
Florum cordialium ana Pj.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℔j. poſt ſex horas fiat colatura, in qua dilue
Syrupi è Fumaria,
Boraginis,
Mellis Roſati ana ℥ij.
Miſce; fiat apozema ad tres doſes.

Hiſce ita per triduum continuatis, atque denuò die uno per quietem interpoſito, potio purgans accipiatur ſomno per horam in-

ſuper

ſuper indulgendo; purgatione aliquoties facta, brodium carnis macrum vel piſorum hauriatur.

Potio purgans humores aduſtos.

℞. *Agarici albiſſimi crudi inciſ. & conquaſſati* ℈iiij.
Salis gemmæ grana v.
Zinziberis inciſi ℈j.
Macis ℈ß.
Foliorum Senæ electæ ʒijß.
Radicis Turpethi albi & gummoſi craſsè pulveriſati,
Seminis Aniſi ana ʒß.
Paſſularum,
Pulpæ Tamarindorum ana ʒij.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥iiij; ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua diſſolve
Mannæ,
Mellis Roſati laxativi ana ℥iß.
Confectionis Hamech ʒij.
Miſce fiat potio ſumenda in aurora.

Acidulæ deiectoriæ.

Corpore expurgato ad acidulas tranſeundum erit, ita tamen, ut primis tribus diebus,ſemper primis vitris miſceatur quantitas aliqua mellis Roſati laxativi. indè libram unam ſemis acidularum non excedat, continuando tamen per dies viginti quinque. Tempore, quamdiu menſes fluunt, acidulæ intermittendæ ſunt; habendaque ratio erit alvi conſtipatæ toto curationis tempore; cui Diaprunis meum magiſtrale medebitur. Atque hæc ſunt, quæ mòdò conſulenda mihi videbantur; quòd ſi hâc peractâ curâ, ſcabies unà cum pruritu ulteriùs honeſtam fœminam affligant, de alijs remedijs cogitabo. Monachij 23. Aprilis. 1611.

CONSULTATIO VIII.

SCABIES.

PRO

ILLUSTRISSIMO DOMINO COMITE.

Ad Amicum Medicum.

AD Perilluſtris Domini Comitis moleſtam ac diuturnam ſcabiem, quam ferre ſe diutiùs poſſe negat, hæc quæ ſequuntur propono auxilia, præter victûs rationem idoneam. Primum eſt, hæc potiuncula alvum ducens.

℞. *Foliorum*

Potiuncula purgans.

R. *Foliorum Senæ ſelectæ* ℥ß.
Zinziberis,
Seminum Aniſi ana ʒß.
Pulpæ Tamarindorum,
Paſſularum ana ʒiij.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥iiij. poſt 10. horas colentur, in colatura diſſolve
Mannæ ℥ij. ʒij.
Oxymellis ſimplicis ʒvj.

Si ſanguis hoc Vere juſtâ copiâ, paulò nempe largior miſſus non eſt, repeti planè debet ad ℥vj. vel ℥viij, ſectâ ſiniſtri brachij venâ baſilicâ. Indè corpus ampliùs vacuetur tali apozemate.

Apozema.

R. *Foliorum Senæ ſelectæ* ℥iß.
Radicum Cichorij ʒvj.
Polypodij querni ʒv.
Epithymi ℥ij.
Herbarum Boraginis,
Fumariæ ana Mj.
Seminis Aniſi ʒiß.
Zinziberis,
Macis,
Cinnamomi ana ℈j.
Paſſularum ℥j.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥xv. poſt 12. horas colentur, in colatura dilue
Syrupi è Boragine,
Endivia,
Fumariæ ana ℥j.
Fiat apozema ad 3. doſes, tribus alternis diebus porrigendas.

His peractis ad ſanandam ſcabiem procedat, cui rei inſerviet, quod paulò pòſt ſequetur ſmegma, quo in laconico partes ſcabioſæ defricentur, dum ſudor blandè elicitur, & poſt mediam horulam in balneo aquę dulcis lavet, manè jejuno ventre, cavendo frigus & ventum; ſatis autem fuerit ſemel duntaxat uno die laviſſe, ſudationem in laconico quinquies vel ſexies nec ulteriùs inſtituiſſe, arbitror. Smegma tale eſt.

Smegma ad ſcabiem.

R. *Farinæ Lupinorum* ℥iiij.
Sulphuris vivi præparati ℥ij.
Miſce cum lixivio dulci, fiat ſmegma, inſtar pulticulæ.

Egreſſus ex lavacro, ſcabiem inungat hoc unguento.

Unguentum ad idem.

R. *Radicis Enulæ campanæ* ſubtiliſſimè pulveriſatæ & cribellatæ ℥j.

Axungiæ porcinæ ℥iiij.
Salis communis pulveriſati ℈iiij.
Miſce & leviter ebulliant, una vel altera ebullitione.

Si ſcabies non ſanetur indè, addatur aliquid *Sulphuris vivi*, quod omnes penè cutis affectus curare nemo neſcit. Vale, à méque omnia ſinceri animi officia tibi perpetuò pollicére. Monachij XII. Calendas Julij 1609.

CONSULTATIO IX.

MENTI SCABIES ASPERA, CRUSTOSA, PRURIGINOSA, FACIEM QUOQVE OCCUPANS.

PRO PUERO NOBILI.

Morbus filioli tui ſine dubio in catalogum affectionum cutanearum referendus eſt, ad quas verò ſpecies ille referri propriè poſſit, non omnium forſan apud Medicos eadem erit opinio. Galenus Lib. 5. de Compoſitione Pharmacorum Secundùm Locos Cap. 5. affectum iſtum naturalibus ſuis coloribus depingit; *Hæc affectio*, inquit, *ex miſto quodam generatur humore, ſeroſis nimirum ac tenuibus, & acribus ſuccis cum craſſis permiſtis, quapropter & facilè in pſoram tranſit*: Capite ſequenti idem Galenus hæc addit: *Hoc eruptionum ſive, ut Græci dicunt, exanthematum nomen, quidam in communi uſurpant de affectionibus videlicet ulceroſis & aſperis in mento ſua ſponte provenientibus.* hæc Galenus *locis citatis*. Quæ ſanè omnia in præſenti caſu ſeſe oſtendunt; nam malum hoc non ab extrinſeco, aut per externum errorem ſeu cauſam procatarcticam, ſed ſponte enatum eſt. Itaque cùm affectus hic diuturnus ab acri bilioſo & ſalſo ſanguine dependeat, facilè apparet; in victûs primùm ratione illos cibos potúmque porrigendum eſſe, qui corpori ſanguinem purum, dulcem pro ejusdem nutritione adferant: quapropter caro, piſces ſale conditi, cibi ex aromate parati, allium, cepæ, raphanus, ſynapium, olus acidum, caro ſuilla, fumóque indurata, aſellus marinus, halex, paſſeres, gambari, lenticula, faba, fructus horarij crudi, caſeus prohibentur. funduli verò, lucij parvi, trutæ, thymali, cremor hordei, ſpinacia, Borago, pruna dulcia in aqua cum ſaccharo cocta, pyra, poma medij ſaporis cocta, item ceraſa acida pauca & benè matura conceduntur. Pro potu ordinario inſerviet aqua, in

Scabies quæ in pſoram facilè tranſeat?

Victûs ratio.

qua

qua panis ſiligineus bis coctus fuerit infuſus, ita ut aqua aureum colorem contraxerit. vinum, cerevifia, aqua cruda, mulſa incommoda ſunt. Nocent quoque aër frigidior, hypocauſta fervida, ſub ſole diuturnior mora, exercitium omne mox poſt menſam factum; idcirco circumcurſitationes niſi horam unam ante cœnam non fiant. balnea ſudorifera non probo, laudo verò balneum aquæ dulcis, ventriculo vacuo, & coctione peracta, inſtitutum. alvi conſtipatio præcaveri omnino debebit; atque hæc de diæta. Balneum aquæ dulcis præfertur ſudorifero

Quoad reliqua neceſſarium erit, ut maſſa ſanguinea totúmque corpus, maximè verò hepar, per media convenientia expurgentur, id quod hoc anni tempore commodè adhuc fieri poterit. Media interna, ſine quibus externa nihil firmi præſtabunt, hæc ſunto.

Primò electuarium è Caſſia puero propinetur, horam unam ante prandium, ſuperbibendo ſcutellam brodij gallinæ, vel pro diverſitate temporis, brodij piſorum.

Bolus laxans.

R. *Florum Caſſiæ recenter extractæ* ℥v.
Pulpæ Tamarindorum ℥j.
Turpethi pulveriſati grana xij.
Cinnamomi acuti grana iiij.
Miſce fiat bolus cum *ſacchar o.*

Altero & ſequentibus duobus diebus potio alterans refrigerans adſumatur manè, ita ut ſomno iterum aliquamdiu indulgeri poſſit, ante prandium, dein jejunus maneat.

Potio alterans refrigerans.

R. *Syrupi è Cichorio* ℥vj.
Boraginis,
Oxymellis ſimplicis ana ℥iij.
Aquæ Boraginis ℥j.
Cichorij,
Endiviæ,
Fumariæ ana ℥ß.
Miſce fiat potiuncula ter repetenda.

Poſt hæc purgatio inſtituenda ſequenti medicamento, manè adſumpto & ad prandium uſque jejunando.

Potio purgans.

R. *Electuarij lenitivi Florenzolæ* ℥ß.
Mellis roſati laxativi ℥iß.
Aquæ Boraginis q. s.
Miſce fiat potio brevis.

Et hæc hucusque præſcripta remedia, ſerviunt ſolummodò ad ventriculi & inteſtinorum deterſionem; reliqua quæ ſequuntur ad hepatis expurgationem neceſſaria ſunt. ſunt autem potiunculæ tres primò detergentes lenientes, & una magis purgans, omnes tamen pro hac ætate, pro rerum circumſtantijs utiles & ſecuræ, quas conſulo omnino adhibendas eſſe. Lenientes quidem primas tres potiuncu-

las, tribus continuis diebus ſucceſſivè, accipiet manè ſomno iterum per horam indulgendo, quartam verò potionem purgantem quarto demum die manè jejunus bibet, & poſt horas duas juſculum gallinæ macrum vel brodium piſorum; ita tamen omnia dirigantur, ut ſi fortiter nimis expurgarent primæ lenientes potiones (quod minimè ſpero) dies unus vel alter (prout ſcilicet occaſio fert) interponeretur.

Purgationes hepatis.

℞. *Radicum Cichorij recentis*,
Polypodij querni ana ℥ß.
Liquiritiæ ʒiß.
Foliorum Senæ electæ ʒij.
Pulpæ Tamarindorum ℥ß.
Paſſularum ʒv.
Herbarum Boraginis recentis,
Buglosſi,
Endiviæ ana Mß.
Florum cordialium ana Pj.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥viij. poſt ſex horas colentur,
Adde
Syrupi è Fumaria,
è Lupulo ana ℥iß.
Fiat potio ad tres doſes.
℞. *Mannæ electæ*,
Mellis Roſati laxativi ana ℥j.
Diſſolve in *aquæ Boraginis* ℥ijß.
Adde
Rhabarbari electiſſimi jamjam pulveriſati & *aquâ Cinnamomi* irrorati ʒß.
Fiat potio.

Denique pulvis præſcriptus eſt, de quo quotidie ʒß. in brodio quodam manè aſſumenda eſt, omnia tamen ſecundùm operationem, ſeu, prout remedij operatio & rerum circumſtantiæ variaverint. Quibus ita ſucceſſivè peractis, externa remedia ſecurè adminiſtrari poſſunt.

Pulvis laxans alterans in ſcabie.

℞. *Radicum Zarſæ parillæ electæ* ℥ij.
Foliorum Senæ diligentia ſingulari ſelectorum abjectis ſtipitibus ℥j.
Corticum Tamariſci ʒiß.
Macis,
Cinnamomi acuti ana ʒß.
Santalorum rubrorum,
Citrinorum ana ℈ß.
Fiat pulvis ad ſcatulam.

CON-

CONSULTATIO X.

MODUS POTANDI ET LAVANDI IN THERMIS GOPPINGENSIBUS.

PRO

VIRO PRINCIPE.

PRimo die quieſcet. Secundo purgans medicamentum conſuetum ex Sena, Epithymo, Agarico, & Rhabarbaro cum Manna, Melle Roſato, & corrigentibus ſumet. Tertio die potabit Tettucianam ad menſuras tres, atque veſperi ſcarificabit in lecto. Quarto auſpicabitur potum & lavationem. Modus ſit aquæ calefactæ ab ℥xvj. uſque ad ℥xx, manè horâ ſeptimâ potandæ; octavâ balneum ingrediatur, & lavet uſque ad horam nonam; indè quieſcat uſque ad decimam; quæ ſit hora prandij perpetuò tenenda: à balneo enim uſque ad cibum hora integra interponenda, tam manè, quàm veſperi.

Veſperi lavet ab hora quarta uſque ad quintam, vel paulò minùs; & bibat hauſtum acidulæ frigidæ ex ipſo fonte allatæ. à prandio verò ad hanc horam à potu abſtineat. Quinto & Sexto aſcendat in potu aquæ ad ℥xxiiij. vel ℥xxx. ad ſummum, anticipando & augendo lavationem matutinam per dimidiam horam; veſperi fiat ut ſuprà. Septimo, Octavo & reliquis diebus in quantitate potûs perſeveret; in lavatione aſcendat manè uſque ad horas duas ſemis, vel tres ad ſummum. Ante dimidium quartæ balneum non intret. atque lavationem ſanè ad 25. dies, vel menſem integrum protrahat: nullum diem feſtum excipiendo præter Dominicos, quibus veſperi ſaltem lavari poterit. potum verò matutinum omnino intermittat Dominicis diebus.

Ab epota aqua matutina ſumat vel tragéam groſſam, vel aliquam ex conſervis confectionibus, nimirum quæ Imperatoris dicta, vel Aromatici Roſati &c.

Ante & poſt lavationem ventriculi regio irrigetur oleo Maſtichino.

In victûs ratione diligenter cavendum cœlum frigidius, nebuloſum, & ventoſum; Omnis ſatietas, alimentorum diverſitas. A prandio à ſomno caveat, & à ſcriptionibus, & diſtractionibus animi ſeriiſque negotijs. Hilaritati ſtudeat; muſicâ vel jucundis confabulationibus tempus fallat. A cœna, ſi aër ſit tranquillus, lenis inambulatio per vicina prata, vel hortos permittitur. Reliquo tempore Victûs ratio.

 quieſcat

quieſcat animo & corpore. Alvi ratio habeatur quotidie remedijs ſibi familiaribus,ut enematis,Diapruno magiſtrali,vel interdum Aloë Roſata.

Si catarrhus inſignis,capitis dolor notatu dignus, febris vel cruditas accederet,à lavatione,quam diu præſenti Medico videbitur,abſtinendum. Si abſque cauſa,hoc eſt,citra lavationem in aqua calidiore,ſudor erumperet, paululùm illi indulgeatur. Hæc de communi conſilio propoſita ſunt,mutanda omni in parte pro neceſſitatibus varijs,id quod præſentibus Medicis committimus. Monachij 23. Junij 1591.

CONSULTATIO XI.

ERYSIPELAS FREQUENS, CUM TUSSI, FEBRE, VOMITU, ET HÆMORRHAGIA NARIUM.

PRO

ILLUSTRI BARONE.

Lluſtris Dominationis Veſtræ affectus diuturnos, unà cum omnibus eorundem circumſtantijs condolenter intellexi; & ex informatione mihi abundè facta cognovi: primò, Illuſtrem Dominationem Veſtram à natura nactam fuiſſe corporis habitum bonum robuſtum, non tamen ſine calidiori complexione: ſecundò robur illud modò, longè defeciſſe,atque in pejus mutatum fuiſſe; quandoquidem Illuſtris Dominatio Veſtra variis gravibus moleſtiis, ac morbis, qui ex debilitate viſcerum principalium,nec non nativi caloris defectu oriuntur, affi- citur ferè perpetuò. Inter hos omnes maximè moleſtum eſt & vires abſumit Eryſipelas, in pede ſiniſtro toties cum vehementi febri tuſſi & vomitu invadens; quin & frequens quotidiana narium hæmorrhagia,quam Illuſtris Dominatio Veſtra ſuſtinet,ex toto præter naturam eſt,nociva & periculoſa.

Eryſipelatis cauſa. Cauſa hujus Eryſipelatis (quoniam præter urentem ardorem, continuum pedis tumorem ſecum conjunctum habet ac poſt ſe relinquit) alia non eſt, quàm fervidus tenuis bilioſus ſanguis multo ſeroſo & pituitoſo humore permixtus. atque omnibus porrò notum eſt,talem materiam generari ac cumulari in hepate, tanquam officinâ in qua ſanguis omnis ad nutritionem totius corporis mediante calore nativo paratur & coquitur; quò totum venoſum genus pertinet quoque,ac inſervit.

Quando-

Quandoquidem verò Illuſtris Dominationis Veſtræ hepar, uti ex præſenti corporis conſtitutione facilè colligitur, calidum & fervidum modò non eſt, ſed multò magis in calore naturali debito deficiens, mirari quis poſſet: quî fiat? tantam bilis copiam inibi generari? Sciendum itaque eſt, quòd hepar quoad naturam & complexionem præcalidum defacto quidem non ſit; ſed impurum obſtructúmque; unde ſequitur, quandoquidem bilis nec per alvum nec per urinam ſufficienter expurgari poteſt, hepar calore alieno & præter naturam afficiatur, chylúſque ex quo ſanguis fieri debebat, magna ex parte aduſtione ſiccatus in bjlem vertatur; pars verò aliqua ob imperfectam coctionem tum in phlegma, tum in ſerum; pars denique parva in ſanguinem abeat bonum. Et hæc biliosa pituitóſaque materia à natura (quæ in Illuſtris Dominationis Veſtræ ætatis vigore robuſta adhuc eſt) ab internis principibus partibus corporis totóque venoſo genere ad externas propellitur, ac præcipuè in pedes tanquam partem declivem, & ob corporis molem fonticulóſque ibi malè inuſtos, debiles protruditur. Rigor, ſubſequénſque fervida febris affectum hunc comitantes oriuntur ab humoribus modò dictis: nempe dum illi efferveſcunt, atque è venis in partes externas ſenſiles effunduntur; Et quanquam bilis tanquam tenuis ſubtilis humor, ipſúmque tenuius ſerum à nativo calore pedum, magna ex parte reſolutum inſenſibiliter evaporet, remanet tamen craſſior pars, & intra cutem muſculoſasque partes hæret; ac cauſa eſt, quòd pedis tumor ex toto evaneſcat nunquam. Porrò uti ſeroſus & pituitoſus humor quotidie è corpore in pedem defluit & illum diſtendit, ita de noctu ob auctum caloris robur magna pars diſſipatur, adeò ut mirum non ſit, pedem ſub veſperas tumidum, manè dein ſubſequenti longè minorem apparere. Vomitus bilioſus, Illuſtri Dominationi Veſtræ in invaſione eryſipelatis ſemper moleſtus oritur pari modo à commotione bilis, dum nempe pars ejuſdem, cùm aliam exitûs viam non reperiens ſurſum fertur, ipſúmque ventriculum adeò ſubvertit, ut dein ad reijciendum, unà cum cibis, humorem tam acrem amarúmque irritetur. Narium hæmorrhagiam ſubtilis & acris ſanguis ſollicitat, quem nec venæ nec hepar ob ſuam utriuſque debilitatem regere aut conſervare poſſunt. Denique quoniam cerebrum non ſolùm per continuas evaporationes partium inferiorum vaporibus impletum, ſed etiam ſeroſo pituitoſóque ſanguine adauctum gravatur, mirum non eſt, ſi tales humores tempore, quo totum corpus calore febrili fervet, omnésque reliqui humores commoventur, quaſi liqueſcentes ad pectus decumbant, aſperam arteriam obſtruant, atque adeò tuſſim & pectoris efficiant gravitatem. & hæc de cauſis Illuſtris Dominationis Veſtræ præcipuorum affectuum ſatis.

Hepar languidum quomodo bilem augeat?

Febris & rigoris cauſa, accedente Eryſipelate.

Tumoris pedum cauſa.

Vomitûs cauſa.

Hæmorrhagiæ cauſa hepatis & venarum debilitas.

Ex quibus facilè deſumentur ea, in quibus cura & ad meliorem

ſanita-

ſanitatem reſtitutio conſiſtit: nam ſi cauſæ, ut ſuprà diximus, ita ſe habent, neceſſarium erit, ut bilis & pituitoſus humor, præter deobſtructionem & corroborationem hepatis, è corpore evacuentur, & ne denuo ſuccreſcant, provideatur. Huc pertinet & ante omnia requiritur diligens & ordinata victûs ratio, de qua cùm Illuſtris Dominatio Veſtra antea ſufficienter informata eſt, pauca tantummodo monebo. Nempe vitanda eſſe ſummâ diligentiâ non tantùm frigus ſed & calorem, hypocauſta fervida iis, qui hæmorrhagiâ afficiuntur, maximè nocua. Obeſt quoque omnis ſuperfluitas in cibo & potu: vinum generoſum, acre, immaturum, dulce recens obſtructiones auget: proin pro potu laudo vinum Neccaricum bonum, aquâ, in qua momentum cichorii recentis incoctum ſit, dilutum. Lacticinia, farinacea, paſtilia, caſeus, frixa, dura ſale condita vel fumo indurata caro, anſeres, anates, piſces omnes (exceptis paucis fundulis, luciis minoribus, thymalis, raró tamen aſſumptis) omittenda cenſeo; ita & aromata raró & pauca in uſum veniant. cibi aceto abunde conditi utiles omnino ſunt: fructus tamen horarios. & acetaria cruda improbo, cappares, & cichorium coctum, aceto, oleo & ſaccharo parata non nocent. Ab ira, quantùm fieri omnino poteſt, Illuſtris Dominatio Veſtra abſtinebit.

Victûs ratio.

Aqua ſeu decoctum Cichorij pro diluendo Vino.

Chirurgica.

Chirurgiam quod attinet, placet mihi ſanguinis miſſio, quâ Illuſtris Dominatio Veſtra in brachio & pede bis in anno utitur, quamdiu ſcilicet præſentibus viribus conſtabit. De fonticulis hæc meà eſt opinio, quòd illi in ambobus pedibus inuſti non ſine periculo fuerint, & ibi etiamnum tanquam in incongruo loco perſiſtant ob ſiccitatem ſuam præterea parùm utiles; credo proinde illos nec alio in loco pedum, nec in brachiis factos multùm profuturos: nam ſi in alio loco pedum aperirentur fonticuli, timendum ſanè foret, ne pedes exin debiliores magis intumeſcerent cumulatis inibi ſeroſis & pravis humiditatibus illuc quaſi attractis; adeò ut à copia defluentium humorum calor pedum naturalis ſuffocari, & extingui omnino facilè poſſet. Porrò neque ſecurum eſt, morbidos ſuccos, qui ad inferiora hactenus defluere conſueverunt, per fonticulos in brachiis apertos, ſurſum cor verſus magis trahere, & aſſuefacere, præterquam quòd in hiſce circumſtantiis non videam, quid Illuſtri Dominationi Veſtræ adferre poſſint emolumenti.

Cauteriorum in pedibus inuſtiones non ſemper ſecuræ.

Pharmaceutica.

Itaque conſulo ut pro expurgatione omnium pravorum humorum, reſeratione & corroboratione hepatis, talis cura proximè inſtituatur. Primò accipiat Illuſtris Dominatio Veſtra de pulvere Senæ præparatæ mediam partem, affundat juſculum carnis, calidéque ebibat horis duabus ante prandium. & quòd ſi nimis parùm purgaverit, altero manè accipiat partem pulveris reliquam, vel ſaltem ejus dimidiam; ut ventriculus & inteſtina benè eluantur.

R. *Pul-*

R. *Pulveris Senæ præparatæ* ʒij.

Secundo, tertio, & quarto die partem potiunculæ ſequentis ebibat ſummo manè, calidè, indulgendo deſuper ſomno quantum lubet, & ad prandium uſque jejunus maneat.

Apozema alterans.

R. *Herbarum Cichorij cum toto*,
Fumariæ,
Boraginis,
Stolonum Lupuli ſalictarij ana Miß.
Coquantur in ſ. q. *aquæ fontis* ad ℔j. ℥iiij. adde
Syrupi è Cichorio ſimplici ℥iiijß.
Oxymellis ſimplicis ℥iß.
Miſce breviter ebulliant, & cum albumine ovi
fiat potio clarificata, ad tres doſes.

Et quandoquidem hæ potiunculæ non purgant, poterit Illuſtris Dominatio Veſtra interea ſanguinem mittere in brachio dextro, illo ſcilicet die, quo alteram ex his potiunculis adſumit. Poſt hæc potio purgans propinabitur (dummodo nulla priùs adfuerit diarrhœa) manè calida, dormiendo deſuper per horam, & horis quatuor poſt aſſumptum purgans ſcutella brodij carnis hauriatur, diſſoluto priùs in prædicto brodio cochlearibus duobus ſacchari; quòd ſi tamen aſſumptum medicamentum purgans ſufficienter alvum moverit, ſaccharum omitti poterit.

Potio purgans.

R. *Agarici recenter præparati*,
Rhabarbari electi ana ʒj.
Pulveriſentur. & affunde
Vini albi ℥i.
Aquæ Boraginis,
Endiviæ ana ℥iß.
Oxymellis ſimplicis ℥j.
Spicæ,
Schœnanthi ana grana iiij.
Stent in loco calido per noctem, manè exprimantur, in colatura diſſolve
Mannæ Calabrinæ,
Mellis Roſati laxativi,
Syrupi è Cichorio cum Rhabarbaro ana ℥j.
Miſce fiat potio purgans.

His peractis, ſuadeo alias tres potiones digeſtivas, quæ parùm purgabunt, ter manè adſumendas, & ſomno deſuper pro lubitu indulgendo.

Apozema alterans depurans ſanguinem.

R. *Stolonum Lupuli ſalictarij*,
Herbarum Cichorij cum toto,
Boraginis,

 Fumariæ,

Fumariæ,
Capillorum Veneris,
Betonicæ,
Agrimoniæ,
Praſſij ana Mj.
Radicum Polypodij querni ʒv.
Petroſelini vulgaris ℥ß.
Paſſularum ℥j.
Seminum Melonum,
Cucurbitæ ana ʒiij.
Omnia coquantur in ſq. *aquæ* ad lbj. colaturæ adde
Succi è Cichorio recenti expreſſi ℥iiij.
Syrupi è Cichorio Nicolai,
Oxymellis ſimplicis ana ℥ij. ʒij.
Simul bulliant, fiatque cum albumine ovi potio clarificata ad tres doſes.

Poſt has digeſtivas potiones neceſſarium denuo erit, potionem repetere purgantem ſuperiùs notatam, quæ pro lubitu & judicio Medici præſentis paulò fortior vel etiam levior reddi poterit, pro ut nimirum Illuſtris Dominatio Veſtra indigere videbitur. Atque per hæc media ſpero equidem corpus abunde expurgatum, ipſique hepati magnum auxilium allatum iri; attamen deſiſti non debet ab ulteriori reſeratione & expurgatione ejuſdem, in quem finem placeret mihi ſerum lactis caprini, in quo ebullierint & per noctem infuſa fuerint Fumaria recens, Cichorium cum toto, Stolones Lupuli ſalictarij, Agrimoniæ, & bona quantitas Saccbari, atq; per aliquot dies 7. vel 8. epotum calidè. Alternis diebus vel ſaltem tertio die drachma una vel ſaltem dimidia Rhabarbari tuſi, in nodulo lineo ligata huic ſero infundatur per noctem, atque ita ebibatur. His ita peractis quieſcendum aliquo tempore cenſeo, ac ſolo electuario hepatico utendum eſſe, manè, & etiam interdum veſperi horis duabus ante cœnam ad ℥ß.

Serum lactis.

Electuarium confortans.

R. *Pulpæ Paſſularum,*
Conſervæ Roſarum Damaſcenarum,
Cichorij ana ℥iß.
Boraginis,
Bugloſſi ana ʒvj.
Florum Betonicæ,
Roriſmarini ana ℥ß.
Radicum Cichorij Sacchato conditi ʒx.
Corticum Citri conditi ʒvj.
Specierum Diarhodon Abbatis ʒij.
Diatrion Santalorum ℈ij.
Miſce cum *Julapio Roſato* q. ſ. fiat electuarium in forma opiatæ.

Interim

Interim ratione victûs adhuc repeto, Illuſtrem Dominationem Veſtram ſeduló cavere debere omnem exceſſum non in potu tantùm, ſed etiam in omni ciborum genere. item neceſſarium eſſe, ſæpe, nempe ſingulis tribus vel ad minimum quatuor ſeptimanis purgans aliquod ſumere ad bilem & pituitam evacuandam, attamen medicamenta generoſa & catharctica improbo, haſque purgationes continuandas cenſeo medium annum vel etiam diutiùs; inter has placeret mihi potiuncula purgans jam ſuprà adſignata & à me præſcripta, corrigenda tamen à Medico ordinario pro lubitu & circumſtantiarum neceſſitate. Demum quandoquidem hepar Illuſtris Dominationis Veſtræ ſuperfluam perpetuò bilem, alióſque pravos humores cumulat, ſuaderem equidem uſum Rhabarbari, quod hepar non tantùm expurgat ſed ſimul corroborat, ſequenti præcipuè modo adminiſtratum. Accipiantur *Paſſularum minorum dulcium* ℥ix. laventur *vino albo*, admiſceantur *Rhabarbari optimi contuſi* ℥vj. *Cinnamomi optimi pulveriſati* ℥ß. *Sacchari fini* ℥ij. Miſceantur omnia optimè, & in olluła vitreata adferventur; doſis cochleare unum, horis duabus ante prandium, ſingulis ſex vel octo diebus ſemel. Cæterùm ſcriptum quoque mihi eſt, Illuſtrem Dominationem Veſtram pedes faſcià lineâ arctiſſimè ſtringere, quod equidem utile fore nullo modò aſſentior, quandoquidem calorem naturalem pedum, quò minùs influat, vehementer impedit, ipſóſque pedes jam inſenſiles ferè, omni ſenſu facilè ex toto privare poteſt. Deus his auxiliis ſuâ gratiâ adſiſtat.

Uſus Rhabarbari hepati utilis.

Rhabarbarum cum paſſulis mixtum.

Pedum ſtrictura fa ſcijs lingatio non eſt tuta ſemper.

CONSULTATIO XII.

ERYSIPELAS. ET AN PER CAUTERIUM CRURI IMPRIMENDUM PRÆCAVERI POSSIT?

PRO VIRO NOBILISSIMO.

Erſatur in deliberatione Nobiliſſimus Vir N. N. de cauterio ſeu fontanella vocata, cruri imprimenda, ad Eryſipelas, quo ſubindè infeſtari ſolet; præcavendum. De eo remedio hæc mea eſt ſententia: Eryſipelas phlegmones genus à bile prædominante; ut Medici docent, progignitur, eâque alimentali, hoc eſt, à ſanguine tenuiſſimo ac calidiſſimo in venis genito, & ad diverſas corporis partes; copiâ vel acrimoniâ naturam irritante, effuſo: quibus enim neglecta victûs ratione ciborúmque calefacientium, viníque uſu immodico bilis in corpore

Eryſipelatis cauſæ.

ingens apparatus colligitur, illos Eryſipelate frequente vexari videmus; huc accedit hæreditaria quædam ad morbum iſtum contrahendum diſpoſitio membrorum, quam & Ampliſſimus hic Vir & à Parentibus, aliiſque familiæ ſuæ majoribus, qui eodem malo conflictati fuêre, accepiſſe ſcitur.

Curatio.

Quâ ergo arte & ratione morbi hujus præſervatio contineatur, ex iſtis facilè conſpicitur: res enim ipſa loquitur, in eam curam omnino incumbendum eſſe, ne fervidus ſanguis gignatur, genitus verò vacuetur, mitigetur, aliò revellatur. Primum præſtabit vivendi ratio caſtigata ac cauta, fuga vini, cibi potúsque calidioris pravioríſque. Alterum, venæ ſectio bis, vel ſæpius in anno, ſi vires præſenti Medico id ferre poſſe videbuntur, admiſſa; medicamenta item bilem fervidóſque ſuccos per alvum, aliáſque vias educentia. Tertium opus perficere poſſunt ſyrupi, ſeu julapia, aquæ ſtillatitiæ, juſcula herbis refrigerantibus alterata, aquæ naturales acidulæ, multáque item alia, quorum magna in noſtra arte eſt ſylva. Quartum auxilium adferet fonticulus in brachio ejuſdem lateris adhibitus; hic enim humores ad crura delabi ſolitos ſurſum revellet, vel certè ad pedem fluxuros inhibebit, & quodammodo intercipiet; quin imò & venoſum genus aliqua ex parte à bilioſis humoribus ſive excrementis depurabit: etſi enim fonticuli tertiæ coctionis excrementa præcipuè evacuent, poſſunt tamen conſecutione quadam id, quod ex venis majoribus in minores & capillares pervenit, per cutem expurgare.

Fonticuli tertiæ concoctionis excrementa potiſſimùm evacuant.

Cæterùm de tali emiſſario ſeu ulcuſculo, cruri Eryſipelati obnoxio ſine candenti ferro inurendo, Nobiliſſimus Vir jure optimo dubitat; ego ſanè, quòd intelligam eum corpore eſſe procero, vaſto, cruribus autem hæreditario quodam vitio debilitatis, cauterium inferioribus corporis partibus nullatenùs convenire exiſtimo, ac neutri cruri tutò adhiberi poſſe vereor: ob metum ne humores maximâ copiâ eò deſcendere, nativúmque calorem in venis & arteriis ſuffocare, gangrænam tandem, ut multis eveniſſe novimus, inducat; quod periculum ipſemet Dominus prudenter proſpicit ac timet.

Fonticuli in crure non ſemper tuti.

Scribo hæc liberè, uti Medicum Chriſtianum decet, admonitus etiam ab Hippocrate, qui nihil negligenter, nihil temere agendum in arte docet; ideóque Medicum in eo ſe exercere, ut ſi prodeſſe ægris non poſſit, nunquam certè obſit. Optimè verò valetudini ſuæ præſtantiſſimus Patiens conſulet, ſi cautionem atque adeò accuratam victûs rationem poſthac inſtituat; evacuationibus, quarum ſuperiùs eſt facta mentio, utatur; cauterium brachio adhibeat; atque tandem ſi ulcus, quod in crure ſponte eruperat, & nunc ſanatum eſt, ſponte rurſus aperiretur, ídque dextri chirurgi operâ, ſi ullo modo ſine dolore effatu digno fieri poſſit, apertum conſervet. Anno 1609.

CON-

CONSULTATIO XIII.

AN IMPRESSUM IN CRURE CAUTERIUM, ERYSIPELATI SUBSEQUENTI ANSAM DEDERIT?

PRO

VIRO PRINCIPE ECCLESIASTICO.

Ad quendam Medicum Doctiſsimum.

QUæ de ſtatu morboſo,& præſertim cruris dextri affectu partim permanente, partim ex intervallis redeunte Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis Epiſcopi Ratisbonenſis & Domini noſtri Clementiſſimi, Excellentia Tua ex litteris doctiſſimis ac humaniſſimis ad nos datis expoſuit,ea omnia tam quò ad affectus ipſius cognitionem undique abſolutam, quàm ad therapiam ſeu remediorum hactenus cum fructu uſurpatorum, & de cætero adhibendorum uſum nobis vehementer probari, coram Principe una voce ſcriptum hoc jure collaudantes oſtendimus.

Mox verò à Celſitudine ſua interrogati, an Eryſipelatis in dextro crure exorti magna cauſa non fuerit fonticulus in crure impoſitus? an etiam ille in dextrum brachium transferendus non videatur? in hanc ſententiam reſpondimus, primùm Eryſipelatis ſive inflammationis iſtius œdematoſæ, atque nunc ex parte ſcyrrhoſæ cauſas præcipuas,ab Excellentia Tua rectè ac prudenter eſſe explicatas: nos interim diffiteri non poſſe, fonticulum illum & profundè ſatis cruri impreſſum & continua Gentianæ impoſitione pluſculùm fortè irritatum, majorem humorum copiam, quàm è tali emiſſario evacuari potuerit,allicere; atque ea ratione nonnullam malo huic toties recurrenti anſam præbere: cùm experientia doceat, non pauca remedia, alioquin apprimè ſalutaria, ſubinde aliqua in parte incommodare. Vtrùm verò fonticulus pedis, alio in dextro brachio priùs facto, tutò claudi, vel ſic relinqui poſſit, rem eſſe magnæ deliberationis Reverendiſſimo diximus, ac dubios nos hærere, Excellentiæ Tuæ liberè fatemur, cogitationes noſtras hoc de negotio ipſi duntaxat propoſituri.

Cauteria in pede Eryſipelatis cauſa.

Omnium primò abdicata radicis Gentianæ nimis calidæ, niſque acris impoſitione, globulus, ſeu pilula ex cera alba, Maſtiche, & Terebinthina cauterio tam pedis quàm brachij indendus videtur,

Gentiana malè fonticulis imponitur.

videtur,in eóque relinquendus,nec toties eximendus, ſed pro mundificatione ulcuſculi à chirurgo digito linteolo involuto, aliquot circumductibus agitandus,ac mundandus: loco etiam emplaſtri cauteriis ſuperponi ſoliti materiæ effluxũ prohibentis, foliorũ Hederæ & linteoli duplicati vel triplicati impoſitio magis arridet,ſimul & ligatura cum faſcia quatuor capitum ſupra & infra ulcus, ut firmiùs maneat globulus,facienda. Conſideratione porrò dignum cenſemus expediátne clauſo cauterio, quod ſub genu habet, aliud ſupra genu ejuſdem cruris, in interna femoris parte, quà plurimæ venæ decurrunt,locúſque hepati viſceri mineræ morbificæ feraci (ut Excellentia Tua ſcribit) vicinior eſt, inprimere? unum his addimus, nimirum ob juges capitis jam per idiopathiam laborantis querelas & deſtillationes verſus ſpinam, indéque ad pedem malè affectum ruentes, nos omnino probare ac ſuadere, ut in dextro quoque brachio fonticulus imprimatur,ratione ſuperiùs dicta tractandus; atque tunc ſi Eryſipelas toties rediret, neque aliis mox dicendis cederet, vel minueretur remediis,ſecuriùs fortè cruris ille clauderetur. Verùm de his Excellentiæ Tuæ aliíſque Viris in arte exercitatis deciſionem & ſententiæ, quam velint, amplecti, liberam electionem permittimus. Quòd ſi verò de claudendo vel finendo pedis cauterio, judicium noſtrum omnino cognoſcere Excellentia Tua velit, paucis id accipe: ſi novum illud in brachio factum ulcúſculum, quantum ſatis videatur, fluxerit,ſi venæ ſectiones,ſi purgationes, ac vivendi ratio pauló cautior acceſſerit,de qua præcipuè monendus Reverendiſſimus, prædicendáque pericula,nos pedis fonticulum poſt tempus aliquod claudi ſine periculo poſſe ſperamus.

Folia Hederæ ſectè fonticulis ſuperimponuntur.

Pedum fonticulis præſtant aliquando, fonticuli in brachiis inuſti.

In quem uſum aliquando, ſemel nempe in anno ſanguinem, apertâ in crure ſiniſtro venâ,à dextro crure, cui is influit, revelli poſſe cenſemus. Placet interim nobis phlebotomia verna, autumnaliſque ab Excellentia tua propoſita, quam tamen in hac cibi ſat larga ſumptione & copioſioris ſanguinis collectione, quam in hoc corporis otio, atque ætati huic neceſſaria ſit, quámque debilior nativus calor conſumere queat, pauló largiorem eſſe velimus; ut nimirum manè ſex vel ſeptem, veſperi quinque plùs minùs unciæ fluere permittantur; laudamus quoque quas Excellentia Tua præſcribit purgantium medicamentorum formulas, quin & præter pilulas ſexta quoque hebdomade ſumendas propter jecoris obſtructiones à labefactatis tam illius, quàm ventriculi coctionibus oriri ſubinde ſolitas, nec non ichoroſa & bilioſa excrementa, quæ in corpore accumulantur, nec & reliquo ſanguine in iſta deficientis caloris hebetatione, non ſatis feliciter ſegregantur, ſummopere ſuademus, ut Celſitudo Sua crebriùs, ac ſingulis ferè ſeptimanis catapotia ex Aloë Roſata, Rhabarbaro & pauco Agarico compoſita, doſi minori, unius nempe

Venæ ſectio.

Pilulæ ordinariæ.

vel

vel duorum ſcrupulorum devoret; quod ſi faciat, fortiores illas cum extracto Cochiarum quater in anno ſumpſiſſe ſatis fuerit; utilia etiam valde erunt, hepati contemperando roborandóque juſcula pulli Cichoreaceis, Agrimoniâ, & Santalis alterata, ſicuti cruris affecti duritiei ſcirrhoſæ emolliendæ, diſcutiendæque, balneum aquæ dulcis ante cœnam ex præſcripto Excellentię Tuæ interdum adhibitum, non mediocriter profuturum exiſtimamus.

Juſcula Cichoreacea.

In diæta ab Excellentia Tua Principi exactiſſimè præſcriptâ, quod moneamus, unum occurrit, nimirum de potu, de quo ſolicitudinem hoc loco noſtram diſſimulare non poſſumus. Vinum nobis non placet merum ac potens, hoc enim ſenibus copioſo alimento utentibus inprimis noxium eſſe, cùm alij viri doctiſſimi, tum verò præcipuè Alexander Petronius *Libro* 5. de victu Romanorum ſcripto tradidit. Convenientiùs, imò magno commodo ſuo id bibunt parcè ſenes edentuli, inappetentes, ac pauco vino victitantes. Nôſti Vir Doctiſſime geminato per copioſum cibum ac meri potum calore, chylum ac ſanguinem aduri, hepárque inflammari. Parùm igitur vini aquâ largiter caſtigati bibat Reverendiſſimus Præſul; ſed & vini loco eſſe poterit, præſertim æſtivo tempore cerevifia Embdenſis, clara, ac defæcata, guſtui iucunda, atque præclarum ſitis, interníque æſtus remedium; interim tamen aquam Cinnamomi hoc loco non damnamus.

Vinum ſenibus copioſo alimento utentibus inprimis noxium eſt

Cerevifia Embdenſis.

Hæc pauca Excellentiæ Tuæ ad ipſius ſententiam confirmandam inter negotiorum fluctus reſpondenda occurrunt, quæ benignè & candidè interpretari, nósque inter ſuos habere ut velit, impensè rogamus. Anno ſequenti Vere ſatis adulto de majori longioríque therapia cogitandum erit, quales eſſe ſolent, quæ hydroticis & medicatis aquis naturalibus inſtituuntur. Nos acidulas Vberchingenſes vel Ebenhuſenſes Reverendiſſimo Antiſtiti potatione ac lavacro rectè uſurpatas mirificè profuturas confidimus.

Acidulæ Uberchingenſes, Ebenhuſenſes.

CONSULTATIO XIV.

ULCERA PEDUM.

PRO

PRINCIPE QUODAM ILLUSTRISSIMO.

*

QUi Illuſtriſſimi Principis conſtitutionem, & enata, levi occaſione, ulcera pedum conſiderat, facilè conijcit, illâ ſanguinem pravum impurum, tanquam radicem, præſupponere: ex quo tandem ſequitur, ulcera iſta difficulter eſſe curabilia, & quòd ſi ſanentur, alia incommoda

moda longè majora ſubſecutura eſſe; quandoquidem natura, excrementa corporis ad pedes deponere aſſueta, ulceribus illis tanquam emiſſarijs utitur: quibus intempeſtivè occluſis, febres ſubinde, ictericiam, phthiſin, hydropem, aſthma, apoplexiam ab experientia vidimus ſubſecutam.

Ulcera, naturæ ſunt emiſſaria.

Verùm cùm Illuſtriſſimus Princeps illa occludere vult tanquam nimis moleſta; præterea recentia & parva ſint; modum, quo id ſine periculo fieri poſſit, paucis adſcribo. Itaque cùm ſanguinis copioſa impuritas tanquam radix tolli debeat, commodiſſimè id fiet tum per inſtitutas purgationes, tum curam ſudoriferam. cura purgatoria ita inſtituetur. Primò Illuſtriſſimus Princeps de ſuavi electuario Diaprunis meæ deſcriptionis accipiat ℥ijß, mediâ horâ ante prandium, calefieri illud poterit in ſcutella modicè, & ſaccharo aſpergi. ſi non ſufficienter alvum laxaverit, repetatur altero die quantitas aliqua. Poſtea per quinque dies ſyrupus præparans adhibeatur, manè, ita ut deſuper ſomno indulgeri pro lubitu poſſit. interea verò poſtquam una doſis ex prædicto ſyrupo aſſumpta eſt, quandoquidem non purgat, poſtridie Illuſtriſſimus Princeps ſanguinem mittat ex vena hepatica brachij dextri, ad uncias octo circiter.

Purgationes.

Venæ ſectio.

Syrupus præparans.

℞. *Syrupi è Betonica,*
Fumariæ,
Cichorio,
Oxymellis ſimplicis ana ℥ß.
Aquæ Boraginis,
Cichorij,
Fumariæ,
Betonicæ ana ℥j.
Miſce pro uno hauſtu, & ſignetur ſyrupus præparans, continuandus per quinque dies.

Præparatos humores ſequenti purgatiuncula evacuandi.

Potio purgans.

℞. *Foliorum Senæ Alexandrinæ ſelectæ* ʒij.
Agarici præparati ʒj.
Radicum Polypodij querni,
Liquiritiæ raſæ ana ʒiß.
Seminis Aniſi ʒj.
Zinziberis ℈ijß.
Galangæ ℈ß.
Paſſularum ℥vj.
Florum cordialium ana Pj.
Fiat decoctio ad medietatis conſumptionem, colaturæ
℞. ℥iiij. & in his infunde
Rhabarbari electi pulveriſati ʒiß.

Cinnamomi

Cinnamomi acuti grana viij.

Stent per noctem, dein manè fiat colatura cum expreſſione, in qua diſſolve

Mannæ Calabrinæ ℥ijß.

Oxymellis ſimplicis,

Syrupi Roſati laxativi *ana* ℥ß.

Miſce; fiat potio.

Ebibatur hæc potio purgans, manè, horâ quintâ, & horam unam deſuper dormiatur. horâ nonâ poſtmodum ſumatur juſculum carnis. atque tali modo corpus ſufficienter purgatum, uti ſpero; & idcirco ad curam ſudoriferam accedendum erit.

Cura ſudorifica.

℞. *Radicum Chinæ* in taleolos inciſæ ℥vj.

Salſæ pariglie craſsè inciſæ & modicè conquaſſatæ ℥iß.

Ligni Saſſafras optimi limati ℥ß.

Miſce & affunde *aquæ fontanæ* ferventis ℔. xij. coquantur in vaſe anguſtioris in Balneo Mariæ per horas 6. dein fiat colatura, & ſervetur pro uſu.

De hoc decocto, quod ſuave eſt, Illuſtriſſimus Princeps manè, horâ ſextâ, uncias ſeptem vel octo benè calidas ebibat, ſudorémq; in lecto per horam unam aut ſeſqui horam eliciat. horâ decimâ prandium inſtituat. Cibi ſint aſſi pulli, perdices, caro hœdina, aves ſilveſtres, juſcula raró & pauca. ferculorum nulla ſit diverſitas, ſed parcitas requiritur. pulmenta avenacea, pruna, ſubinde ſpinchia, ova ſorbilia, conceduntur. potus erit vinum Neccaricum aquâ ſeu decocto ſudorifero ad tertiam vel quartam partem mixtum. Ab omnibus aëris injurijs ſibi cavebit, imò in conclavi manebit, niſi tempeſtas admodum faveat, ut in arce deambulare poſſit. & hæc cura ad viginti quinque vel etiam triginta dies ſeſe extendet. Singulis octo diebus, vel quotieſcunque alvus ſegnior eſt, electuarium adhibebit, mox ante prandium ad ℥ij. vel ℥ijß. Emplaſtrum de lapide Calaminari diligenter paratum, dein facilè proderit.

Victûs ratio.

Vt verò ex ulceris ſanatione nullum emergat damnum, victûs ratio bona erit inſtituenda. fonticulus in eodem pede (quod tamen conſideratè faciendum) inurendus. bis in anno purgandum & vena ſecanda. imò ſingulis menſibus ad ſtomachi purgationem corroborationem aliquid ſumendum, veluti ʒj. vel ʒiß. pilularum Maſtichinarum, duabus horis ante cibum devoranda, aut tempore æſtatis tantundem Aloës Roſatæ. Exercitia debitè inſtituenda. DEVS hiſce adſiſtat.

Fonticuli.

CONSULTATIO XV.

CRURUM ULCERA.

PRO ILLUSTRISSIMO QUODAM PRINCIPE.

Ubet Sapientiſſimus Hippocrates, decétque Medicum Chriſtianum, in eam curam incumbere, ut ægris proſit, vel certè obſit nunquam. cùm igitur experientiâ compertum ſit ulcera externa præſertim ſponte nata, ſi aperta ſerventur, à morbis magnis corpora noſtra præſervare; clauſa verò in magna vitæ diſcrimina adducere; idcirco exulcerationem illam humidam, quam Illuſtriſſimus Princeps in utroque crure patitur, licèt ſuperficiaria tantùm ſit, non temere ſanandam eſſe, probè nôrunt Excellentiſſimi Celſitudinis Suæ Medici. De tuto verò remedio, quo humor in pedes influens intercipi queat, hæc noſtra eſt ſententia: ſcilicet obtineri id poſſe fonticulo ſeu cauterio utrique brachio impreſſo; id quod ope ſeptici medicamenti nullo dolore, ac nulla propemodum moleſtiâ efficere hiſce in partibus chirurgi nôrunt. Hæc emiſſaria tantam humidioris capitis defluxionibus opem ferent, quantam Illuſtriſſimus Dominus non facilè credat; ſed multo cum fructu ac valetudinis ſuæ commodo experietur; præſertim ſi ad ea victûs quoque frugalis alimentorúmque convenientium uſus accedat, omniáque à menſa Celſitudinis Suæ exulent, quæ vitioſum ſuccum præſtant, capútque replent, prout & vini generoſi potus, præcipuè hoc loco cavendus. Cùm vero Magnates exactam diætam raro obſervare queant, excrementitiósque humores ſubinde in corpore colligant, omnino ſuademus, ut Illuſtriſſimus Princeps bis in anno, Vere ſcilicet autumnalique tempore, corpus exquiſitè medicamentis purgantibus evacuet, nec omiſſis quæ humores attenuando ac concoquendo præparent, viáſque expediant: ſed & per totius anni decurſum familiaribus aliquibus catapotijs, alvum blandè ſubducentibus, & ventriculum roborantibus, ex brevibus intervallis convenientiſſimè utetur; cujuſmodi ſunt pilulæ ex Hiera ſimplici Galeni, Maſtichinæ vel ſimiles, quæ conſultiſſimis Dominis Medicis magis arridebunt. Placeret & decoctum Guajaci cum parte Saſſafras, non admodum validum, cum tenui Diæta, præmiſſa debita corporis per purgantia & venæ ſectionem proviſione, nec non, dum decocto utitur, levioribus purgantibus ſemel atque iterum in hebdomade aſſumptis.

Ulcera ſpontè enata, à magnis morbis præſervant.

Fonticulorum in brachijs utilitas.

Decoctum Guajaci.

Vlcuſcula

Vlcuſcula humore illo flaveſcente ſtillantia, ſanabunt thermæ ſeu aquæ naturales ſulphure, nitro, aliiſque exſiccantibus mineralibus imbutæ; ſin ibi locorum ad manum non ſint, arte parari poterunt, hoc vel ſimili modo.

Thermæ ſulphureæ nitroſæ.

Balneum artificiale nitro-ſulphureũ,

℞, *Aluminis* ℥ij.
Vitrioli ℥iß.
Salis Nitri,
Tartari vini ana ℥ij.
Salis Mj.
Infundantur in *aquam fervidam* q. ſ. ſemperque agitentur donec liqueſcant.

In hanc aquam immergantur pedes, teneantúrque in ea circiter horas duas, manè & veſperi. aqua quinquies vel ſexies uſurpata renovetur. à pedum lavatione locis ulceratis inſpergi poterit pulvis Nihili albi, ſine morſu ſiccandi facultate prӕditus. Hæc tamen adhiberi nullo modo debebunt, corporis vacuationibus non prægreſſis. Monachij.

CONSULTATIO XVI.

ULCERA CRURUM IN CORPORE OBESO.

PRO

VIRO QUODAM HONESTO.

*

Litteras, quas Dominatio Tua ad me miſit, diligenter perlegi, & ulcera pedum quod attinet rem perpendi animitus: ſalvâ conſcientiâ ſuadere non poſſum, ut Dominatio Tua illa crurum ulcera claudi & ſanari permittat; cùm Natura ſæpius à multis impuritatibus per has vias ſeſe exoneret, in corporibus præſertim, ubi largior victûs ratio & incauta, plurimos & ſuperfluos humores cumulat. ac proinde conſultum non eſt, ut hæc naturæ via intercipiatur, & turbetur; experientiâ enim didici, plures, qui crurum ulcera conſolidari ſibi permiſerint, brevi extinctos fuiſſe; & poſſem ſanè Principem quendam hîc pro exemplo apponere, qui potiſſimùm ex hac cauſa hydropicus factus tandem interijt.

Ulcera crurum intempeſtivè ſanata, mortem inferunt.

Itaque cum Dominatio Tua corpus habeat ventroſum, atque multa humiditate refertum, nec non vel ad hydropem vel alios periculoſos morbos diſpoſitum, ſuaderem equidem ut ſæpius in anno

medicamentis purgantibus corpus evacuaret, & ſanguinem ſemel vel bis, juxta prudentis adſiſtentis Medici opinionem, mitteret. præterea tertio quoquo anno curam ſudoriferam ex lignis inſtitueret, viribus præſertim in hac viridi ſenectute tam benè conſtantibus. in eundem finem fonticuli uni vel alteri pedi inuſti proderunt. DEVS Optimus &c. Monachij. 19. Decembris. Anno 1585.

Cura ſudorifera.

CONSULTATIO XVII.

ULCUS SINVOSUM CRURIS, CUM DOLORE COXENDICIS &c.

PRO

REVERENDO CAPUCINO.

De affectu cruris, à Reverendo Patre Mario in ſchedula breviter deſcripto, ſinè autopſia rectè judicare eſt difficile. interim conſtat, morbum, quo frater ejus affligitur, ulcus eſſe ſinuoſum, atq; ut turunda longa, quæ ei inſeritur, demonſtrat, profundum. Verùm cùm de puris, quod in ipſo colligitur, copia ac conditione nihil ſcribatur, intelligere abſens nequeo, ſordidum ne ſit, an ſecus? enatum eſt è vitioſis ſuccis à corpore toto ad coxam, indéque ad crus delapſis, quos debitis evacuationibus elatos oportuit, priuſquam in tantum malum excreſceret. Non dubito ægrum peritiſſimis Medicis commiſſum, ut neque mea neque aliorum admonitione ſit opus; ſubſcribam tamen meam, quæ hac de re petitur, ſententiam.

Inſtitutâ exactâ vivendi normâ, lenitáque alvo, venam cenſeo incidendam, quæ ad malleolum dextri pedis externa (ſylveſtrem Barbari vocant) apparet: dolorem uti confido, levabit; cui ampliùs mitigando, corpore priùs purgato inſerviet euporiſton hoc cataplaſma. ſumantur folia Malvarum minutim inciſa, mica item panis, affunde lac caprillum, calefiant, additis oleo Roſaceo ac momento Croci. vel aliud ſimplicius: mica panis cibarij furfuracei coquatur in cereviſia inſtar pultis, applicetur bis térve unó die. Dolori coxendico utiliter imponitur hoc cataplaſma. accipe Galbanum acri aceto diſſolutum, adde ſtercus bovis, vitellos ovorum & parum Maſtiches, calens imponatur loco priùs oleo Vulpino inuncto. Si ſinus largior ſit, partémque femoris imam teneat, ad radicem ejus ſeu finem ſpiraculum ſeu ſecundarium ulcus moliri expediret ſinum dilatans, carnéque impleri vetans, ut repurgari queat. Si vires, temperamentum cæteráque non diſſuadeant, præmiſſa corporis per ſufficientes præpara-

Vena ſylveſtris.

Cataplaſma anodynum.

Emplaſticum ad dolores Iſchiaticos.

præparationes, purgatione, hydroticum ex Chinæ decocto, vacuandis per cutem ſeroſis acribus ſalſiſque humoribus, prodeſſe non mediocriter poſſet. ſed hæc expertiſſimi præſentis Medici judicio cenſuræ ſubjecta ſunto.

Cura hydrotica.

CONSULTATIO XVIII.

VLCVS GALLICVM.

PRO

ILLUSTRI BARONE.

Dolenter cognovi, Baronem illum abs me tibi commendatum, nec dum ab ulcere humeri liberatum. Petit is cauſam & remedium mali tam contumacis; ſcribit ſe toto therapiæ hydroticæ decurſu famem expertum eſſe planè nullam; alvum item habuiſſe ſiccam, víxque obedientem ſine ſtimulo.

Ego verò nullum memini ab hoc morbi genere ſanatum, qui famem non ſenſiſſet, & patienter tuliſſet. Hæ ſi in cauſis ceſſantis ſanationis numerandæ non ſunt, una mali cacoexia ſupereſt, quam incuſemus. Vidi hìc in noſocomio malignitatem virulentiæ iſtius hydrargyro præcipitato feliciter expugnatam per os aſſumpto. Sed ſpero ad nodum iſtum malum, cuneo tam malo, opus minimè fore: Priusquam autem alia proponam auxilia, obnixè Excellentiam Veſtram rogo, ut mihi paucis verbis, quid utiliter uſitatum ægro ſit, communicare unà ſuo cum iudicio non gravetur. dignus certè ille inprimis eſt, pro cujus incolumitate laboremus, qua in re perſuaſum habeo, Te tuas quoque partes deſiderari non commiſſurum. Vale Vir doctiſſime, amicorum optime. Monachij die 6. Junij 1612.

NB. Famem qui non ſenſit in cura ſudoriſera morbi Gallici, non curabitur.

Hydrargyrum præcipitatum intus ſumptum luem Gallicam curat.

CONSULTATIO XIX.

TVMOR DVRVS MAMMÆ SINISTRÆ DOLORIFICUS, & CANCRUM MINITANS.

PRO

VIRO ADMODVM REVERENDO.

Tumor iſte durus pendulus, ac in omnem partem mobilis; initio ortus ſui ac toto quò indolens fuit tempore, ſcirrhi ferè nomen meruit; nunc autem dolorem ſubinde conjunctum habens cancrodes minari videtur.

 Melan-

Melancholicum ſtatuo, materiam ejus ac cauſam conjunctam, quã vocant, ſanguinem; hoc eſt ſuccum fæculentum, quo ſanguis plùs juſtò abundat, quémque in partem laxam, ac recipiendæ fluxioni reliquis paratiorem, eámque ſiniſtram potiùs quàm dextram, è ſplene, à natura rectitudinem ſervari ſolita, ablegatum fuiſſe non dubito. Nec mirum eſt, ſcirrhum ſubinde in cancrum degenerare, cùm humor, qui eum committit, in vetuſtatem incidit, atræ bilis naturam induit, calorem nempe fervorémque concipiens. Bilis autem atra etſi actu frigida eſt, latentem tamen vim calidam obtinet, quæ cineris & calcis exemplo declaratur. Antecedens cauſa vivendi ratio fuit non ſatis cauta, præcipuè alimentorum uſus craſſiorem ſanguinem præſtantium, quibus generoſi ac meri potum, alvíque conſtipationem ferè aſſiduam adnumero. Craſſus indè ſuccus in venis collectus, quem neque lien abſumpſit, neque hæmorrhoides exhauſerunt effuderúntque, occaſionem malo ac periculo huic materiam dederunt.

Scirrhus in cancrum facilè degenerat.

Ad curationem quod attinet, nota eſt ac meritò probanda Galeni methodus, quâ ſe incipientem cancrum curâſſe gloriatur. Caveat igitur ſibi Dominus Patiens à carne bubula, leporina (lepuſculos teneros excipio) porcina, cervina, ac omnibus ſale conditis, fumóque ſiccatis, carnibus, ac piſcibus, leguminibus, à braſſica ſive recenti ſive condita, paſtilibus, caſeo, aceto, allio, ſinapi, raphano. Aromatum uſus ſit parciſſimus, in carnibus eligat vitulinas, hœdinas, gallinaceas, aviúmque ſylveſtrium. In piſcibus lucios minutiores, thymalos, trutas, percas, fundulos; à reliquis abſtineat, ſicut & à cancris. Vtatur quotidie hordeo ad diſſolutionem cocto, nunc ex jure carnium, nunc ex lacte Amygdalino. Pruna Vngarica, poma, & pyra cocta poſſunt admitti; paſſulæ quoque tam majores quàm minores non erunt inutiles. Tempore jejunij Amygdalis, nucleis Pineis ac Piſtaceis vires ſuſtentet. Pane utatur triticeo, ſecalinum repudiet; potus ſit vinum Neccaricum oligophorum; à vigilijs nimiíſque ſtudijs ac curis ſibi temperet; maximam rationem alvi habeat; in eum uſum jurulenta præmittantur ſolidis, ac ſuo tempore olera lenientia ac humectantia, ut ſunt Spinachia, Atriplex, Beta, Lactuca, Borago, Bugloſſum, Lapathum. quibus ſi nihil perficeretur, evporiſton aliquod ad manum ſit paulò efficacius, ut ſunt pruna dulcia Vngarica in aqua decocta, unciolâ unâ Mannæ dulcorata, cum quibus interdum aliquid Senæ linteolo incluſæ ebulliat; vel paſſulæ hunc in modum, ut Romæ fieri ſolet, parentur.

Paſſulæ laxativæ Romæ uſuales.

℞. *Paſſularum minorum vino albo lotarum* ℔ß.
Conijce in ollam fictilem, adde
Senæ ſelectæ in linteolo ligatæ ℥iß.
Affunde *aquæ fontis* quantum ſatis ſit ad cooperiendas

operiendas *paſſulas*, & ſacculum; coquantur ad quadrantem horæ, ſtent in loco calido 5. vel 6. horis, Paſſulæ abjecto ſacculo ſerventur uſui.

Placet & Alexandri Petronij electuarium. Nec minùs gratum ac paulò efficacius eſt Diaprunum noſtrum, quod ita conficitur.

Diaprunum Mermanni.

℞. *Foliorum Senæ* ℥j.
Zinziberis ℈iiij.
Galangæ ℈ij.
Cinnamomi ʒj.
Omnia decoque in ℔ij. ℥iij. *aquæ* ad conſumptionem medietatis, ſtent per noctem, manè colentur cum modica expreſſione, in colatura diſſolve
Pulpæ Prunorum dulcium ℥ijß.
Decoque ad formam electuarij.

His auxilijs horâ unâ ante cibum utendum; at doſi non magna, ne venter ſæpius fluens, inteſtiniſque evacuatis majorem adſtrictionem patiatur; quem interdum clyſtere ex ſolo oleo humectare ac emollire, non erit inutile. Iſtis contentus finem Brumæ exſpectet, ſolâ Hierâ Pachij ſemel in menſe aſſumptâ. Menſe Martio de accuratiori cura & topicis agemus.

CONSULTATIO XX.

PRO

EODEM VIRO ADMODUM REVERENDO.

Ad Cariſsimum Philippum Menzelium.

EXcelleentiſſime Domine Menzeli, audio cum ſumma animi moleſtia, morbum Domini N.N. noſtri creſcere potiùs, quàm minui; tumorem indurari magis quàm molleſcere; dolorem lacinantem ardorémque inſignem acceſſiſſe; quæ remedia haud paulò validiora flagitare videantur. Topica ab authoribus claſſicis commendata innumera ſunt. Abs mora puto oleum Roſatum omphacinum in mortario plumbeo diu agitatum abs te propoſitum adhiberi poſſe, cum ſucco Solani, Plantaginis aliarúmque ſimilium; ſicut & ranæ & Lenticula Paluſtris, quæ ſi hoc tempore ad manum non ſint, olea de ranis &

limacibus

limacibus non modò dolorem lenire, ſed etiam mediocriter repellere & digerere creduntur, quæ fortè Auguſtæ vel Norimbergæ in pharmacopolijs parata invenirentur. Laminam plumbeam hydrargyro oblitam, quam ad cancrum mammæ Nobili Fœminæ Hollerius & Paræus olim Pariſijs propoſuerunt, ego in topho duro calcanei, Nobilem Virum affligente, felici cum ſucceſſu olim ſum expertus. Deinde autem in ſimili affectu tibiæ honeſti Viri & Puellæ cujuſdam, minore cum efficacia, adhibui. calcaneum rubificavit eâque ratione ſtrenuè profuit; in alijs dum idem non præſtitit, minorem quoque fructum attulit, dolorem tamen manifeſtè ſedavit. Itaque ſi oleum Roſatum commemoratum inefficax ſit, plumbi laminâ hydrargyratâ ab Heurnio in hoc affectu propoſitam, quâ malignorũ ulcerũ alexipharmacũ eſſe Guido Cauliacenſis teſtatur, attentari poſſe exiſtimo. Quod Theodoſius in epiſtolis de Eryſimo ſcribit, id ſcilicet cancro non ulcerato utiliter adhiberi, ego hactenus non ſum expertus, qui ut ingenuè fatear, Hippocratis oraculi nuſquam immemor, *occultos* ſcilicet *cancros non curandos*, topica auxilia ferè ſuſpecta habeo; non neſcius, totam curationis ſpem in repellentibus eſſe poſitam.

Plumbea lamina hydrargyrata ad cancrum utilis.

Verùm cum leviter repellentibus humor craſſus non cedat, leviter autem reſolventibus non digeratur, deinde valde repellentibus magis conculcetur, ac plurimùm reſolventibus tenuiores duntaxat craſſi humoris partes diſcutiantur, relictis terreſtribus, idcirco in localium remediorum delectu facilis eſt lapſus, quem quidem pertimeſco, in loco præſertim cordi tam vicino. Scio per occultos cancros intelligi non ulceratos & non ſuperficarios, hic verò humor, cùm occultus non ſit, ſed tuberis inſtar propendeat, è numero eorum, qui curare non debent, omnino videtur eximendus. Sed de topicis nunc ſatis.

Memini me pulvere, ſanguinem mirum in modum repurgante, qui è Sarſæ pariglię partibus duabus, una Senæ Alexandrinæ & pauxillo Tamariſci, Zingiberis, & Macis conſtat, antiquam ſcabiem cruſtoſam ac melancholicam, córpore priùs probè purgato, feliciter ſanâſſe. Sperarem igitur, eundem noſtro quoque Domino Patienti, præmiſſa evacuatione, quæ conveniens ac ſufficiens videretur, per Hieram Pachij, vel potione ex Helleboro, melle Roſato, & Manna, vel Hellebori extracto, quod penes me habeo, non parùm profuturum cenſeo, cùm ipſe aliquoties uſus fuerim. Pluribus diebus manè ex ſero lactis caprini epotam Senam nemo non laudaverit; Sarſæ uſque adeò calida non eſt, cum Cornelius Gemma in febribus ejus decoctum propinare non reformidet. Subijcio hæc Doctiſſime Menzeli tuæ cenſuræ, tibique veterem amicum communémque commendatiſſimum eſſe cupio. Vale.

CON-

CONSULTATIO XXI.

DOLOR CIRCA SPINALEM MEDULLAM, INTER UTRAMQUE SCAPULAM, A FLATU TENUI EX PITUITA, ET MELANCHOLICO SUCCO ORTUS.

PRO

VIRO ILLUSTRISSIMO.

Ad Medicum quendam.

QUæ in humano corpore malorum ilias à flatibus progigni poſſit, id & Excellentia Tua novit optimè, & ipſe non ſolùm ex Hippocratis libello *de flatibus* ſcripto nec non è recentioribus Medicis, ac præcipuè Joanne Fieno rem iſtam ex profeſſo pertractante, verùm etiam longâ experientià in Medicina factitanda didici, atque adeò in me ipſo, proh dolor! ſatis ſupérque obſervavi: aſſeveranter autem pronuncio ac ſtatuo, intenſum illum dolorem, quo Illuſtriſſimus Dominus N. N. noctu corripitur, ad flatum partes ſenſibiles, dum exitum ſibi parant, diſtrahentē, omnino referendum eſſe. Indicium hujuſce rei minimè fallax eſt, quòd dolor uno in loco fixus nō ſit, ſed aliā ſubinde ſedem vagabundus quærat, ac facilè à frictionibus leviuſculis miteſcere ſoleat. Porrò flatum iſtum nequaquam craſſum nebuloſum, frigidum & quieſcentem, cujuſmodi in ventris aliarúmque partium tumore doloris experte ſubeſt, ſed tenuem valde, ſubtilem, atque inquietum eſſe arguit. Flatus etiam à calore intenſo ſuſcitantur.

Ad cauſas quod attinet, materiam ejus, cruditatem, pituitam ac ſuccum melancholicum eſſe, effectricem verò, calorem ſatis vehementem, ac præter naturam, minimè dubito. flatus enim non à mediocri ſolùm, ſed ab intenſo quoque calore, craſſos ſuccos dilatante, fieri, cùm alij multi, tum verò Galenus noſter 12. Meth. ſcriptum reliquit; atque in doloris ab ea cauſa excitati vehementia curanda, remedia valenter excalfacientia jure optimo improbat; quòd ſcilicet materiam attenuent & liquent; digerere verò & abſumere dum propter obſtructionem nequeunt, cruciatus augeant. Hæc mea eſt de cauſa iſtius doloris ſententia.

Curatio cauſæ materialis ablationem, ſucci flatum ſuppeditantis vacuationem requirit. Cæterùm vacuari is non poterit, niſi,

accurata ac frugali victûs ratione, nova ejus collectio præcaveatur; ſobriè igitur omnino vivendum, ac cœna prandio parcior inſtituenda. In cibis qui & difficilè concoquuntur & facilè corrumpuntur, & ſuccum quoque pituitoſum ac melancholicum præſtant, fugiendi. ſcribo hæc, non ut te moneam; ſed ut Illuſtriſſimus Dominus, quanti è momenti ſint, ex me quoque intelligat. In medicamentis, quorum auxilio planè hîc opus eſt, hæc, quæ ſubijciam, vel his ſimilia mihi probantur. Primùm Bolus iſte, ex *Specierum Hieræ, Pulveris Senæ Montagnanæ ana* ℥j. horis duabus ante prandium porrectus. Deinde *Oxymellis ſimplicis, Mellis Roſati, Juris Zinziberis conditi ana* ℥vj. una doſi ex cochleari, ſine liquore, duobus vel tribus diebus, ſummo manè, porrigantur, ad inciſionem & coctionem materiæ. Hæc ſequatur alius bolus hunc ferè in modum conciñatus.

Bolus purgans.

℞. *Specierum Hieræ Pachij* ℈ijß.
Hieræ ſimplicis ʒß.
Aloës Roſatæ ℈ß.
Specierum Eleſcophi grana vj.
Porrigatur 4. horis ante prandium. repetendus, ſi opus videtur, præmiſſo digeſtivo.

His aſſumptis, ſi dolor fortè non diſpareat, vinum medicatum propono, ſic parandum.

Vinum medicatum.

℞. *Foliorum Senæ electæ* ℥j.
Specierum Eleſcophi,
Agarici trochiſcati ana ʒij.
Comæ Abſinthij vulgaris,
Cardui benedicti,
Florum Anthos,
Chamæmeli ana Mß.
Galangæ inciſæ & conquaſſatæ ʒß.
Excipiantur ſindone, fiat ſacculus infundendus ℥xxx. *vini albi*, de quo manè, circa horam ſextam, poſt aſſumptum modicum juſculi caponis, idque ſequentibus diebus ex intervallo, quod Excellentiæ Tuæ juſtum videbitur, aſſumat.

De diſcutientibus ac roborantibus hoc tempore nihil ſcribo, tum propter feſtinationem; tum verò maximè, quod Excellentiam Tuam in arte Medica nihil lateat. Vale Vir Doctiſſime, méque mutuum perpetuò ama. Monachij 1 5. Auguſti. 1600.

* * *

CON-

CONSULTATIO XXII.

TUMOR PITUITOSUS LATERIS, ET DOLOR COXENDICUS.

PRO

REVERENDO QUODAM RELIGIOSO.

QUæ doctiſſimus Dominus Bartholomæus Merclinus de coxendico; aliisque doloribus Reverendum Patrem affligentibus, ac de eorum cauſis & remedijs ſcripſit,ea omnia recta ratione nituntur, atque proinde à me meritò approbantur. Dubitat de tumore, in quem ſupremæ coſtæ, lateris dextri nonnihil elevatæ conſpiciuntur, an ſcilicet ab interno abſceſſu fiat? deinde per quas vias materia tumoris cauſa fluxerit? Ego de interno abſceſſu nihil ſuſpicor, ac Reverendum Patrem de ejus metu libero; materiam verò per venas intercoſtales ſuperiores coſtas nutrientes in locum irrepſiſſe, nihil dubito; tumores autem ejusmodi ſæpe vidi, ſanatu admodum difficiles ob materiæ craſſitiem,quæ interdum ſub perioſtio hærens, nonniſi ſuppurata parte evacuatur.

Quòd remedia rectè hactenus adhibita,mala iſta extirpare non potuerint,non me terret,ut ea profligari poſſe deſperem; quin potiùs ſudorificam curationem per decoctum Sarzæ, Guajaci, & momenti Saſſafras repetendam; vel hoc tempore vel ineunte vere; ſuaſerim, præmiſſis præmittendis, ac levibus purgatiunculis, durante therapiâ hydroticâ,ex brevibus intervallis,quarto ſcilicet quoquo die, interpoſitis: quem uſum pilulæ Maſtichinæ,aut aliæ his ſimiles præſtabũt. Curà ſudoriſera.

Porrò ad abſumendam paulatim corporis cacochymiam, ejusque apparatum deinceps præcavendum, tria hoc loco proponenda occurrunt auxilia. Primum ad victûs rationem, alterum ad pharmaciam, tertium ad chirurgiam pertinet. In diæta quod moneam eſt,ut Reverendus Pater pauciori cibo utatur, & corporis exercitio majore ac frequentiore; ſcribit enim Hippocrates; *morbos fieri, cùm vel labor alimentum ſuperat, vel alimentum laborem.* Rectè autem Dominus Doctor ſuſpicatur ventriculum Reverendi Patris plus cibi appetere,quàm concoquere perfectè poſſit; vitanda igitur ſatietas, ac bonæ coctioni ſtudendum,corporis etiam exercitatio; prima coctione peracta, inſtituatur quotidie; lectione clara & ambulatione. In purgantibus laudo,ut impoſterum Rhabarbaro ſæpè utatur, ejúſque particulam dimidiæ drachmæ (plus minùs) jejuno ventre mandat

cùm paucis paſſulis ac deglutiat: hujus enim uſu longiore,cerebrum, ventriculus, & jecur blandè repurgata, roboris non parùm conſequentur. Tertium præſidium eſt, ut utrique cruri in parte interna (domeſticam vocant) ſupra genu,loco idoneo,cauterium, ope ſeptici medicamenti, imprimatur, ut noſtri probè nôrunt chirurgi; per hæc ulcuſcula,anni unius ſpatio,tantùm materiæ effluet,quantum nemo facilè credet,ac proinde revellendo ac vacuando, ſucceſſu temporis, plurimùm profutura nemo dubitaverit.

In loco pectoris tumefacto emplaſtrum impoſitū geſtabit hunc in modum paratum.

Emplaſtrum ad tumorem externum pectoris.

R. *Terebinthinæ claræ* ℥iij.
Reſinæ Pini albi ℥j. ʒij.
Gummi Elemi ʒvj.
Sanguinis Draconis ℥iij.
Ariſtolochiæ longæ ʒij.
Coctum malaxetur, manibus imbutis
Axungiâ Thymali,
Cocturæ adde
Ceræ Citrinæ ℥iij.

Dictatum Monachij. 25. Octobris 1603.

CONSULTATIO XXIII.

COXENDICUM DOLOR, PERVAGANS CRUS DEXTRUM.

PRO

QUODAM VIRO HONESTO.

AD dolorem coxendicum ſequentia ſuadeo: primò pulverem purgantem cum juſculo non ſalito ſumat, diem dein quieti interponat, ac tertio venam ſibi in dextro brachio manè, poſt prandium in pede ſecari curet. quibus peractis òleo partem calidè inungat, ac emplaſticum benè calidum ſuperponat, faſciâ, fumum Maſtiches priùs excipiente, deligatum ne decidat; & ſingulis duodecim horis renovandum. alvum ſubſequenti clyſmate etiam aliquando, ubi opus videbitur, irritabit. ſequuntur remediorum formulæ.

Purgans pulvis.

R. *Radicis Mechoacannæ* ʒj. ℈ß.
Zingiberis grana v.
Miſce fiat pulvis.

R. *Olei Vulpini* ℥iiij.

R. *Galbani*

℞. *Galbani in aceto acerrimo ſoluti* ℥ij. Cataplaſma.
Vitellorum ovorum N°. ij.
Stercoris bovis ℥ijß.
Pulveris Maſtiches ʒiij.
Olei Vulpini qſ.
Miſce fiat cataplaſma.
℞. *Herbarum Malvæ* Mj. Clyſma.
Centaurij minoris,
Florum Chamomillæ,
Meliloti,
Anethi,
Verbaſci ana Mß.
Seminis Lini,
Aniſi ana ʒij.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℔j. in colatura diſſolve
Electuarij Hieræ Pachij,
Simplicis ana ʒiij.
Sacchari rubri ℥iß.
Olei Chamæmelini ℥ij.
Anethi ℥j.
Salis ʒß.
Miſce fiat clyſter.

CONSULTATIO XXIV.

FEMORIS DOLOR PERTINAX.

PRO

VIRO NOBILISSIMO.

Dolor iſte morbi ſymptoma eſt, ſeu effectus morbi; effectum hunc producens ſolutio rempe continui, cujus cauſa eſt materia pituitoſa, bilioſum tenuem & acrem humorem,qui ipſi vehiculi inſtar eſt,habens. humor iſte è loco dolente,ſcilicet,è perioſtio ſeu membrana os femoris veſtiente vacuandus, ſed & ſimul ne novus ſuccreſcat curandum. antecedens item cauſa interna, ne ad partem affectam è capite fluat, cavendum, cerebro moderatè ſiccato, roboratóque; fieri id nequit, niſi toto priùs corpore ritè evacuato: cùm particularibus evacuationibus univerſi corporis depletionem præmittere ſit neceſſe. Vacuabimus totum corpus primùm victûs ratione frugali, quæ evacua-

 tio per

tio per accidens dicitur, deinde medicamentis. Phlebotomiæ nulla hoc tempore neque neceſſitas eſt, neque occaſio. Remed[illegible] formulæ & ordo eſt iſte. primum locum obtinet bolus.

R. *Specierum Hieræ ſimplicis* ℈ij.
Aloës Roſatæ ℈j.
Specierum Eleſcophi grana vij.
Miſce & cum *aqua Cinnamomi* fiat bolus, qui nebulis involutus offeratur duabus horis ante prandium, ſuperfundendo
Iuris Zingiberis conditi ℥j. vel q. ſ.

Bolus fiat iſte in ædibus Domini Patientis, ne indureſcat. Hunc excipient duæ præparantes potiunculæ, ſummo manè ſumendæ, à quarum uſu bolus repeti poterit; niſi priùs largiter ſatis alvum moverit.

Digeſtivum.

R. *Mellis Roſati,*
Oxymellis ſimplicis ana ℥j
Diluantur *juſculo pulli* non ſalito, fiat brevis potio, ſummo manè bibat.

Indè dormiat Dominus Patiens, quamdiu lubebit. præmiſſa hac primæ alvinæ regionis deterſione, materiæ partim attenuandæ coquendæque, partim vacuandæ & modeſtè è corpore educendæ operam dabimus; ſumpto in triduum apozemate; à cujus uſu quies unius vel alterius diei interponenda. ac poſtmodum catapotia xv, vacuando capiti decreta, ſummo manè devoranda, & ſomno; ab illis acceptis, unâ horâ indulgendum.

Apozema cephalicum laxans.

R. *Calami Aromatici,*
Zinziberis,
Pæoniæ ana ℥j.
Polypodij querni ℥ß.
Foliorum Senæ electæ ℥iß.
Paſſularum ℥vj.
Florum Stœchados,
Chamæpityos,
Salviæ,
Anthos,
Betonicæ ana Pj.
Decoquantur in *aquæ fontanæ* ℥xx. ad tertiæ partis conſumptionem, ſtent per noctem, manè fiat colatura ad ℔j. in colatura diſſolve
Syrupi è Betonica,
Stœchade,

Oxymellis

Oxymellis Scyllitici ana ℥iß.

Miſce fiat apozema ad tres doſes.

R. *Maſſæ pilularum Maſtichinarum,*
Cochiarum ana ℈ij.

Cum *aqua Betonicæ* fiant pilulæ N°. xv. deaurentur.

His auxilijs ſpero corpus ad alias evacuationes, quas hydroticis ſeu ſudorificis fieri velim, ritè præparatum fore. Ad ſudorem tempore matutino eliciendum ſumi velim ſeptem vel octo uncias potûs mox deſcribendi; ab eo calidè aſſumpto dormiet, ſi poteſt Dominus Patiens, circiter horam, deinde ſudorem vel in lecto vel in domuncula illa, in eum uſum facta, blandè elicere tentet, ſemel die tota.

Cura ſudorifera.

R. *Scobis Ligni Guajaci* ℥ijß.
Radicum Chinæ ʒijß.
Saſſafras limati, & in craſſum pulverem redacti ℈iiij.

Infundantur in menſuris duabus Auguſtanis *aquæ fontanæ.* ſtent per noctem, manè coquantur lento igne, vaſe contecto, ad conſumptionem medietatis, ubi refrixerint, colentur pro hauſtu matutino ſudorifero.

Ad menſam frugalem bibat ſecundarium decoctum palato, ut ſpero, non ingratum futurum.

Decoctum ligni ſecundarium.

R. *Scobis Ligni Guajaci reſidui,*
Radicis Chinæ ℥j.
Saſſafras ℥ij.
Cinnamomi ℥ß.
Paſſularum ℥j.

Conijciantur in vas fictile vitreatum, affundantur *aquæ fontis* ℔xviij. vaſe probè contecto coquantur in Balneo Mariæ ad ſex horas. refrigerata colentur pro potu ordinario.

Theriaca ante decoctum ligni ſumenda.

Manè ante hauſtum ſudoriferum, ut devoret Andromachi theriacæ veteris ℈ij. móxque ſudorificum ſuperbibat ſuadeo, ſed alternis duntaxat diebus. Ad ſudorem evocandum decoquantur Origanum, Serpyllum, Hyſſopus, Meliſſa, Betonica, folia Lauri, Roſmarinus, Salvia, flores Chamomillæ, Meliloti, Roſarum, vapore decocti iſtarum plantarum calidi corpus incaleſcat, vel lateribus ignitis in eodẽ extinctis. Sudore manante deſtricetur locus doloris ſmegmate tali.

Balneum vaporarium.

Smegma ad dolentem partem fricandam.

R. *Granorum Juniperi maturorum* ℔j.
Saponis Veneti raſi ℔ß. vel ℥iiij.

Miſce

Miſce & affunde vini deſtillati ℥iij. contundantur ad formam pultis pro linimento.

Smegma hoc detergatur ſpongiâ, decocto calido herbarum jam dictarum imbutâ & expreſſâ, atque mox oleis ſequentibus calidè inungatur, fricetúrque.

Oleum pro inunctione.

℞. *Olei è Lateribus,*
De Piperibus,
Euphorbio,
Caſtorio ana ℥j.
Vini deſtillati ℥ij.
Miſce.

Indè in lectulo quieſcat ad prandij uſque horam, ad quod niſi horâ vel ampliùs elapſâ non accedat. Dum therapiæ vacat, alvi rationem diligentem habeat, imò quotidie aliquid alvum blandè ſubducens ſumat, doſi perexigua. convenientes huic rei erunt pilulæ Maſtichinæ Conciliatoris vocatæ, quarum ℈j. alternis ſaltem diebus horâ unâ ante prandium ſumetur. Cæterùm in lectulo, peracta ſudatione, caput fricetur ad horæ quadrantem, ſacculis calidis ita compoſitis.

Sacculi ad fricationem capitis ejúſque exſiccationem.

℞. *Milij non decorticati* ℔ß.
Seminum Aniſi,
Fœniculi ana ℥j.
Foliorum Salviæ,
Betonicæ,
Roriſmarini,
Majoranæ ana Mj.
Florum Stæchados,
Chamæpityos,
Primulæ Veris ana Pij.
Specierum Diambræ ʒß.
Miſce fiant ſacculi.

Atque hac methodo Nobiliſſimum Virum meliùs habiturum omnino confido &c.

CONSULTATIO XXV.

ARTHRITIS.

PRO

ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO VIRO.

Præmittitur Caſus ex Italia tranſmiſſus.

ILluſtris & Celſiſſimus Dominus N. N. ante biennium poſt febrem quatuor menſium, incidit in tumorem pedis cum inflammatione & ulcere. Tempore verno (ex-

no (exacta hyeme) ſupervenit dolor pedis dextri acerbiſſimus, qui mox ſedatus ſiniſtrum invaſit, pedes doluerunt, ſed & ſimul caput continuò. Autumno rediit dolor pedum cum oris tortura: unde factum cauterium in ſiniſtro brachio. menſe Februarij dolor genu utrumque invaſit acerbiſſimus; tandem præter genu & cubitum & digitos manuum invaſit dolor. Hac hyeme rediit dolor ſed mitis; unde ſperat per curationem ligni Guajaci ſe ſanatum iri, ut ſanatus fuit Cardinalis N. N. Medicus aſſiſtens laudat magis Chinam quàm Guajacum; niſi ſit ſuſpicio morbi Gallici, ſed putat non poſſe deliteſcere morbum Gallicum per multos annos. Timet Æger lignum Guajacum propter ſiccitatem, Æger eſt hypochondriacus, damnabat medicamenta valida Mercurialis, irridens Chinam & Lentiſcum; laborat ventoſitatibus.

Caſus & hiſtoria,

SEQVITVR RESPONSVM.

PRiuſquam remedia prophylactica arthritidis, quâ Illuſtriſſimus ac Celſiſſimus Dominus conflictatur à biennio, proponam, methodus poſtulat, ut indicationes ſeu opera ad præcautionem præcipuè neceſſaria in medium adducantur.

De ſcaturigine, unde promanet ſuccorum copia in articulos effuſa non eſt definitum ſatis à Medicis: Neoterici aliqui ſpretâ Galeni ſententiâ ſolùm cerebrum incuſant, ac proinde juſtis temporibus rariùs morbum hunc ſanari cenſent, quòd nimirum neglectis capitis remedijs, mali fons non exhauriatur; ſed non eſt loci hujus ea de re diſputare.

Arthritis rariùs curatur, quia caput tanquam fonsnegligitur.

Ego ſententiam fluxionum cur in capite Nobiliſſimi Viri ſtatuam, multis adducor rationibus, quas à doctiſſimis ejus Medicis conceſſum iri nullus dubito: verbulo dicam. Præceſſit pedum dolorem ac tumorem longus & continuus capitis dolor, acceſſit ad hunc oris tortura, taceo ſtudia, labores, fortè & Veneri pluſculum indulſerit, capiti hæc quoque adverſa ſint, ignorat nemo. Capiti igitur ab humoribus ſupervacaneis vacuando, ſiccando, roborandóque operam dandam, de articulorum imbecillitate non admodum laborandum cenſeo.

Indicationes

Cæterùm fieri hoc cùm nequeat, quin univerſo corpori provideatur, unicè ante omnia ſtudendum, ne neglecta vivendi ratione impuritas in ventriculo, meſenterio, hepate, totóq; venoſo genere collecta ad cerebrum vel rapta, vel diſtributa, ab eiúſque hebetato calore ægrè cocta & evicta, excrementis materiam ſuppeditet, quæ uti & vapores in cerebrum ſubuolantes, in humorémque concreti mox in ſubjectas partes exangues ac languidiores, pluviæ inſtar decidant,

acredine ſua mordicantes, ac copiâ diſtendentes, divellentéſque dolorem ingentem excitent.

Facta iſta totius inferioris œconomiæ proviſione ſedula ac ſeria, ſperare auſim, non fore arthritidem in hoc corpore magnopere pertimeſcendam.

De ſex rebus nonnaturalibus Virum prudentiſſimum quod moneam, parùm habeo. Vnum ſuſpectum eſt vinum, quia ſanguinem & humores fluxiles reddit, & caput, quod morbi fontem ſtatuimus, petit & lædit, aceſcit, humorúmque crudorum eſt vehiculum, ſi ſine noxa eo, ſaltem uno vel altero anno carere Vir Nobiliſſimus poſſet, ſubſtituta aqua aliqua pro palato eius decocta ad præſervationem conduceret plurimùm. Gattinarium Medicum ſexagenarium arthritis prehendit, qui ſolâ vini abſtinentiâ ad annum octogeſimum ſecundum indolenter vixit, aquâ in potu contentus, cui Maſtiche, Coriandrum & Paſſulæ incoquebantur. Ego pauxillum ſcobis ligni Guajaci vel Saſſafras præferrem, hunc in modũ aquæ incocta: ſumantur ligni Saſſafras limâ in craſſum pulverẽ redacti drachmæ duæ, imponantur vaſi ſtanneo, affundantur aquæ fontanæ ℔viiij. vas probè contectum imponatur aheno aquæ pleno, coquatur ſex horis, deinde ubi refrixerit, coletur; aqua aſſervetur uſui, ſi fortior videbitur poſt factam colaturam, ligno ſemel decocto rurſus affundantur aquæ fontis ℔iij vel ℔iiij. coquendæ ut dictum; confundantur iſtæ aquæ in potum quotidianum, ad lignum Saſſafras ſemiuncia Guajaci vel paulò minus addi poſſet, vel etiam ſolum Guajacum ad quinque vel ſex drachmas, cùm totidem drachmis Cinnamomi in ℔viiij aquæ decoqui poterit, additis (ſi placet) paucis Paſſulis. Aquæ iſtæ ventriculo erunt innocuæ ſicut & flatibus hypochondriacis, quos timet.

Vinum in arthritide ſuſpectum, quia humores fluxiles reddit.

Vini abſtinentiâ aliqui curati.

Aqua pro potu ordinario in arthritide.

Inſtituta ac diligenter obſervata recta victûs ratione; de excrementorum, quæ etiam cautè viventibus ſuccreſcere ſolent, vacuatione cogitandum. Ab aluum validè & laborioſè ducentibus rectè cavendum cenſebat Excellentiſſimus Mercurialis, cui & ipſe aſſentior. Laudo decoctum Sennæ, Agarici, Epithymi, Polypodij ad diſſolvendam Mannam, Mel Roſatum laxativum, & Rhabarbari pulverem; laudo electuarium lenitivum Florenzolæ, Diacatholicon, pauxillum Diaphœnici; nec diſplicet drachma una pulveris radicis Mechoacæ optimæ additis granis aliquot Zinziberis & Cinnamomi ex juſculo carnis. Evacuantia ſudorifica ex decocto ligni Guajaci Chinæ & Sarzæ vix unquam obſervavi multùm profuiſſe, non tamen ea improbo, cùm & capitis intemperiem humidam corrigere, & viſcera nutritioni dicata calefacere, ac roborare queant, neque eſt cur Guajacum doſi non magna Chinæ & Sarzæ additum timeat, inanis is metus eſt.

Catharctica nociva.

Evacuantia ſudorifica vix unquam profuiſſe obſervatũ eſt.

Laudo

Laudo ſummopere, ut interdum manè è ſomno expergefactus in lecto ſudori, ſi is ſponte, aut ſine difficultate erumpat, nullo aſſumpto medicamento indulgeat. In æſtate ad ſeroſos & ſuperfluos humores in ſanguine abſorbendos laudo hunc pulverem.

Pulvis ſpecificus in fluxionibus arthriticis.

R. *Cornu Cervi crudi* ℥j.
Uſti,
Raſuræ Eboris ana ℥ß.
Oſſium de crure Bovis ʒij.
Corallorum rubrorum,
Alborum ana ʒj.
Cinnamomi electi ʒiß.
Sacchari albiſſimi ℥iij.
Miſce fiat pulvis.

Sumat quantum cochleare unum capere poteſt, tribus horis ante prandium.

In hyeme ſemel atque iterum in menſe ʒß vel ℈ij Mithridatij manè ante ſudorem devoret ſuperbibens aquæ Carduibenedicti tres uncias & unam vini albi.

Capiti evacuando conveniunt errhina & apophlegmatismi, quorum magna eſt ſylva nota omnibus. Mihi arrident ſimpliciſſima, qualis eſt Maſtiche maſticata, manè jejuno ventre dimidiæ horæ ſpatio; ſuccus item Betæ cum aqua Sampſuchi expreſſus è vola manûs naribus attractus, quater vel quinquies manè. Interdum lavet caput lixivio dulci, cui herbæ caput roborantes ſint incoctæ, quales ſunt Betonica, Polytrichum, Majorana, Roſmarinus, Salvia, Roſæ, flores Chamæmeli, folia Senæ & Agaricus. poſt capitis lotionem è conclavi non egrediatur. In hyeme præſtiterit à lotione abſtinere, cucupham geſtet ex floribus Roriſmarini, Salviæ, Betonicæ, herbæ Paralyſeos, Origani, Stæchados, herbæ Majoranæ & ſpeciebus Diambræ conciñatam. Articulis confirmandis novit conferre plurimùm vinacea, in quem uſum utiliter quoque parabitur pedum lotio, in hyeme ex vino, in quo coctum ſit Guajacum, Iva, Chamædrys, Ebulus, Salvia, & Conſolida Sariacenica addito Sale & pauco Alumine. Excellentiſſimi Medici cauterium ſiniſtro brachio prudenter impreſſerunt, huic alterum in dextro convenientiſſimè accederet, dictu incredibile quantum cerebri rheumatiſmis ad inferiora derivandis duo iſthæc ſpiracula temporis ſucceſſu ſint commoda-tura. Etſi enim brachia debilitabunt nonnihil, juvabunt tamen fluxione interceptione plurimùm, cùm & præſertim recens ſit morbus, & corpus in ipſo ætatis flore conſtitutum, in ſene & membris jam valde enervatis ipse non urgerem.

Vinacea.

Fonticuli.

Vena in anno, niſi quid prohibeat, bis incidatur ineunte Vere in dextro, tempore autumnali in ſiniſtro brachio. Appendicis

loco addam hîc pilulas ad morbum hunc evellendum hoc modo conficiendas.

Pilulæ,

℞. *Myrrhæ,*
Ligni Agallochi,
Cinnamomi,
Maſtiches,
Aloës,
Rhabarbari ana ℥ij.
Moſchi grana v.

Cum vino aromatico fiat maſſa de qua formentur pilulæ N°. xxxvj.

Sumatur hoc ordine, primâ ſeptimanâ capiatur una per horam ante cœnam: alterâ ſeptimanâ capiatur alternis diebus, tertiâ bis in ſeptimana, quartâ & ſequentibus ſemel, donec omnes pilulæ abſumptæ fuerint.

Dyſenteria remedium eſt podagræ.

Scribit Hippocrates dyſenteriam remedio eſſe podagræ, hinc colligere licet, quanti momenti ſint ad morbi hujus præſervationem purgationem purgationes crebrò & ex brevibus intervallis repetitæ, ſive illæ in pilulis, in pulvere, electuario, ſive alijs porrigantur formulis. Si pilulæ ob metum hæmorrhoidum ſint ſuſpectæ, familiare ſibi habeat iſtud: folia Senæ electæ ad drachmas 3. vel 4. cum modico Zinzibere inciſo linteolo includātur, coquantur cū duodecim prunis Damaſcenis in aqua fontana, donec remaneant juris ſex; vel ſeptē cochlearia, abjecto ſacculo addatur cochleare unū Sacchari, ſumatur jus cū prunis in prima menſa ſemel in hebdomade, ſingulo quoq; mēſe leve aliquod phlegmagogum utiliter ſumetur, tale eſt pulveris Mechoacæ drachma una vel panis Martius ex eo ſic parandus. Accipiatur radicis Mechoacæ ℥i. Amygdalarum dulcium, Sacchari albiſſimi ana ℥iij. cum aqua Roſarum fiat paſta lege artis, ſumat ℥j. vel amplius ante cibum duabus horis. Spero DEO propitiante iſtis remedijs & præcipuè vini abſtinentiâ & Veneris moderatione morbum hunc Nobiliſſimo Viro deinceps non fore moleſtum. Quòd ſi verò redierit (id DEUS avertat) alia remedia hiſce efficaciora me propoſiturum polliceor. Monachij die 18. Maij. 1611.

Pruna laxatiua.

CONSULTATIO XXVI.

ARTHRITIS.

PRO

REVERENDO QUODAM PATRE CAPUCCINO.

ARthritidis, quâ Reverendus Dominus Pater vexatur, cauſæ ſunt juncturarum debilitas, hoc eſt frigida diſpoſitio, à frigore, quod in itinere hyemali tempore

eſt paſſus

eſt paſſus, contracta; humorum item vitioſorum ad articulos confluentium copia; ſunt illi heterogenei, bilioſi nimirum & pituitoſi, cum multo ſero commixti. Vtrùm verò è capite defluant, an è venoſo genere inundationis inſtar ad extrema deriventur, mihi non ſatis conſtat, ſuſpicor autem non ſine magna ratione, uti corpus totum cacochymiâ refertum eſt, ita & caput ab excrementis pituitoſis immune non eſſe, quæ verò ad malum iſtud abigendum remedia mihi maximè probentur, paucis exponam. Corpus, præſentis Medici conſilio, exactè vacuetur, tam medicamentis quàm phlebotomiâ, idque factum jam eſſe ſperaverim; ſin minùs, haſce ego propono purgantium ac præparantium formulas. Arthritidis cauſæ.

Ad communes vias ſeu primam corporis regionem repurgandam.

R. *Foliorum Senæ* ℥ß. Potio purgans
Seminis Aniſi,
Zinziberis ana ℈j.
Paſſularum ℥ß.
Decoquantur in ℥viij. *aquæ* fontis ad tertiæ partis conſumptionem, colaturæ poſt 10. horas factæ
R. ℥iiij.
In his diſſolve
Mannæ ℥ij.

Ab ea aſſumpta quieſcat uno die, deinde vena incidatur baſilica dextri brachij, diebus ſequentibus offeratur hoc præparans. Venæ ſectio.

R. *Syrupi è Betonica*, Præparans.
Mellis Roſati ſimplicis,
Oxymellis ſimplicis ana ℥v.
Diluantur ℥iiij. decocti *Betonicæ*, *Boraginis*, *Cichorij*, ſumatur horâ matutinâ tribus diebus, poſtea
R. *Mannæ* ℥ijß. Purgans.
Electuarij diaphœnici ℥iijß.
Aquæ Boraginis q.ſ.
Fiat potio.

Quartum remedium ſit hoc apozema.

R. *Foliorum Betonicæ* Mj. Apozema arthriticum.
Boraginis,
Chamædryos,
Chamæpityos ana Mß.
Florum Anthos,
Stœchados,
Boraginis,

Bugloſſi,
Salviæ ana Pj.
Radicum Cichorij ʒvj.
Calami aromatici ʒiß.
Zinziberis ʒj.
Seminis Aniſi ℈iiij.
Paſſularum
Foliorum Senæ ana ℥iß.
Radicum Polypodij querni ʒvj.
Liquiritiæ ʒiß.

Decoquantur in ℔ijß. *aquæ fontis* ad tertiæ partis conſumptionem, de colatura

R. ℔j. in qua diluantur
Syrupi è Stœchade,
è Betonica,
Boragine,
Oxymellis Scyllitici ana ℥iß.

Fiat apozema ad tres doſes.

Hoc aſſumpto.

Purgans potio.

R. *Foliorum Senæ,*
Agarici præparati ana ʒij.
Radicum Polypodij querni ʒiß.
Zinziberis,
Seminis Aniſi ana ʒß.
Paſſularum ℥ß.
Florum Anthos,
Boraginis ana Pj.

Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℥iiij. in his poſt horas decem colatis dilue
Mannæ,
Mellis Roſati novem infuſionum ana ℥ij.
Pulveris Rhabarbari aquâ Cinnamomi irrorati ℈iiij.

Fiat potio.

Vitioſis humoribus hoc vel ſimili modo (humidis ſcilicet medicamentis, non pilulis) vacuatis, ſudorifico aliquo temperato, vel certè non admodum calido ſeroſitatum reliquiæ abſumentur.

Cura ſudorifera.

R. *Scobis Ligni Guajaci* ʒijß.
Radicis Chinæ optimæ in taleolos inciſæ ʒiß.
Saſſafras limati ʒß.

Affunde aquæ fontanæ ℥xxxvj.

Coquantur lento igne ad tertiæ partis conſumptionem, tertia pars manè porrigatur. tribus diebus continuis renovetur decoctum.

Hoc

Ad menſam bibat hoc.

R. *Ligni Saſſafras* limâ in craſſum pulverem redacti,
Scobis Ligni Guajaci,
Cinnamomi ana ℥ß.
Coquantur in ℔xviij. *aquæ fontis* in duplici vaſe, hoc eſt in balneo Mariæ vocato ſex horis.

Bis in hebdomade, niſi alvus ſponte fluat largiùs, pulveris *Sennæ Montagnanæ* ʒj. vel ℈iiij. ex juſculo gallinæ ſumantur.

Cibus ſit parcus, ex carnibus gallinæ, capi, pullorum, gallinaceorum & hœdi, vituli; elixis in prandio, aſſis in cœnâ. In iſta therapia, ſi facilè eam feret, dies perſiſtat plùs minùs 25. dum eâ utitur, caput ad cerebri nonullam exſiccationem lavet ſubinde lixivio, cui Betonica, Salvia, Majorana, folia Senæ, Agaricus, flores Chamomillæ, Roſarū, Stæchados & Anthos ſint incocti, ſiccetur linteo, quod Maſtiches ſuffitum exceperit. Topicis dolori mitigando opus minimè fore ſperaverim, quòd ſi verò is etiamnum urgeat, cataplaſma hoc ſimplex mihi familiare imponatur. Coquito ſemen Lini in aceto ad diſſolutionem, deinde adde aliquid Mellis, & rurſus coquito aliquot ebullitionibus. Imponatur bis in die: ſi dolor valde infeſtus ſit, hoc ſedabitur linimento.

Lixivium cephalicum ſiccans.

Cataplaſma anodynum.

R. *Olei Roſati completi* ℥ij.
Seminis Pſyllij ʒij.
Croci ℈j.
Terræ ſigillatæ ʒiß.
Vitelli ovi N°. j.
Succi Lactucæ, in quo ſemen Coriandri ſit infuſum q. ſ.

Linimentum anodynum.

Pedes roborabit cùm dolor tumórque omnis evanuerit, balneum ex vino, cui incocta lignum Guajacum, Jva, Chamædrys, Ebulus, Salvia, Sal, Alumen. Spero non recurſurum morbum, ſi poſthac à frigore ſibi cauerit Reverendus Dominus; atque in anno corpus evacuaverit, victûs ratione ſervata paulò accuratiore.

Balneum ex vino & Guajaco &c.

CONSVLTATIO. XXVII.

ARTHRITIS, TUMOR PEDUM, INFLATIO HYPOCHONDRIORUM.

PRO
VIRO NOBILI.

Corporis affectus, quibus Strenuus Vir N. afficí ſe ſentit, hi ſunt potiſſimùm, arthritis ſeu morbus articularis, hoc eſt dolor articulorum, juncturarum, brachiorum,

rum, manuum, & pedum; continuus pedum tumor, ac tandem copioſi flatus corpus diſtendentes. his malis ſi medela aut certè aliqua delinitio fieri debet, neceſſarium erit, ut eorundem cauſæ, quantum poſſibile eſt, omnes vel majori ex parte ſaltem auferantur.

Arthritidis cauſæ.

Cauſæ Arthritidis duæ ſunt: ſuperflua humiditas, & junctura-rum debilitas; ſi duæ hæ cauſæ concurrunt, arthritis neceſſariò ſubſe-quitur; quòd ſi una ex his deſit, & morbus exin enaſci non poteſt. humiditas prædicta in principio tenuis eſt, ſeroſa; incraſſeſcit verò paulatim; acris quoque eſt & fervida præſertim in principio paroxy-ſmi. Naſcitur in ſanguine: aliqui credunt à capite ſolummodo il-lam defluere intra, vel, ut Fernelius vult, extra cranium: alij ratio-nibus demonſtrare conantur, materialem hanc cauſam provenire non ſolummodo ex capite; ſed ex ſanguine quoque & venoſo gene-re, atque ex irritatione facultatis expultricis in articulos deturbari. de hiſce opinionibus nec locus, nec tempus; nec etiam neceſſitas eſt, multùm diſputandi. Equidem non dubito, humores majori ex parte è capite defluere, nec non etiam ex parte à venoſo genere in articulos propelli; atque adeò partem mittentem non unam eſſe; qua-propter remedia ita dirigi debent, ut plures reſpiciant origines.

Flatuum origo.

Flatus, qui Strenuæ Dominationi veſtræ in hypochondrijs & ventre moleſti ſunt, ex calore & ſuperfluo humido oriuntur: calor enim flatus ſuſcitat, quos tamen diſſipare haud valet. atque hoc ipſum dum venti generantur in aëre videmus: nam hi oriuntur potiſſi-mùm, ſi tempeſtas humida & calida ſit: in æſtate fervida & ſicca, hye-me ſimul & forti exiſtente frigore, nulli venti ſeſe oſtendunt. ita etiam ſi Dominatio Veſtra viſcera haberet præfervida aut frigida, ventoſitates in corpore flatúſque non producerentur. Tumor pe-dum permanens eſt, nec unquam diſſipatur ex toto, ob reſtitantem ibi humiditatem fluxionéſque podagricas, quæ majori copia in pedes defluunt, & ex inopia caloris nativi, in parte à vitali fonte diſſita, reſolvi & abſumi haud poſſunt. Quòd ſi Dominatio Veſtra ex me quæreret, quibus de cauſis tanta copia ſeroſæ humiditatis in ipſius corpore cumularetur? reſponderem, hoc ideo fieri, quòd plus per potum adſumat, quàm natura requirat, aut queat abſumere: ij etenim, qui plus bibunt aut comedunt, quàm corpus exigat & ex-

Seroſitatum in corpore ori-go.

ercitium diſſipet, cruditates ſeroſas neceſſariò cumulant ac incur-runt morbos; niſi per omnis generis evacuationes adiuventur matu-rè. Alteram ſuperfluæ humiditatis cauſam conſiſtere, exiſtimo in diſpoſitione melancholica non quidem capitis, cùm ſit ſine triſtitia & timore, ſed hypochondriorum potiùs, circa ventriculi os inferius ſeu pylorum, hepar, lienem, venas meſaraicas, aliáque ventris inferioris loca, ſtabulante: in hiſce locis reperiuntur ſæpius ob-ſtructiones, factæ ab aduſto terreſtri ſanguine, denſóque phlegmate,

quæ

quæ dein diverſorum accidentium cauſæ exiſtunt, præcipuè malæ & imperfectæ coctionis, ob quam omnes melancholici copioſum in ſanguine ſerum habent; quod non incongruè vitioſo lacti multum ſeri & caſei, parùm verò butyri habenti aſſimilari poteſt. Cur autem ſeroſitates illæ in membrorum articulos decumbant? naturæ robori omniúmque viſcerum principalium cerebri cordis & hepatis, excrementoſam ſuperfluitatem à ſe pellentium, attribuendum eſt. Idcirco optimè perpendendum, an etiam conſultum ſit, arthriticos dolores (ſi fieri poſſet) pellere? quandoquidem facilè apparet, caſu quo naturæ ad articulos ſeſe exonerandi via intercluderetur, humoréſque fluxiles in capite hepate & ſanguine detinerentur, magna exin oriri poſſe pericula, utpote apoplexiam, hydropem, febréſque mali moris & contumaces. Dictum eſt à me ſuperiùs, alteram arthritidis cauſam eſſe imbecillitatem articulorum; quod ita intelligi debet: quandoquidem prædictæ articulationes ſeu juncturæ partes ſunt exſangues, ac propterea parùm in ſe caloris ac roboris habent, præterea per vehemētia exercitia eundo, equitando facilè debilitantur, fit, ut ſuperfluam humiditatem, quæ in ijs partim in nutritione congeritur, partim aliunde adfluit, non abſumere, nec defendere ſe poſſint, quò minùs ab hiſce excrementis occupentur. Porrò podagricis juncturarum debilitas ſæpe connaſcitur, imò aliquando vitio formationis originem ſuam ex parte debet; dum ſcilicet juncturæ invicem conjunguntur non uſque adeò exactè, ita quidem, ut vacuitas aliqua aut ſpatium inane, in quod facilè ſe inſinuant humores, relinquatur.

Arthriticos dolores pellere, an ſit conſultum?

NB. Arthritidis cauſa juncturarum conformatio laxior.

De cauſis hujus morbi plurima forent dicenda, verùm hæc ſint ſatis: ex quibus Dominatio Veſtra facilè colligere poteſt, an & quomodo perfectè reſtitui queat? Mea opinio & prognoſticum hoc eſt: quòd humores ſuperflui ſeroſi, ſtante hac corporis conſtitutione, diuturniſque ac habitualibus vitiis internorum principum viſcerum, ac præcipuè præſente vitioſa coctione, item in tam lauta menſa, tam quoad potum quàm cibum, & è contra in tanta paucitate exercitiorum (quæ hoc in caſu ob articulorum debilitatem multa eſſe nec poſſunt nec debent) præcaveri haud poterunt, nec non difficulter ex toto abſumi. unde affectus iſte ſine dubio ſucceſſivè ſemper affliget. Sed ſperarem equidem, ſi omne id, quod proficuum & neceſſarium cenſebitur, Dominatio Veſtra admiſerit, notabilem morbi ſubſecuturam imminutionem, aliáque extimeſcenda & periculoſa accidentia præcaveri poſſe.

Itaque remedia ad hunc morbum neceſſaria, Dominatio Veſtra ex dictis hucuſq; facilè ipſa intelliget, & agnoſcet: nempe per frugalitatem in cibo & potu maximam fieri præcautionem, ne humiditates ſuperfluæ in corpore generentur, & ſi aliquæ cumulatæ fuerint,

maturè illas per remedia debita expellendas eſſe. Ante omnia verò vitare debebit Dominatio Veſtra quemvis exceſſum aëris, frigus ſcilicet & calorem intenſum: frigidus ventoſus aër commovet humores per expreſſionem, acſi ſpongiam madidam manu comprimeres. calor verò liquefacit illos, ita ut ex capite ad inferiora facilè decidant. Vinum præterea generoſum prohibetur, uti & mulſum, cereviſia, & ea omnia, quæ caput replent vaporibus; oligophorum igitur bibet vinum non tamen auſterum; generoſum ſi quod habet, aquâ, quæ coćturam unam ſuſtinuit, lymphatum ſumat. à vino ex toto abſtinere optimum quidem foret, quia id partes nervoſas penetrat, in eaſque excrementa ſanguinis ſecum vehendo deponit; ſed propter conſuetudinem & ventriculi languorem hoc extra paroxyſmum non ſuadeo. Reliqua diætetices puncta tranſeo, exceptâ alvina excretione, quæ ſine damno notabili intercipi diu nō poteſt, verùm de hac poſtea.

Diæta.

Vinum nervoſis partibus noxium.

Chirurgia.

Chirurgica præſidia quod attinet, conſulo, ut Dominatio Veſtra bis in anno mittat ſanguinem, veris tempore & autumni; atq; has ſanguinis miſſiones continuet per annos adhuc decem vel plures, niſi corporis dejectæ vires, aut alia interveniant impedimenta à præſenti ſemper Medico æſtimanda. Hoc anno conſilium meum eſto, poſt ultimam quadraturam Lunæ hujus menſis ut venam hepaticam aut medianam brachij ſiniſtri ſecare, & ſanguinis uncias novem vel decem evacuari jubeat, præmiſſo priùs purgante remedio, ut poſtea monebo. Pro evacuatione & interceptione humorum defluentium ad infernas partes duo fonticuli imprimantur brachijs utrique unum, talia ulcera pedibus inurere tutum non eſt, ne attractis illac excrementis majora mala excitentur. Cum ſcarificationibus morem ſuum Dominatio Veſtra obſervet, ſed caveat, ne in balneo ſudorifero, aut ante fornacem hanc operationem ſuſtineat: nam caput exin nimiùm calefit, & repletur, ſatius erit, ut in lecto id fiat.

Pharmaceutica.

Ex Pharmaceuticis remedijs purgantia neceſſaria ſæpe ſunt, ac præcipuè Veris & Autumnali tempore inſtituenda erit evacuatio univerſalis, eo qui ſequitur modo. Primò purgatiuncula purgans adſumatur manè horis quatuor ante prandium.

℞. *Electuarij Diacatholici* ℥vj.
Mellis Roſati laxativi,
Mannæ ana ℥iß.
Aquæ Boraginis q. ſ.
Miſce fiat potio.

Indè per triduum digeſtivum accipiat, ſingulis diebus, tertiam præſcriptionis partem, ſempérque poſt acceptum medicamentum ſomno iterum indulgeat pro lubitu. ac tandem die poſt digeſtiva accepta ſubſequente, venæ ſectionem, uti ſuprà diximus, inſtituat.

℞. *Herba-*

Apozema digeſtivum laxans.

R. *Herbarum Betonicæ,*
Boraginis,
Cichorij,
Fumariæ ana Mj.
Radicum Polypodij,
Foliorum Senæ electæ ana ℥vj.
Zinziberis,
Seminis Aniſi ana ℈ij.
Paſſularum,
Pulpæ Tamarindorum ana ℥j.
Florum Cordialium,
Anthos ana ℈j.
Decoquantur in q. ſ. *aquæ* ad ℔j. ſtent per noctem, manè factâ colaturâ, diſſolve
Mellis Roſati ſimplicis,
Syrupi è Betonicâ,
è Boragine
Oxymellis ſimplicis ana ℥iß.
Miſce fiat apozema ad tres doſes.

Humores ita præparati (facta priùs venæ ſectione) poſtridie expurgari poterunt ſequenti pharmaco, ubi tamen notandum, ut vaſa, in quibus purgantia ex pharmacopolio domum deferuntur, in aquam calidam domi denuo immergantur, cochleari benè miſceantur, ac debitè calida Dominationi Veſtræ porrigantur manè, ſuperbibendo poſt quatuor horas juſculum gallinæ macrum.

Potio purgans.

R. *Agarici albiſſimi crudi pulveriſati* ℥iß.
Foliorum Senæ electæ ℥ijß.
Epithymi ℥j.
Turpethi optimi ℥ß.
Radicum Polypodij ℥ij.
Liquiritiæ ℈ijß.
Zinziberis,
Seminis Aniſi ana ℈ij.
Florum Chamæmeli,
Anthos,
Boraginis ana ℈j.
Paſſularum ℥ß.
Decoquantur in *aquæ Boraginis* ℥viij. ad tertiæ partis conſumptionem, ſtent per noctem, manè fiat colatura ad ℥iiij. in qua diſſolve
Mannæ ℥ijß.
Rhabarbari electi pulveriſati & aquâ Cinnamomi irrorati ℈iiij.

 Fiat po-

Fiat potio, adde

Aquæ Cinnamomi ℨj.

Fiat potio purgans.

Poſtquam verò toto anno, diætâ etiam diligenter obſervatâ, ob viſcerum principalium debilitatem, de novo ſemper ſuperfluæ humiditates, atque adeò arthritidis cauſa materialis ſuccreſcunt, neceſſarium eſſe duco, non ſolùm ſingulis menſibus, ſed etiam ſingulis ſeptimanis evacuans aliquod & ſtomachum corroborans medicamentum accipere; levia tamen ſunto & talia, quæ viſcera principalia nullo modo debilitent; quem in finem potiunculam præſcripſi, die uno ante novilunium ſemper aſſumendam, manè, horis quinque ante prandium.

Potio purgans.

℞. *Foliorum Senæ electæ* ℥ß.
Seminis Aniſi ℨß.
Zinziberis ℨj.
Florum Chamæmeli ℈j.
Paſſularum ℥ß.

Decoquantur in ſ. q. *aquæ ad* ℥iiij. in quibus diſſolve
Mannæ ℥ijß.
Oxymellis ſimplicis ℥j.
Pulveris Radicis Mechoacæ optimæ ℈j.

Miſce fiat potio.

Denique deſcriptionem Balſami Aloëtici addere lubuit, ex quo pilulæ fient ſine cura, magnitudine grani unius piperini. doſis erit 7.8.9. aût 10. (nec obſtat, ſi parùm, aut nihil purgaverint) ſemel aût bis in ſeptimana, horis duabus ante prandium, niſi aliqua adſit diarrhœa. illarum uſum proficuum fore ſpero, ſtomachum enim purum conſervant, corroborant, alvum laxam reddunt, & à varijs morbis præſervant. ſequitur deſcriptio Balſami Aloëtici.

Balſami Aloëtici deſcriptio.

℞. *Aloës Soccotrinæ* ℥iiij. Pulveriſentur, ponantur in cucurbitam vitream, affundatur *aquæ Roſarum* tantum, ut quatuor digitis ſupereminéat, bulliant in duplici vaſe ſeu Balneo Mariæ vocato, ſpatio horæ dimidiæ, deinde reſideant horâ unâ, vel alterâ; tunc *aqua* per inclinationem vaſis lentè ſeparatur, & transfundatur in aliud vas vitreum, vel phialam. *Aloë* verò in cucurbita relictæ, rurſus tantundem *aquæ Roſarum* affundatur, coquatur ut ſuprà; & poſtquam reſederit, inclinato vaſe *liquor* effundatur, & priori admiſceatur; idque

toties

toties repetatur, quouſque *aqua Roſarum* vix ampliùs tingatur; tunc *aquas illas Aloë tinctas* cum alembico abſtrahe, vel coque ſuper prunis, tam diu, donec omnis ferè humor abſumatur, in fundóque remaneat inſtar pultis ſeu mellis ſpiſſioris. aſſervetur uſui, ſignetúrque *Balſamus Aloëticus*, de quo

R. ℥j. adde

Rhabarbari electiſſimi pulveriſati ʒj.

Fiant pilulæ pondere grani unius, hoc eſt ex ʒj.

N°. L.

APPENDIX.

ANno 1611. 24. Martij ad me ſcripſit Dominus N. ſe decem ſeptimanis gravi arthritide conflictatum decubuiſſe, ac tandem oborto ſudore & copioſo urinæ fluxu, à doloribus liberatum. Sudorem & urinæ copiam illam prodiiſſe, quòd propter renis calculum linteolis calidis membra foviſſet, & corpus in ſumma quiete continuiſſet. Indè ſecutus eſt alius dolor, à pede, per ſuras ad femur aſcendens, conſueto nempe podagrico diſſimilis & quaſi ſpaſmicus, de quo ſententiam meam roganti reſpondi, eſſe vaporoſam ac flatulentam materiam, quæ muſculos eorúmque tendines pervaderet &c. hortatus ſum, ut poſthac crebriùs ventrem laxaret clyſteriolis, ex lacte vel brodio carnis, oleo & ſaccharo &c. uteretur menſe Majo purgationibus, in autumno præſcriptis, tum etiam venam ſecaret. Atque interim ſæpe pilulas ex Balſamo Aloëtico ſumeret. Cauteria duo in brachio utroque unum imprimi curaret, aſſueſcat etiam clyſteriolis emollientibus crebrò ſumendis, qui renibus eorúmque dolori præcavendo utiles valde ſint futuri.

Unguentum anodynum diſcutiens.

R. *Unguenti Dialthææ* ℥iij.

Olei Chamæmelini ℥iß.

Amygdalarum amararum ʒvj.

Miſce. adde

Vini Tyrolenſis Traminei veteris ℥ij.

Coquantur lento igne ad vini conſumptionem.

Detur ad fictile pro linimento.

Vngatur dolens locus bis in die, niſi ſponte abeat dolor. veſperi lavetur pars vino, cui parùm Salviæ, Chamæmeli, & Roſarum incoxerint, deinde rurſus ungatur.

CONSULTATIO XXVIII.

ARTHRITIS INVETERATA.

PRO

QUODAM VIRO ILLUSTRI.

Ad Adolphum Occonem Medicum Auguſtanum.

Cogitavi ſedulò de inveterata arthritide, aliísque malis D. Prætoris veſtri corpus affligentibus, quem, uti propter generis nobilitatem, ac propriam virtutem magnopere obſervo, ac diligo, ita valetudine majori longè dignisſimum judico. Corpus ejus ita conſtitutum eſſe videtur, ut efficaciora remedia ad id genus mala profliganda inprimis accommodata reſpuat penè omnia: purgationes enim validas ac crebras, venæ ſectionem largiorem, ſudorifica potentiora quis (obſecro!) ſuaſerit, in tanta viſcerum imbecillitate, ac corporis extenuatione? in cauteriis quoque ſpei nihil eſt repoſitum, etiamſi abſque nervoſarum partium læſione imprimi poſſent, quod vix crediderim. Vna ſacra anchora ſupereſt, thermæ nimirum, quæ ſuo loco ac tempore manus DEI ſunt, ſæpe verò nihil ſunt. Ego, ut quid de his ſentiam, verbulo aperiam: in Nobili hoc ſubjecto ſuſpectas illas habeo, multis nominibus, potiſſimùm verò metu inflammationis renum; quos fervidos ac calculorum feraces habet; deinde verò nimiæ exſiccationis humidi, quòd radicale appellamus, ac denique relaxationis articulorum: etſi enim calore ſuo actuali juncturas fovere, dolorem ſedare, tumorésque, ſi qui ſuperſunt, diſcutere, atque hac ratione in præſens juvare poſſe videantur; timendum tamen eſt valde, ne easdem vi ſua ſulphurea ac bituminoſa laxiores reddendo, ad ſuſcipiendas fluxiones, ab humorum colliquatione, quam ſimul vereor, prognatas diſponant.

Thermæ aliquando manus DEI vocantur.

Thermæ non proſunt ſemper ſed obſūt ſæpe.

Quapropter ſi quid præter accuratam vivendi rationem, auxilij tuti efficaciſque ſupereſt, illud ego ſecundùm DEVM ab ejusmodi ſperaverim medicatis aquis, quæ & temperatiores eſſe, & excrementitios humores per alvum, urinas & ſudores evacuare, ac membris naturali facultati famulantibus robur adijcere poſſent. Talis eſt acidus fons Spadanus prope Aquisgranum: eo ritè potato; ac viſceribus probè roboratis, fortè Aquenſes thermæ ei loco vicinæ ex uſu fuerint, cùm conſilio experti Medici in lavatione uſurpatæ. Si conſilium hoc propter longitudinem itineris, ac periculum à graſſatoribus non placet, propono fontem Kiſſingenſem in Francia orientali, Sale ac Nitro copioſo, pauco verò Alumine, & Chalcantho imbutum, poſſet

Acidulæ ſpadenſes.

Thermæ Aquenſes,

Thermæ Kiſſingenſes.

poſſet ille tam potu,quàm balneo non mediocriter prodeſſe, prùdenter ac cautè factis factitandis uſurpatus. ſcripſit non ita pridem de hoc fonte libellum eruditum Godefredus Steeg Illuſtriſſimi Epiſcopi Wirceburgenſis Medicus, quem nuper legi ab ipſomet miſſum mihi. Illius Medici ſanè præſtantis ſententiam exquirere ante omnia foret conſultum, eâque in re operam meam offero, quando dudum mihi eſt notus familiariter. ſin infirmior aqua ea videretur, additamento convenienti vigoraretur facilè. ſi lavatione non multùm proficeremus, vinúmque hoc anno in Franconia benè matureſceret, eodem in loco, vel ſaltem non procul indè, vinaceorum uſus attentari poſſet, commendatus tantopere ab Altomario Medico claro, qui ſeipſum ſolo hoc remedio ſtrenuè adjutum in cruris (ſi rectè memini) debilitate ſcribit. Hæc quæ ad epiſtolam tuam reſponderem, occurrerunt: eorum tu, Vir Doctiſſime, cenſor eſto, Nobiliſſimo Domino Prætori ea exponito, ac plurimam ſalutem meis verbis dicito. Vale Monachij 1. Julij 1597.

Vinaceorum uſus ab Altomaro laudatur.

CONSULTATIO XXIX.

PODAGRA.

PRO

AMPLISSIMO QUODAM CANCELLARIO.

Spes omnis præcavendi podagricos dolores, quorum principia quædam ac rudimenta perſentiſcere nuper cœpit Nobilis ac Magnificus Dominus Cacellarius, ſecundùm Deum in hoc collocata eſt, ut corpus ab humorum repletione ac impuritate ſervetur immune. Res enim ipſa loquitur, humores ad juncturas procumbere, doloréſque exci-tare non poſſe, niſi collecti priùs in corpore ac coacervati tam copiâ,quàm malitiâ,naturæ moleſti fuerint. prohibebit autem excrementitiorum humorum proventum, idonea vivendi ratio, hoc eſt ſex rerum, quas nonnaturales Medici appellant, prudens moderatúsque uſus, ac adminiſtratio. Hæc quo pacto inſtituenda ſit, paucis, quæ ſubijciam, præceptis facilè patebit. Aër vitetur tam calidior quàm frigidior, hic enim humores præſertim in capite collectos, qui non rarò podagram progignunt, exprimendo commovet, ille fundendo & colliquando. Cibus moderatus, modicus ac ſimplex: obeſt enim alimentorum varietas,teſte Hippocrate ſeditionem in corpore quandam excitans: vitentur item, quæ pravum ſuccum præſtant, difficultérque concoquuntur, cujuſmodi ſunt carnes ſuillæ, bubulæ ſalitæ, fumóque ſiccatæ, ſicuti & animalium capita,

Victûs ratio.

pedes,

pedes, inteſtina. E volucribus omittantur, quæ in aquis degunt; piſcium uſus rarus fit & parcus, in quibus præcipuè nocent, qui in cænoſis aquis vivunt. Abſtinendum à fungis, caulibus, leguminibus.

Potus qui frugalis admodum ſit convenientiſſimus erit, vinum Neccaricum benè maturum mediocriter lymphatum, præſente verò vel imminente articularis morbi paroxyſmo, aqua, cui radix Galangæ modicum ſit incoctum, vel Cereviſia Embecenſis. Caveatur autem cruda aqua, vinum dulce, muſtum, medicata item vina, præter Salviatum, de quo hauſtus in prima menſa ſumptus non obfuerit. Cœna prandio ſit parcior; inter cœnam & prandium 7. horarum ſpatium ad minimum interponatur, interdiu, necnon à cœna ab omni cibo & potu abſtinendum.

Aqua decocta cum radice Galangæ.

Somnus ſit nocturnus 7. horarum, à cœna tribus plùs minùs horis ineundus, diurnus quantum fieri poteſt, arceatur. Si alvus in retinendis excrementis ignavior fuerit, vel adſtrictior, convenientibus auxilijs emolliatur & ſtimuletur. Corporis exercitium, quod ſine fatigatione fiat, cujuſmodi deambulatio vel equitatio, non negligatur manè ac veſperi unâ vel duabus ante cœnam horis, abſoluta nimirum prima concoctione, quæ in ventriculo fit. Cùm verò à podagrica acceſſione metus eſt, tunc quieti tam corporis quàm mentis ſtudere præſtabit. Lectio item ac ſcriptio illico à prandio & cœna, uti & rerum gravium tractatio nequaquam inſtituatur. Proderit mirificè interdum in lecto ſudare, verùm id tempore duntaxat matutino, peracta ſcilicet prima concoctione ac ventriculo ab excrementis vacuo, utile ac conveniens. In laconico ſi quando ſudorem elicere placeat, id pariter concoctione probè jam celebrata, tribus circitèr horis ante prandium, fiat capite exſerto, ad cujus lotionem lixivio ex ſarmentis parato incoquantur Betonica, Chamomilla, Salvia, Roſæ, ac folia Senæ, à capite verò loto, cœlo libero, toto die nequaquam ſe committat. Venus ſit moderata, hilaritati ſtudeatur, animi affectus prudentiæ fræno regantur.

Hanc vivendi rationem ſi Magnificus Dominus exactè obſervaverit, valetudini ſuæ longè optimè conſulet, faciléque podagram, aliáque incommoda à fluxionibus progigni ſolita effugiet. Verùm quia timendum eſt, in hoc vitæ genere laborioſo ac ventriculi dyſcraſia ſubfrigida caveri in univerſum vix poſſe, ne planè nihil in corpore humorum ſuccreſcat, idcirco ſuadeo, ut bis tervè uno menſe pilulas ſic parandas aſſumat, duabus ante prandium horis.

Pilulæ.

R. *Aloës Roſatæ* ℈ij.
Maſtiches,
Radicis Galangæ ana grana iij.
Cum *aqua Cinnamomi* fiant pilulæ N°. xv. deaurentur.

Verno

Verno tempore, atque etiam autumnali vena cum præſentis Medici conſilio ſecari poterit, ventriculo priùs ac primis vijs idoneo medicamento repurgatis. Quòd ſi hæc ſatis ad arcendam podagram non ſint, adventante vel præſente jam acceſſione à vino abſtineat, de cibo non parùm detrahat; corpus, niſi venter largiùs fluat, vel aliquid aliud obſtet, cujuſmodi præcipuè ſunt cruditatis indicia, in urina apparentia, illico vacuet electuario, quod hunc in modum ſe habet. Venæ ſectio.

R. *Coſti amari,*
Caryophyllorum,
Zinziberis,
Cymini ana ʒj.
Hermodactylorum alborum à cortice ſuperiori mundatorum,
Diagrydij ana ʒij.
Cum *Mellis* ac *Vini albi* ana ℥iß. coctis ad conſiſtentiam ſyrupi, conficiantur ad formam opiatæ. doſis ſint ʒijß. nebulis involutæ, tempore matutino devorandæ.

Electuarium Caryocoſtinū.

Spero dolores indè mox receſſuros, & topicis remedijs opus nequaquam futurum, quorum ſi neceſſitas adfuerit, pro tempore, unà cum recta ratione adhibendi, qua in re peccatur ſæpiſſime uſque adeò graviter, ut vulgò, omnia ferme localia habeantur ſuſpecta.

Pro epilogo electuarium hîc conſignabo, quod capiti, ventriculo, cordi, omnibus denique viſceribus corroborandis valde accommodatum experietur, ſi inſtar caſtaneæ manè atque interdum horâ decubitûs de illo aſſumat.

R. *Conſervæ Roſarum Damaſcenarum,*
Florum Anthos ana ℥iij.
Corticum Citri extimorum Saccharo conditorum,
Nucis Moſchatæ Indicæ conditæ,
Calami aromatici conditi ana ℥iß.
Zinziberis conditi ℥ß.
Inciſis incidendis cum *Syrupo è corticibus Citri* fiat electuarium.

Electuarium confortans.

De cauterijs ad quæ nonnulli, tanquam ad ſacram anchoram confugiendum cenſent, ego ſic ſentio: videlicet ea in mali iſtius initio, priuſquam articuli admodum debiles redditi ſint, idonea, ac caſtigata vivendi ratione accedente, cum fructu uſurpari poſſe, aliàs periculo atque interdum gravi, ut experientiâ didici, non carere. datum Landishuti. Anno 1593.

Cauteria in arthritide non ſemper ſecura.

CONSULTATIO XXX.

PODAGRA.

PRO

REVERENDO QUODAM PATRE RELIGIOSO CAPUCCINO.

CUm neque neceſſitas poſtulet , neque otium ſit,de podagra , quæ Reverendum Patrem affligere cœpit, cauſis,ſcaturigine, mandantéque membro,ac vijs, per quas humorum ſentina ad artus effunditur fuſiùs diſputare ; idcirco mihi, nonnullis duntaxat hypotheſibus præmiſſis , ad remedia properare eſt animus. Prima , pro indubitato habeo , Reverendum Patrem complurium annorum decurſu , laboribus, vigiliis , innumeríſque vitæ incommodis ac periculis, corpus ſuum membráq; omnia tam interna quàm externa mirè afflixiſſe ac debilitâſſe. Secunda, hinc rationi apprimè conſentaneum eſt , calorem nativum actionum omnium in corpore opificem hebetatum valde ac tantùm non exhauſtum eſſe. Tertiâ,per hanc caloris inopiam coctiones omnes vitiari,multámque cacochymiam in venoſo genere, atque adeò toto corpore coacervari oportere. Quarta , vitioſos iſtos atque ſupervacuos ſuccos tam à capite ſuper calvariam , ſubcute nempe ad artus defluere,quàm è venis exundationis inſtar in eoſdem irruere aſſeveranter ſtatuo. Quinta , materiam hanc fluentem majori ex parte tenuem ſeroſam ac frigidam,eidem verò pituitæ craſſioris portionem aliquam ſimúlque bilis nonnihil , quod vehiculi inſtar ſit, commixtum eſſe nemo negaverit.

His itaque conſtitutis facilè ipſemet Reverendus Pater perſpicit,in quam præcipuè curam incumbere debeat ; ut à periodica iſta podagra præſervetur, vel ſaltem , ne ingraveſcat, periculum effugiat. Etenim ſpes omnis ſecundùm DEVM in hoc repoſita eſt , ut corpus ab humorum colluvie ac impuritate ſervetur immune ; ſiquidem res ipſa loquitur , humores ad infimos articulos ferri , doloréſque in illis excitari non poſſe,niſi collecti in corpore & copiâ ſuâ & malitiâ
Victûs ratio, illos infeſtent. Prohibebit illorum proventum accurata inprimis vivendi ratio , quam qui inſtituti iſtius Patribus decernat , laterem certè lavit ; ſubjiciam tamen nonnulla ad dextrum ſex rerum non-naturalium à Medicis nuncupatarum uſum ſpectantia, quæ, quoad fieri poterit, obſervata Reverēdo Patri non parùm ſanè cōmodabunt.

Aër igitur vitetur tam calidior quàm frigidior, quòd hic excrementa in capite collecta exprimendo , ille fundendo ac colliquando commo-

commoveat. De cibi copia non eſt quod moneam, in qualitate noverit Reverendus Pater repudianda eſſe alimenta pravum ſuccum præſtantia,concoctúque difficilia, atque inter cætera carnes ſuillas, bubulas,ſalitas ac fumo ſiccatas,animalium capita, pedes, inteſtina; in volucribus aquatilia,piſcium eſus rarus & paucus ſit, vitentúrque quæ in cænoſis aquis vivunt; caules, item fungi, legumina. Potus in iſta caloris inopia convenientiſſimus erit vinum album tenue mediocriter dilutum, præſente verò vel imminente podagrico dolore aqua bibatur, cui Cinnamomi ac radicis Galangæ modicum ſit incoctum.

Cavenda autem aqua cruda, vinum dulce, nigrum, craſſum. Cœna prandio eſto frugalior, atque inter cœnam & prandium ſatis temporis, ſeptem ſcilicet horarum ſpatium intercedat.

Sin alvus in deponendis excrementis officium non faciat, convenientibus auxilijs emolliatur, ſtimuletúrque clyſteriolis nempe, vel pilulis ex Aloë Soccotrina paratis, quarum ℈ß. vel paulò amplius ante prandium devoretur. Corporis exercitium ut negligendum non eſt, ita fatigatio omnis cavenda. à cibo aſſumpto quieſcendum, donec concoctus in ventriculo fuerit, ac tum primùm corpus exercendum. quies omnino imperanda eſt, cùm podagrica acceſſio timetur.

Iſthæc ſanitatis præcepta ſi Pater Reverendus exactè ſervare poſſet,benè valetudini conſuleret ſuæ,ſed vetāt id magna ex parte præcepta inſtituti,cui ſe devovit: viſcerum quoque dyſcraſia ſperare id non patitur; artis igitur Medicæ auxilijs indiget, de quibus mea hæc eſt ſententia. Hoc tempore abſque mora alvo leni medicamento detersâ, ſanguis mittatur ex dextri brachij vena baſilica vulgò dicta, fluátque ad ſex uncias circiter. Medicamentum leniens tale vel huic non abſimile eſto.

Minorativum.

R. *Florum Caſſiæ recenter extractæ* ℥vj.
Radicum Turpethi albiſſimi ℈j.
Pulveris Cinnamomi grana v.
Miſce fiat bolus.

A phlebotomia ſucci apparentur ulteriori évacuationi hoc ſerapio.

Præparantia.

R. *Mellis Roſati*,
Oxymellis ſimplicis,
Syrupi de Betonica ana ℥v.
Diluantur in
Aqua Betonicæ,
Boraginis,
Cichorij ana ℥j. ʒij.
Fiat potio manè ſummo bibenda, & triduum repetenda.

Serapijs iſtis purgans hoc ſuccedat.

Purgatio.

R. *Foliorum Senæ ſelectæ* ℥iiij.
Agarici præparati ℥ij.
Radicum Polypodij querni ℥iß.
Fructuum Sebeſten N°. v.
Florum Cordialium ana Pj.
Decoquantur in *aquæ Boraginis* ℥viij. ad tertiæ partis conſumptionem. ſtent horis decem, deinde colentur.
R. ℥iiij. in his diſſolve
Mannæ ℥ijß.
Pulveris Rhabarbari aquâ Cinnamomi irrorati ℈iiij.
Miſce fiat potio.

His peractis, interpoſita unius diei quiete, tale ſequatur apozema.

Apozema.

R. *Herbarum Betonicæ,*
Boraginis ana Mj.
Agrimoniæ Mß.
Florum Chamæpithyos,
Primulæ veris,
Anthos,
Salviæ ana Pj.
Radicum Cichorij ℥ß.
Helenij ℥iß.
Calami aromatici ℥ß.
Zinziberis ℥iß.
Seminum Aniſi,
Fœniculi ana ℥j.
Paſſularum ℥iß.
Foliorum Senæ ſelectæ ℥vj.
Decoquantur in *aquæ fontis* ad ℔j. per ſex horas vel octo fiat colatura, in qua diluantur
Syrupi è Betonica,
De Stæchade ana ℥iß.
Oxymellis Scyllitici ℥vj.
Fiat potio ad tres doſes tribus diebus continuis vel alternis, ſummo manè porrigenda.

Ab iis aſſumptis repetatur potio purgans ex Manna & Rhabarbaro ſuprà deſcripta.

Corpore hunc in modum vacuato, ſuadeo, ut humores ſudorifico aliquo attenuati ad cutim impellantur, ſudórque in lecto horâ

matutinâ

matutinâ blandè eliciatur, tenui ac parco accedente cibo ex aſſatis pullis gallinaceis & columbinis montanis, carne hœdina, amygdalis, paſſulis.

Sudorificum quod mihi probatur ſit tale.

Decoctum ſudoriferum.

R. *Scobis Ligni Guajaci,*
Radicis Sarzapariglia craſsè inciſa & conquaſſata ana ℥ij.
Ligni Saſſafras craſsè limati ℥iß.

Affundantur *aquæ fontis* ℔vj. coquantur in vaſe ſtanneo vel fictili vitreato probè cooperto in duplici vaſe ſeu Balneo Mariæ dicto, horis ſex. ubi refrixerint, colentur, colatura uſui aſſervetur. bibantur manè ℥vj. vel vij. calidæ. ſudor modeſtè provocetur, continuandus horâ unâ uſque ad ſeſqui horam, ſi vires facilè ferant.

Potus in menſa ſit iſte, ſumantur reſidua Ligni & Sarzæ decoctæ, illíque addantur novi Ligni & Sarzæ ana ℥ij. ligni Saſſafras ʒij. Cinnamomi acuti ʒx. affundantur aquæ fontis ℔xviij. coquantur in vaſe duplici horis ſex, colatura detur pro potu ordinario, illo verò deficiente, alius paretur hunc in modum.

Aqua pro potu ſecundario.

R. *Scobis ligni Guajaci,*
Radicis Sarzapariglia ana ℥j.
Ligni Saſſafras ℈iiij.
Paſſularum ℥ß.
Cinnamomi ʒvj.

Coquantur in ℔xij. *aquæ* in duplici vaſe, horis ſex, pro potu ordinario.

Dum iſtâ therapiâ utitur Reverendus Pater, diligenter alvi rationem habeat, atque ſi ſegniorem experiatur, vel clyſtere vel prunis cum foliis Senæ & ſaccharo coctis in prima menſa utatur, ſed & quarto quoque die intermiſſo ſudorifico purgans iſtud abſumat.

R. *Pulveris Senæ præparatæ* ℈iiij.

Sorbeantur ex juſculo, ſi parciùs vacuet, adijciantur grana aliquot *Specierum Eleſcophi.*

His remediis ſpero corpus undique probè repurgatum, atque à morbo podagrico præſervatum iri, ad quam rem plurimùm quoque faciet corroboratio articulorum per vinacea vocata, iis duntaxat regionibus conſueta, quæ vitibus ac vino bono abundant. Verùm cùm integram mali extirpationem novæque cacochymiæ prophylaxin in iſta viſcerum dyſcraſia polliceri nobis non poſſimus, idcirco ineunte Vere ſanguis quotannis quamdiu per ætatem licebit, mittendus, corpúſque ab impuritate tam verno quàm autumnali tem-

pore repurgandum omnino erit, ſæpe etiam intermediis temporibus, pilulis familiaribus,cujuſmodi erunt in hyeme Maſtichinæ, Aſſaireth, Aloëphanginæ. in æſtate Aloë Roſata cum quarta parte Rhabarbari ventriculus detergendus; quòd ſi verò & iſta omnia ritè uſurpata morbi recurſum arcere non valeant, quid in hac afflictione agendum, paucis ſubijciemus. A vino tam imminente quàm urgente dolore protinus abſtinendum. Purgantia tempore paroxyſmi, uti & venæ ſectionem improbant aliqui, alii medicamentum exhibere non verentur ſatis forte. In iſto corpore Ego præter alvi lenitionem per clyſteres; cibi potúſque parcitatem, cui inprimis Reverendus Pater aſſuevit,ſolis topicis, quæ dolori ſedando, diſſipandíſque materiæ reliquiis idonea ſunt,utendum ſuadeo. Anodynum primum ſit iſtud,quod & Galenus commendat, & ego felici ſucceſſu in gravi dolore admovendum curavi. Coquatur ſemen Fœnu græci in aceto ad diſſolutionem, addatur aliquid mellis, & rurſus coquatur ad formam cataplaſmatis, quod linteo inductum calidum obligetur faſciis,renovetur bis quotidie. Aliud materiam articulos infeſtantem vacuans abſuménsque, quo Princeps quidam magni nominis magno ſucceſſu utebatur. Sumatur corvus, ſtranguletur, & unà cum plumis ollæ fictili imponatur,olla probè lutata in fimum equinū 40. diebus defodiatur, deinde in furno cremetur, ut in pulverem redigi poſſit. Pulveris iſtius quantitas ovi unius gallinacei libræ uni ceræ novæ liquefactæ inſpergatur, deinde immiſſo linteo fiat ſparadrappum vulgò vocatum, quod dolenti loco calidum imponatur, ac poſt 24. horas renovetur, dolenti parte vino aduſto ſeu aqua vitæ ſimplici priùs lotâ ac modeſtè deterſâ. Animadvertendum autem alterum iſtud locale mitigato dolore, acceſſionéque declinante locum præcipuè habere. quo tempore niſi alvus ſatis fluat ex uſu quoque eſſe poſſent pilulæ,quarum hæc deſcriptio.

Anodynum Emplaſticum.

Sparadrappum in Podagra ex pulvere corvi.

Pilulæ.

℞. *Maſſæ pilularum de Hermodactylis* ℥j.
Aggregativarum ʒß.
Sine quibus grana xv.

Cum *ſucco Salviæ* formentur pilulæ N°.xx. deaurentur.

Sumantur tres veſperi horâ ſomni, longè à cœna parciſſima, alternis diebus. 1607. 9. Maij.

CONSULTATIO XXXI.

PODAGRA.

PRO
EODEM REVERENDO PATRE CAPUCCINO.

NOta ratio dolores podagricos præcavendi in tribus poſita auxiliis eſt. Primum, ne humores inutiles & ſupervacanei in corpore colligantur: Secundum, ut qui vel ne-

vel neglecta victûs ratione ; vel alia inevitabili cauſa ſuccreſcunt, è corpore exturbentur variis evacuationum modis: Tertium,ut pedes aliique articuli debiles & ad fluxiones ſuſcipiendas opportuni, vacuatis humoribus corroborentur. Morbum autem hunc non ab humorum in parte laborante collectione; ſed ab eorum in articulos infirmos decubitu progigni ; ex hoc facilè perſpicitur, quòd in corpore ab excrementitiis humoribus planè immuni, morbus hic generari non poſſit; quemadmodum qui firmos articulos habent,corpore quantumvis impuro, in dolores hoſce nunquam ſolent incidere. Sed hîc mihi objiciat aliquis. Cùm tria iſthæc obſervare non ſit adeò difficile, qui fiat quòd tam pauci ac propemodum nulli hac tempeſtate perſanentur podagrici. Reſpondeo, paucos,propemodum neminem eſſe,qui accuratè, atque ita curioſè vivere vel poſſit vel velit: qui enim ſuæ ſpontis non eſt,ut Religioſi certis vivendi legibus obſtricti, is à nullo cibi genere abhorrere debet, quo alii utuntur.ſed& aëris injurias evitare non poteſt,à quo ſæpe & caput impletur,& humoribus excrementitiis liquatis, vel expreſſis, deſtillationes commoventur. Incidit mihi hoc loco quod ab Hippocrate 2. *Prædictionum* ſcriptum legitur,cujus hæc ſunt verba. De podagricis dico: *Quicunque aut ſenes ſunt, aut circa articulos callos concretos habent,aut ærumnoſè vivunt,aut ſiccam alvum habent, hi omnes ſani fieri non poſſunt humana arte, quantùm ego cognovi. Sanant quidem hos dyſenteriæ,ſi ſucceſſerint, ſed & aliæ eliquationes, quæ ad infernos locos repunt. Qui verò juvenis eſt,& circa articulos nondum callos habet, & accuratè vivit, & amans eſt laboris; & alvum bonam habet ad obediendum pro ſtudiorum ratione, hic ſanè Medicum nactus intelligentiam habentem, ſanus fieri poterit.* Ex hac Hippocratis obſervatione & doctrina facile eſt non prognoſticum modò, ſed & curationis indicationes,hoc eſt,opera ad affectum abolendum præſtanda,elicere. Non ſaneſcunt ſenes, & qui calloſos articulos habent, quique victum non ſervant idoneum. Auxilia à quibus ſanitas ſperanda, ſunt victûs ratio, impuritatum evacuatio per alvum præcipuè. Huc reſpexerunt ſapientes Medici,qui crebras purgationes, podagricis ex medicamentis minimè vehementibus imperârunt. Alij cauteria impreſſerunt diutiſſimè, atque ea per omnem vitam aperta geſtanda, è quibus licèt parùm fluere uno die videatur, totius tamen anni decurſu tantæ humiditatis ſupervacaneæ copia, quantum vix credas, evacuatur. De parte mandante excrementa ad articulos non conſentiunt Medici: Fernelius atque alius celebris quidam Medicus caput,eáque de cauſa ajunt vulgò curari duntaxat paroxyſmum, non ipſam podagram; quia cerebrum morbi fontem non exſiccat. Alij ſententiam hanc rejiciunt, Ego perſuaſum habeo, capite planè incolumi & excrementis vacuo, podagrâ laborare penè neminem. Ad

Intentiones præſervandi à podagra.

Podagricorum prognoſis.

Capite incolumi & excrementis vacuo, nemo videtur podagrâ laborare.

capitis

capitis autem totiúsque corporis exſiccationem præter theriacam & mithridatium, multæ ſunt inventæ antidoti, & à Græcis ut Paulo, Oribaſio, Ægineta, Tralliano & Aëtio deſcripta; Recentiores & pulveres quosdam ſuos ad podagricas fluxiones exſiccandas laudibus extollunt per totum annum ſumendos.

Theriaca in podagra commendatur.

Theriacam valde celebrat Auctor libri ad Piſonem (qui falſò Galeno adſcribitur) quod & humorem exſiccet,& rurſus colligi non permittat. ſed his præmiſſis venio nunc ad caſum admodum Reverendi Patris,pro quo hoc ſcribere inſtitui; qui ſi per inſtitutum iſtud ſanctum valetudini ſuæ vacare poſſet, haud difficulter à podagricis doloribus præſervaretur. Quando verò neque ab alimentis malum augentibus,neque à contemplationibus, graviſſimíſque ſtudiis & laboribus caput graviter fatigantibus abſtinere non poteſt, nonnulla hîc ſubijciam, quæ obſervare haud difficulter poterit, utilitatem ex eis non exiguam percepturus. ſi alvi fluores teſte Hippocrate podagricos ſanant, ſponte exorti, nos naturam imitaturi clementioribus medicamentis (benedicta vocant Medici) alvum ex brevibus intervallis convenientiſſimè movebimus, in quorum formulis innumeris, quæ decerni poſſunt, mihi tres iſtæ ante alias probantur. Primum eſt aloës extractum(quod vocant)Balſamum. Alterum vinum medicatum cum Sena,quale eſt iſtud.

Vinum medicatum.

℞. *Foliorum Senæ electæ* ℥v.
Zinziberis ʒj.
Comarum Abſinthij vulgaris Pß.
Foliorum Cardui benedicti tantundem.

Excipiantur ſindone & fiat ſacculus, infundendus *vini albi* ſeſqui libræ, de qua manè bibat quinque vel ſex uncias præſumpto juſculo.

Electuarium Diaprunis.

Tertium eſt electuarium meum Diaprunis magiſtrale. Sumatur de eo unciola, vel minus ante prandium in ipſo ad menſam acceſſu. His utetur alternatis,bis nimirum una hebdomade,hac circa doſin moderatione adhibita, ne ultra bis vel ter alvum moveant. Antequam verò horum uſum auſpicetur Reverendus Pater, ſuadeo ut bis in anno, Verno ſcilicet & Autumnali tempore corpus evacuet medicamento paulò potentiori, præmiſſis præparantibus hac vel ſimili ratione paratis. Primum ſumet ante prandium Diaprunis noſtri ʒx. vel ʒi. indè in ſequens triduum hoc præparans.

Præparans.

℞. *Mellis Roſati*,
Oxymellis ſimplicis ana ℥j.
Aquæ Betonicæ,
Boraginis ana ℥ij.

Miſce fiat potio.

Offeratur

Offeratur tribus diebus continuis ſuperdormiendo unâ horâ. mox detur iſtud purgans

Purgans.

R. *Foliorum Senæ electæ* ℥iij.
Agarici præparati ℥iß.
Seminis Aniſi ʒj.
Zinziberis ℈ij.
Paſſularum ℥ß.

Decoquantur in *aquæ fontis* ℥viij. ad tertiæ partis conſumptionem. ſtent in loco calido per noctem, manè fiat colatura ad ℥iiij. in quibus diſſolve
Mannæ,
Mellis Roſati laxativi ana ℥ijß.
Miſce fiat potio
Adde
Aquæ Cinnamomi cochleare unum.

Dum verò præparans potio ſumitur, vena incidi poterit dextri brachij mediana vocata, & ſanguis mitti ad ℥v. vel vj. His peractis in uſum venient prædicta benigniora medicamenta longo tempore continuanda. De antidotis Antiquorum ad ſanandam podagram decantatis, déque pulveribus Neotericorum in eundem uſum deſcriptis, judicium hoc meum eſt; cùm ea palato parùm grata, ac tempore valde longo uſurpanda ſint, Reverendum Patrem debere illis ſubſtituere theriacam Andromachi Venetijs petendam, ejúſque drachmam corpore purgato, ac concoctione prima in ventriculo probè peracta, manè ſcilicet ſummo ex momento aquæ carduibenedicti & pauxillo vini albi, vel & ſine liquore ſumendam, abſtinendo à cibo & potu 5. vel 6. horis, hoc ſemel in menſe utiliter fiet cavendo æſtatis calores. Laudatur abſtinentia à vino, decoctíque Guajaci potus longo tempore adhibitus. at cum tenui diæta. Etenim ex decocto hoc ſanguinem gigni neceſſe eſt Guajaci viribus & qualitatibus imbutum, quo dum nutritur, cerebrum calidius & ſiccius efficitur, quoniam ex illis conſtamus ex quibus nutrimur, ac pro alimentorum natura corpora noſtra mutantur.

Venæ ſectio.

Theriacæ uſus in podagra.

Decoctum Guajacinum ejúſque uſus in podagra.

Narravit mihi vir quidam bonus, Cardinalem (nî fallor) de turri Epiſcopum Cenetenſem podagricùm longiore hujus potus uſu, tam robuſtum ac firmum redditum, ut eum ambulatione famuli à pedibus vix aſſequerentur. A vino autem ut Reverendus Pater penitus abſtineat propter ventriculum, quem omnes viri docti imbecilliorem experiuntur, ſuadere non auſim; præterquam in paroxyſmo, quo tempore pro vino cereviſia Embecenſi vel alio potu ſiti non ingrato utetur.

Cereviſia Embecenſis.

Cauteria. Cauterijs in brachiis, in utroque nempe unum, ad deſtillatio-nem à capite ad articulos intercipiendam impreſſa, profutura ſpero magnopere.

Roborandis articulis commendabunt plurimum vinacea Italis uſitata,apud nos ſupplebunt vicem balnea, in quibus incocta ſint Betonica, Verbena, Pinaſtri fructus, folia Querna, Gallæ, Glandes hoc modo.

Balnea corroborantia articulos.

R. *Foliorum Quercinorum*,
Betonicæ,
Verbenæ ana Mj.
Fructuum Pini ſylveſtris N°. vij.
Glandium inciſarum N°. xv.

Coquantur in ℔xviij. (plùs minùs) *aquæ chalybeatæ* per quartam partem horæ, addendo in fine coctionis *vini rubri Neccarici* vel *Rhenani* ℔iij. in hoc decocto mergantur pedes ad horæ ſpatium, deinde ungantur oleo quod ita habet.

Inunctiones.

R. *Olei Myrtini*,
Maſtichini,
Cotoneorum ana ℔j.

His incoquantur aliquamdiu *Hypociſthidis*, *Acaciæ*, *Sanguinis draconis* ana ℥ß. *Salis* ʒj. deinde colentur.

Hoc oleo poſt balneum ungantur articuli,ſed eo non antè utendum,quàm excrementitij humoris in articulis nihil ſupereſſe conſtet.

Diæta. Ad diætam quod attinet,caveatur frigus,cœna ſit tenuis, vitentur olera,legumina,lacticinia,piſces,aromata, caro ſuilla, vinum generoſum, otium corporis, lectio & meditatio immodica. In paroxyſmo demulcendis doloribus præſentaneum remedium erit locale iſtud, quod jam feliciter eſt expertus.

Emplaſtrum anodynum.

R. *Seminum Pſyllij* ℥iiij.

Coquantur in ſ. q. aquæ ad viſciditatem,deinde colentur cum expreſſione, colaturæ adde
Ceræ ℥iij.
Olei communis ℥vj.

Coquantur ad liquefactionem ceræ ſemper movendo cum ſpatula & in pila diutius conterendo.

DEVS Optimus Maximus gratiam his remedijs ſuam benignè adiungat. Monachij 12. Aprilis. Anno 1612.

CON-

CONSULTATIO XXXII.

CONTRACTURA. ATQUE MODUS BALNEANDI IN THERMIS FERINIS PROPE THERMAS CELLENSES SITIS.

PRO

REVERENDO QUODAM PAROCHO.

*

PRimò & ante omnia præparari debet corpus, ante thermas purgationibus ſanguiniſque miſſione; ut ſequitur: Electuarium purgans A. notatum in bolos diviſum, nebuláque involutos deglutiat, unà cum adſcripto ſyrupo,ſuperfundendo illum bolis,horis duabus ante prandium. Potio præparans digeſtiva B. tribus diebus ſucceſſivis ſumatur manè & ſuperdormiat quantum poteſt. His peractis pilulæ devorandæ ſunt C. manè per horam ſuperdormiendo; optimum foret ſi pilulas unà cum melle Roſato deglutiret. Die ſubſequenti venam medianam aperiat in brachio illæſo, ſanguinémque fundat pro viribus utcunque copioſè. Altero poſt ſanguinis miſſionem die digeſtivam potionem D. ebibat, & ſic diebus tribus ſucceſſivis manè, ſomno ſemper per horam inſuper indulgendo. Quòd ſi verò potio alvum nimis laxaret, pro neceſſitate unum alterúmve diem quieſcat ſine medicaminis aſſumptione. Tandem his ita aſſumptis proximo mox ſubſequente die pilulas horâ quartâ matutinâ E. deglutiat, & per duas horas deſuper dormiat. Quibus omnibus corpus ſufficienter evacuatum fore ſperaverim, ac idcirco quamprimùm ad locum thermarum Dominatio Veſtra abeat; ubi tamen (antequam thermis uti incipiat) pilulas E. denuo ſumat; ac mox altero die thermarum uſum eo,qui ſequitur,modo incipiat.

Primo die (poſtquam alvus & veſica ſeſe excrementis exonerârint) mediâ horâ balneabit,non tamen aquis ſe nimiùm merget,ad veſperas horâ quartâ,idem tam diu factitabit. Altero die manè tribus horæ quadrantibus, ad veſperas mediâ horâ in balneo ſedebit. Tertio die manè per horam, ad veſperas per tres horæ quadrantes. Quarto die manè, per horam & dimidiam, ad veſperas per horam. Quinto manè horis duabus, ad veſperas per horam unam & dimidiam. Sexto manè horis duabus & dimidiâ, ad veſperas horis duabus. Septimo manè per horas tres,& ad veſperas per horas duas. Atq; *Modus balneandi.*

tali modo perſeveret dies circiter viginti, deſcendendo poſtmodum uti priùs aſcenderat per horas,niſi forſan corporis efflorefcentia ſeu ſcabies, quæ aliquando erumpit, aliud poſtularet: illa etenim apparente plerumque balneationes aliquamdiu protrahuntur. Verùm hæc omnia pro virium ratione, quæ vel maximè in conſideratione eſſe debebunt, dictata ſunto: ne ſcilicet nimiuſn faciamus, néque thermæ calidæ nimis ſint.

Poſt balneum,uti etiam aliàs, à frigore quàm maximè ſibi caveat,idcirco veſtimentis pelliceis probè ſe muniat. prandium nunquam inſtituat,niſi priùs per horam & ampliùs in lecto quieverit, & dum in lecto moratur,ſi ſudor erumperet, per horam dimidiam aut integram, prout vires ferunt, ſudori indulgeat, peractóque ſudore horam ſemper unam interponat, ante menſam.

Poſt menſam abſtineat à ſomno,recreationibus tempus terat in hypocauſto: balneúmque ad veſperas nunquam ineat, niſi horis quinque vel quatuor cum dimidia elapſis: quapropter ultra dimidiam horam non accumbat menſæ. Porrò neceſſarium eſt, ut Reverenda Dominatio Veſtra multitudine ciborum (etſi appetentia urgeret) non ſe oneret. parùm & boni aliquid comedat,nempe pullos, capones, gallinas, columbulas, aves ſylveſtres, carnes hœdinas; alias verò carnes piſcéſque vitet. potus ſit vinum Neccaricum media ex parte lymphatum aquâ, in qua parùm Aniſi incoctum, & quantitas panis ſiliginei infuſa ſit. interdiu & poſt cœnam nîl bibat, pro ſiti uti poterit paſſulis aquâ fontanâ lotis,aut fruſtillo pomi Arantij, aut paucis Ceraſis acidis ſaccharo conditis, aut Ribibus ita paratis; fructus horarios fugiat omnes. Aliæ quoque pilulæ præſcriptæ ſunt H. litterâ notatæ,de quibus ante ſomnum bis in hebdomade x. vel xij. ſumat,aut quoties alvus aperta non eſt, quod ſummopere erit advertendum; idcirco quòd ſi nec pilulæ ſufficienter laxarent alvum, clyſma aliquod domeſticum ita parari deberet.

Victûs ratio.

Clyſma.

℞. *Brodij carnis* ℥xij.
Mellis ℥ijß.
Olei communis ℥iij. vel iiij.
Salis parùm. Miſce.

Item ſciendum eſt,ſi Dominatio Veſtra ad noctem pilulis utatur,in cœna aliud nihil adhibendum eſſe,quàm juſculum & ova duo recentia tenuiter cocta. Porrò electuarium præſcriptum eſt F. pro confortatione non inſuave; de hoc manè & ad veſperas ante ingreſſum thermarum quantitas unius caſtaneæ ſumatur. Denique unguentum eſt deſignatum G. quo (poſt egreſſum balnei & corpus deſiccatum) artus contractos pedes & brachia calidè inungat, hoc tamen unguento priùs non utatur,quàm ſeptem diebus primis elapſis, adhibitóque per ſeptem dies balneo. Hæc ſi Dominatio Veſtra ſedulò obſervârit,ſpero effectum bonum,quem DEVS concedat.

℞. *Specierum*

R. *Specierum Hieræ ſimplicis*,
Pulveris Senæ præparatæ ana ℥j.
Miſce cum *aqua Betonicæ* fiat bolus. A.
R. *Mellis Roſati* ℥ix.
Oxymellis ſimplicis ℥iij.
Miſce detur cum bolo.
R. *Syrupi è Betonica*,
Mellis Roſati,
Oxymellis ſimplicis ana ℥v.
Aquæ Betonicæ,
Boraginis ana ℥ij.
Miſce fiat potio detur in triplo B.
R. *Maſſæ pilularum Maſtichinarum*,
Sine quibus,
Cochiarum ana ℈j.*granavj*.
Miſce & cū *aqua Betonicæ* fiant pilulæ N°.ix. C.
R. *Herbarum Betonicæ* Mj.
Salviæ,
Origani ana Mß.
Florum Salviæ,
Anthos,
Paralyſeos ana Pij.
Radicum Calami aromatici,
Helenij ana ℥iß.
Seminum Aniſi,
Fœniculi ana ℥j.
Foliorum Senæ electæ ℥ß. ℥ß.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ* ad ℔j. ſtent per aliquot horas, poſt fiat colatura, in qua dilue
Syrupi è Betonica,
è Stæchade,
Oxymellis Scyllitici ana ℥ij.
Miſce fiat potio ad tres doſes. D.
R. *Maſſæ pilularum Cochiarum* ℈ij.
Sine quibus ℈j.
Aurearum ℈ß.
Cum *aqua Salviæ* fiant pilulæ N°. xv. E.
R. *Conſervæ Roſarum Damaſcenarum*,
Florum Roriſmarini,
Salviæ,
Paralyſeos ana ℥iij.
Corticum Citri conditorum ℥ij.
Calami aromatici conditi,

Zinziberis conditi ana ℥j.
Raſuræ Eboris ʒij.
Nucis moſchatæ,
Caryophyllorum inciſorum ana ʒiß.
Specierum aromatici Roſati ℈ij.
Diambræ ℈j.
Miſce & cum *ſyrupo è corticibus Citri* q.ſ.
fiat electuarium. F.
R. *Olei Coſtini*,
Maſtichini,
De Caſtoreo ana ℥j.
Unguenti de Bdellio Meſue ℥iiij.
Miſce & adde
Vini aduſti ſeu aquæ vitæ ſimplicis ℥v.
Bulliant ad conſumptionem *vini*, deinde detur ad fictile. G.
R. *Pilulas de Iva Faventini*. H.

CONSULTATIO XXXIII.

INSTRUCTIO AD THERMAS HAILBRUNNENSES, TAM INTUS, QUAM EXTRA ADHIBENDAS.

PRO ILLUSTRISSIMO BARONE.

*

QUoniam ſæpe contingit, quòd thermæ illis, qui has viſitant, non ſolùm parùm proſint, ſed ferè plùs obſint, atque hoc non ſemper exin proveniat, quaſi ſimiles aquæ illorum affectibus ſint inutiles ac incongruæ, ſed quòd plerumque thermæ vel non ritè adhibeantur, vel quòd corpora illis immergenda non ſint rectè præparata; conſignabo proinde Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ modum, quo aquis iſtis thermalibus, antea ab Illuſtriſſima Dominatione Veſtra nunquam adhibitis, rectè & cum utilitate uti poſſit.

Thermæ malè adhibitæ, nocent.

Primò, quod attinet præparationem, totum corpus ab omnibus ſuperfluis humoribus liberatum & evacuatum ſit. hoc nuper per repetitas purgationes ſanguiniſque miſſionem factum eſt. quapropter Illuſtriſſima Dominatio Veſtra nunc venæ ſectione non indiget; attamen ante uſum thermarum pilulis adhuc ſemel ſummo manè utatur, pro placito ſuperdormiendo. Ante verò pilularum uſum ſuadeo,

Purgatio ante thermas neceſſaria.

ſuadeo,ut Illuſtriſſima Dominatio Veſtra, tribus aut quatuor diebus, ſingulis manè juſculum bibat,bona parte cum radice & herba Petroſelini alteratum: ita etenim pilulæ plùs & commodiùs corpus expurgabunt. Poſt hæc diem interponat quieti, niſi quòd manè & ad noctem ſaccharum Roſaceum, nucis Italicæ magnitudine, deglutiat. atque ita poſtero die thermas ingredietur.

Saccharum Roſaceum in thermis utile.

Poſſunt iſtæ thermæ variis modis,pro diverſa exigentia conſtitutionum,adhiberi: aliquibus enim utiles ſunt pro potu ſolùm, atque hoc in magna quantitate,uti mos eſt in Italia: alijs pro balneatione tantummodo inſerviunt: alij demum & potiſſima pars utitur his thermis pro balneo, & bibunt ex illis parùm. Illuſtriſſima Dominatio Veſtra potatione adeò quidem non indiget, cùm crurum tantummodo causâ ad thermas accedat; attamen ſuaſor ſum propter ſtomachum, quem expurgant & corroborant, ut manè poſt inſeſſum, prout communis mos eſt, bonum hauſtum calidè faciat, continuétque decem vel duodecim dies; quibus peractis, omiſſa potatione balneationi tantùm invigilet.

Thermæ Hailbruñenſes tã intus quàm extra adhibentur.

Dum his utitur thermis Illuſtriſſima Dominatio Veſtra, plura diligenter obſervabit. primum eſt,ne thermas in principio ingrediatur nimis calidas, ſed cum calore paulatim creſcendo ita aſcendat, donec ille Illuſtriſſimæ Dominationi Veſtræ gratus & accommodus ſit, quod toto balneationis tempore diligentiſſimè animadvertet: nam cùm Illuſtriſſimus Dominus complexionem habeat calidam & ſiccam,calidiores thermas non ſine noxa adhibebit,cum facilè hepate exin,renibus,totáque maſſâ ſanguineâ nimiùm calefactis, ſubſequi ſoleant periculoſæ febres.

Cautiones variæ.

Secundò,non nimis profundè corpus ab initio mox aquis immergatur,ſatiùs eſt,ut paulatim affuſâ aquâ id fiat: itaque primò ad ſtomachum uſque aqua pertingat,dein ad pectus, tandem ad humeros uſque,ſi commodè ſufferre id poſſit, perveniat.

Tertiò balneationis tempus & horarum modus hic eſto: primo die thermis inſidebit Illuſtriſſimus Dominus manè horam unam,poſt prandium horam dimidiam. altero die, manè horam unam cum dimidia,poſt prandium horam unam. tertio,manè horas duas, poſt prandium horam unam cum dimidia.quarto, manè horas duas cum dimidia, poſt prandium horas duas. quinto,manè horas tres,& poſt prãdium horas duas cum dimidia. ſexto manè horas tres cũ dimidia, poſt prandiũ horas duas cũ dimidia.atq; in iſtis ſex horis Illuſtriſſimus Dominus continuabit poſtea dies circiter decem,ultra ſex horas uti dictum,meo quidẽ conſilio uno die non balneabit.undecimo tãdem vel duodecimo die iterum paulatim deſcendet,donec tandem ad horam unam cum dimidia,toto die,pervenerit; eo prorſus modo, quo priùs Illuſtriſſimus Dominus thermas inceperat.

Horæ & tempus.

Horæ

Horæ univerſim, toto balneationis tempore, vix determinari poſſunt,id enim à viribus,& ſuperveniente efflorefcentià deſumitur: ſi Illuſtriſſimus Dominus maturè haberet efflorefcentias ſeu ſcabiem, citiùs quoque thermis finis deberet imponi, ac fortaſſis centum univerſim horæ ſufficerent: cæteroquin enim altera & ſecunda vice corpus efflorefceret, quod abſque dubio foret nimium. Equidem exiſtimo,ſi Illuſtriſſima Dominatio Veſtra eam, quam ſuprà deſcripſi methodum obſervaret, & dies non ampliùs decem, ſex horis quotidie balneando,inſumeret,atque paulatim dein declinaret, ita ut univerſim centum & quinque horas compleret, optimum & maximè conſultum illud fore. Quòd ſi verò Illuſtriſſimus Dominus diutiùs ibi morari vellet,thermáſque per quàm benè ferret, poſſet duodecim dies ſex horas balneando inſumere, atque adeò univerſim ad horas centum & ſeptendecim (plùs minùs,quod parùm refert) pervenire.

Quartò jejuno ventriculo thermas ingredi oportet, morſellum tamen unum pro jentaculo concedo, viribus verò debilibus etiam gallinæ brodium, vel ovum recens tremulum coctum.

Diæta. Quintò victûs ratio ſit exacta. cibi ſint boni,euchymi,quales iis, qui ſanguinem miſère,conceduntur. Braſſica condita, caro dura, aliáque durioris concoctionis alimenta prohibentur. nocet præterea ſatietas,unde cum aliquali appetitu è menſa ſurgendum; verùm ſitis plerumque major, quàm fames eſſe ſolet: potus ſit vinum Neccaricum oligophorum & amabile.

Sextò finita balneatione, non illico ad menſam ſeu prandium properandum eſt. antè per horam quieſcat in lecto, dormiat, vel ſi ſudor erumpat,illi per dimidiam horam, ſed non ampliùs indulgendum. Poſt prandium hilaritati ſtudeat, ſomnus nocet quàm maximè,& capiti obeſt. facta poſt prandium concoctione, ventriculóque non ampliùs onuſto,balneatio denuo inchoanda: quare neceſſarium erit,ut Illuſtriſſimus Dominus manè maturiùs ſurgat, nempe horâ quintâ,ut mediâ dein decimâ prandium poſſit inſtitui, atque horæ minimùm quatuor vel etiam una cum dimidia ante veſpertinam balneationem interponi.

Accidentia in thermis oriri ſolita. Accidentia, quæ in thermis oriri ſolent, præcaveri debent hoc modo: primò ne calor præternaturalis ſuccreſcat, ſingulis manè & veſperi poſt balneum, hepatis regio, lumbi, renes inungantur unguento ad id parato, nec frigido nec nimis calido, ſed uti in ſe eſt, corpore tamen priùs benè deterſo & ab omni calore balnei jamjam libero. ſecundò ut ventriculus corroboretur conſervetúrque, inungi debet ſingulis diebus manè & veſperi poſt balneum unguento præſcripto,juvabit ſtomachum validè hoc præcipuè tempore, quo corporis pori aperti,medicamenti vires facilè ad intrà admittunt. ad eundem finem valet tragéa,de qua Illuſtriſſimus Dominus cochleare

Calor præternaturalis viſcerum.

Ventriculi imbecillitas.

dimi-

dimidium ſupra panem uſtulatum & vino aſperſum, vel per ſe poſt menſam accipiet. Item miva Cydoniorum,aut Cydoniorum fruſtulum conditum, aut pyrum coctum aſſum Aniſo, ſaccharo obducto, aſperſum, huc valet. Porrò ſi Illuſtriſſimus Dominus inappetentiâ laborat, excitabitur illa Capparibus, Olivis, Limoniis recentibus aſperſo ſaccharo, vel rob aliquo facto ex aceto ſaccharo Cinnamomo ac Mentha contuſa, tanquam ventriculo admodum grata & utili. Ad veſperas ſeu cœnam,quotidie acetaria ſuadeo, ex radice Cichorij cocti facta, quia refrigerant & corroborant hepar & ventriculum. Inappetentia.

Nec ſitis emanere ſolet in thermis, ad quam compeſcendam varia paſſim adhibentur; inprimis grata ſunt poma Arantia,Granatorum,acida Ceraſa condita ſaccharo, Ribes & Berberis fructus conditi, & præcipuè conditum illud ex ſyrupo acetoſitatis Citri & aliis confectum, de quo cochleare unum aut alterum cum quantitate aquarum thermalium mixtum ebibat,frigidè,poſt prandium. ad noctem dum Illuſtrisſimus Dominus cubitum iturus eſt, ſacchari Roſacei bonam partem cum aqua fontana vel thermali diſſolvat, percolando,& aſſumat frigidè: hoc hepar refrigerat, ſitim ſedat, vigilias arcet,præcavet dolores capitis & alia accidentia. Sitis.

Quòd ſi calor præternaturalis, febris inſtar invaderet, uti aliquando dum corpus efflоreſcit,ſolet contingere,aut quando thermæ nimis calidæ adhibentur,à vino abſtinendum erit,ſed ejus loco aquâ coctâ, ex Hordeo decorticato, aliquibus Prunis, Ceraſis acidis ſiccis, vel Paſſulis, & Cinnamomo utendum. prætereà intermittendum erit aliquamdiu balneum, donec calor deferbuerit; ad quem debellandum confert ſaccharum Roſaceum, aliáque, quæ ſuprà pro ſiti arcenda denominata ſunt. In dolore capitis ſequens oxyrrhodynum conferet. accipiatur oleum Roſaceum,aqua Roſacea ana, aceti Roſacei quarta pars,miſceantur benè, madefiat hiſce linteolum tenue,quod dein fronti verſus futuram coronalem, ac ambo tempora frigidè imponatur, renovetúrque ſingulis horæ quadrantibus. Ad vigilias arcendas unguentum confert ambobus temporibus illitum. item optima eſt Lactuca cocta poſt cœnam ſumpta ſuperbibendo hauſtum vini. Febris. Dolor capitis. Vigiliæ.

Denique contingere ſæpiſſimè ſolent in thermis conſtipationes alvi,in qua re meritò ſolliciti eſſe debebimus. quapropter ſuccurrendum erit pilulis præſcriptis, de quibus quinque pro vice deglutiendæ mox ante cœnam, ac poſtridie thermæ nihilominùs continuandæ. ſi clyſma domeſticum allüberet, vel modò pilulæ modò clyſma magis arrideret, poſſet iſtud tali modo confici: accipiatur brodium carnis circitèr ad librã unam,in illo diſſolvantur ſacchari rubri unciæ duæ,olei Violacei unciæ tres,& ſalis parùm; injiciatur horã Conſtipatio alvi.

unam ante cœnam. cæterùm paſſulas laxativas addidi, quarum cochleare unum alterúmque ante cœnam ſumptum laxat alvum. Cibi quoque laxantes negligi non debent ante alios ſeu in prima menſa aſſumpti, quales ſunt herbulæ virides, Spinachia, Lactuca, Pruna dulcia cum ſaccharo cocta, Poma dulcia cocta vel aſſa, & ſimilia. Atque hæc ſunt quæ de uſu thermarum Hailbrunnenſium, nec non de accidentibus ibi contingere ſolitis annotare viſum eſt; DEVS ſua benedictione adſiſtat. 24. Maij. Anno 1581.

NB. *Deſunt hîc recipe: nempe pilulæ purgantes ad thermas: morſelli pro jentaculo corroborantes: unguentum infrigidans renes lumbos hepar: unguentum ſtomachále corroborans: tragéa ſtomachalis: ſyrupus acetoſitatis Citri ſeu illius mixtura: unguentum temporum ad vigilias: pilulæ pro conſtipatione alvi; quæ tamen omnia facilè ſubſtitui poſſunt.*

THOMÆ MERMANNI

CONSULTATIONUM ET RESPONSIONUM

LIBER OCTAVUS.

DE FEBRIBUS.

CONSULTATIO I.

FEBRIS TERTIANA INTERMITTENS SPURIA.

PRO

VIRO NOBILISSIMO DOMINO N.

Ad Medicum Ordinarium.

DOleo quantùm verbis exprimere non poſſum, febre laborare Doctiſſimum atque Nobiliſſimum Dominum N. quo ego Viro neminem mortalium valetudine proſpera rebúsque omnibus ſecundis digniorem exiſtimo. Remedia ab Excellentia Tua adhibita, malo profligando apprimè accommodata fuiſſe, nemo negaverit: quòd verò morbus necdum ceſſerit, materiæ ipſum fóventis copia & craſſities fecit. recreat interim me, quòd omni prorſus periculo vacat, nonnullam patientiam & ulteriorum remediorum uſum duntaxat poſtulans. Graſſantur hîc paſſim id genus febres tertianæ ſpuriæ, ſalutares quidem omnes, ſed quæ in quintam vel ſextam hebdomadem, interdum etiam ultra excurrant. Multos, qui ipſis conflictarentur, habui, & curavi eâdem, quâ Excellentia Tua utitur, methodo. perſiſtat Dominus Patiens in pugna victoriam reportaturus propediem de hoſte nequaquam indomito. Præſidia ſunt illi Te Conſultore rectè parata, vix enim, quod mutandum in eis videatur, occurrit. placent

in alimentis jura pullorum aceto condita, in quibus vel ovorum vitelli vel panis tritus adijciatur, placet & hordeum ad diſſolutionem coctum. potus ſit aqua cui ferventi aliquid Cinnamomi ſit injectum, ac deinde medulla panis ſecalini furfuracei benè fermentati, qualis familiæ apponitur, infuſa, * ubi paulò ampliùs per ventrem purgata fuerit. Vinum concedatur Neccaricum largiſſimè aquâ panatâ, dilutum. Vbi ſyruporum pertæſus fuerit, juſculo pulli herbaceo cum recentibus plantis Cichorio, Boragine, Acetoſa, & modico Apij (Petroſelini vulgò) incoctis. formula purgantis medicamenti, quo uſus eſt hactenus valde arridet, id ſi mutare placet, probo paulò ſimplicius, & plus Senæ habens, cujuſmodi eſt.

Potio purgans.

℞. *Foliorum Senæ* ℥iij.
Agarici præparati ʒiß.
Zinziberis,
Seminis Aniſi ana ℈j.
Paſſularum ℥ß.
Decoquantur in *aquæ Boraginis* ℥vij. ad tertiæ partis conſumptionem, ſtent per horas x. deinde infunde colaturæ ℥iiij.
Pulveris Rhabarbari ʒj. *vino albo irrorati*, rurſus quieſcat x. horis, dein adde colaturæ
Mannæ ℥iß.
Mellis Roſati laxativi ʒx.
Oxymellis ſimplicis ʒvj.

Si parciùs vacuet electuarij Diaphœniconis ʒij. addantur. ubi vini offerendi occaſio adeſſe videbitur, Abſinthiaci hauſtulus aquâ Boraginis dilutus in prima menſa rectè ſumetur. Enematum uſum tertio quoque die repetendum ſuadeo, præſertim cùm materia morbifica ac putredinis minera in ventriculo contineatur.

CONSULTATIO II.

FEBRIS QUARTANA.

PRO

MVLIERE HONESTA.

*

QUod tibi, Vir Clariſſime, dem conſilium, vix ipſus ſcio, arduum eſt abſentibus ægris remedia proponere. interim hiſtoriam febris quartanæ in muliere, temperamento, uxori tuæ, quantùm intelligo, non diſſimili, nuper feliciter percuratæ tibi narro, forſan eadem remedia lectiſſimæ uxori tuæ,

quod

quod enixè opto,erunt proficua; ſuaſor, tamen ſum,ut antequam illa adhibeas,opinionem Medici ordinarij & conſenſum exquiras.

Laboravit itaque apud nos Monachij per annum ferè, febri quartana,honeſta mulier. adhibita ſunt diverſa, clyſteres, potiones ex electuario Lenitivo Florenzolæ, Diacatholiconis, confectione Hamech,Manna,Melle Roſato ſolutivo cum decocto Senæ magiſtrali, item Vitri Antimonij grana v. & vj. in vini Malvatici unciis tribus infuſa ſunt,& vinum curioſè percolatum bis exhibitum. omnia in caſſum, tandem ſequens potio. aliquoties porrecta morbum imminuit, ſuſtulitque.

Potio ad febrem quartanam.

R. *Radicum Hellebori nigri* ʒiß.
Seminis Aniſi,
Zinziberis,
Macis ana ℈j.
Florum Nymphææ,
Boraginis ana Pj.
Paſſularum ʒß.
Decoquantur in ſ. q. *aquæ Boraginis* ad ℥iiij. ſtent per noctem, manè fiat colatura, in qua diſſolve
Mellis Roſati ſolutivi,
Mannæ ana ℥j.
Miſce fiat potio.

CONSULTATIO III.

HISTORIA DE FEBRI VAGA ERRONEA LENTA CUM CORPORIS EXTENVATIONE, ALIJSQVE ACCIDENTIBUS PERMOLESTIS ET PERICULOSIS.

PRO

FOEMINA NOBILISSIMA PRINCIPE.

SEreniſſima Duciſſa N. N. annos nata circiter quadraginta, temperamento corporis totius moderato, ſi caput paulò calidius & ſiccius excipiatur,habitu inter macilentum, & carnoſũ ferè medio, cùm in virginitate in mẽſium ſuppresſionem, inſignes hepatis obſtructiones incidiſſet, Sereniſſimo Principi in matrimonium collocata,valetudine fuit ita malè affecta,ut & facies pallore ſuffunderetur, & malum ad cachexiam

 tenderet.

tenderet. In primo deinde partu epilepſiâ laboravit, uſque adeò gravi, ut de ſalute ejus omnes propemodum deſperarent. Subſequentibus verò annis quinque filios, & tres filias feliciter peperit, ex quibus quinque maſculi atque una fœmina ſunt adhuc ſuperſtites,ipſáque ab eo tempore mediocri ſemper uſa eſt valetudine, præterquam quòd in capitis dolores ex levi cauſa præſertim verò ventriculi cruditatibus,crebrò incurrit,ſed magna ex parte breves, ut qui ſomno,atque interdum vomitu facilè ſolverentur. Ante ultimum etiam partum bis abortivit, paucis poſt conceptum hebdomadibus: unde genus venoſum vehementer exhauſtum, viréſque omnes non mediocriter fuerunt attritæ,cum ſiti asſidua, & ciborum penè omnium faſtidio. Verùm & medicamentis idoneis, & aquis naturalibus tam in lavatione, quàm potu adhibitis ſolitam appetentiam primò, ac deinde vires tandem mediocres recepit, ita ut paulò pòſt utero gereret, ſcitúmque puerum in lucem ederet. Eſt autem à multis annis cibi paucisſimi ac ſiticuloſa, delectatur craſsis, ac frigidis alimentis, atque inprimis omnis generis frugibus. Hæc anorexia ab aliquo tempore ita eſt aucta, ut totum corpus manifeſtè gracileſcat, vixque nutriatur. Ad hanc acceſſit tenebricoſa capitis vertigo,uſque adeò vehemens, ut aliquando concideret, & lectus vel jacenti, in gyrum videretur rotari. Ventriculus tunc nauſeabat, crebérque aurium tinnitus percipiebatur: alvus majori ex parte adſtricta,nonnunquam ſponte fluebat, ac turbabatur. Evacuato autem per Aloëtica corpore,ventriculo, primùm nauſea quidem ita eſt ſublata, ut tamen inappetentia in hanc uſq; horam ſit relicta. Reliqua materia ex parte præparata & pilulis paulò fortioribus repurgata, capitéque proprijs remediis corroborato mitiùs quoad vertiginem habet, perſeverante adhuc ciborum averſione, ac ſiti. Non decumbit tamen, roburque vitale ſatis conſtat. Vrinæ ſunt variæ & inconſtantes, interdum ſcilicet craſſiuſculæ, ſubinde verò tenues; plerúmque tamen ſubalbidæ, vel ſaltem non ſatis coloratæ, cum ſedimento divulſo. In labris, ac facie tota pallor nullus, ſive alius color fœdus ſed elegans ſatis, utpote ex albo & rubro commixtus, apparet, præterquam in extremo ambitu oculorum, ubi antiquarum obſtructionum reliquias, ac veſtigia quædam haud obſcurè licet agnoſcere. Corporis extremitates ſæpiſſimè, ac præcipuè veſperi, frigore corripiuntur, ita ut ungues liveſcant, quod etiam in prandio non rarò eſt videre: nullus tamen calor præter naturam inſequitur, neque à multis annis deprehenſa eſt febricitare. Palatum habet delicatum, averſatúrque medicamentoſa omnia quàm maximè, ita ut nec Roſas, nec Cinnamomum, nec nucem Moſchatam, multò minùs quæ ingrata ſunt, facilè ferat. Atque hæc ita ſe habuerunt ad menſem Aprilem præſentis anni, quæ verò poſt acciderint, nunc ſubijciemus.

Corpore

Corpore per univerſalem purgationem evacuato, cùm vertigo illa crebriùs, interdum autem cum capitis dolore recurreret, admota ſunt nuchæ, & brachio utrique veſicatoria ex cantharidibus fermento ſubactis; quæ, licèt ex locis ulceratis copioſus ſatis humor efflueret, non multùm tamen profecerunt, ita ut ad majora præſidia admittenda fuerit coacta, perſeverante præſertim anorexia, extremorúmque frigiditate. Primum autem fuit decoctum ligni Saſſafras dicti, cuius hauſtum ad eliciendum in lecto ſudorem, manè aſſumebat, qui tamen paucus admodum, atque nonnunquam planè nullus prodibat. Sudorificum hunc potum ferè per menſem bibit, non tamen continuum, ſed intervallis aliquot modò brevioribus modò longioribus interpoſitis, quæ partim excurſionibus ad vicina loca, partim verò exercitijs pietatis concedebantur. Ad menſam aliquamdiu ſecundum decoctum ligni ejuſdem uſurpavit, poſtea verò & decoctum, & vinum eo dilutum, promiſcuè uni prandio, & cœnæ adhibuit. Potus autem ad cibum largior ſemper extitit, ut ad triginta uncias facilè aſcenderit, eáſque interdum excederet, flagitante id ſiti, quæ vix ita tandem ſedari poterat.

Hac vivendi ratione quatuor ferè menſes obſervata, non neglectis interea, ubi res poſtulabat, levioribus purgatiunculis, & clyſteribus domeſticis, vertigo quidem valde eſt imminuta, ſed inappetentia, ſitim perpetuò comitata, nullis cedens remediis, contumax manſit; nihil proficientibus intinctibus, condimentis ac cibis ad hoc quantumvis diligenter, & artificioſè paratis. Itaque tanquam ad ſacram anchoram, ventum eſt ad aquas minerales, acidas, & ob jucundum ſaporem, quo præditæ ſunt, palato valde gratas: quæ vitriolo cupro ferro & pauco ſulphure, nec non multo pyrite, & calcario ſaxo infici creduntur, valéntque (atteſtante experientia) ad obſtructiones tollendas, ventriculum roborandum, appetitum inſtaurandum quàm maximè. Has ex ipſo fonte ad vicinum oppidum allatas cùm dies aliquot primò parciùs poſtea verò liberaliùs, pro loci illius conſuetudine, manè bibiſſet, nunquam tamen uncias viginti excedendo, atque vinum ad menſam (ut fieri aſſolet) commiſcuiſſet, nihil incommodi ſenſit, niſi quòd primis duobus diebus ventriculus nonnihil inflari videbatur, qui tamen ex hauſtu vini Abſinthiaci ad prandium duos tantùm dies conceſſo, nec non inunctione olei de Abſinthio facilè ſubſedit. Vrinæ fluebant copioſæ, cúmque aliquot dies in uſu acidulæ hujus perrexiſſet, viſa ſibi eſt ſine ſiti & cum appetitu prandere, ita ut in certam ſanitatis recuperandæ ſpem erigeretur. Verùm id nonniſi ſemel contigit: ſequenti enim die non ſolùm ad priora rediit, verùm etiam in febrem tandem incidit, quæ quarto quoque die ſub noctem cum levi capitis dolore, ac ſiti obrepens, quatuor paroxyſmis fuit finita. Præcedebat illam frigus exiguum valde, id vero calor

Aquæ acidulæ ad anorexiam valent.

præter

præter naturam excipiebat; mitis tamen ac vaporoſus, poſt ſex vel ſeptem horas ad ſummum; per inſenſibilem perſpiratum; ac modicùm manuum ſudorem,ſenſim evaneſcens. Sublatâ hac febriculâ; cùm Monachium reverſura ſub cœlo nebuloſo ac frigido iter feciſſet,tuſſire cœpit ex catarrho, à quo ſymptomate licèt moleſto ſatis ac gravi,ope auxiliorum convenientium facilè eſt liberata. Vix autem diebus viginti quinque exactis,febris rurſus acceſſit,primæ non abſimilis,niſi quòd periodum, non ut illa quartanæ; ſed tertianæ ſervat, & nequaquam more illius brevis eſt,ſed jam in ſextam uſque hebdomadem protrahitur,ita tamen interdùm obſcura, ut ab ipſa ægra non percipiatur: ſex autem vel ſeptem ad ſummum horas non excedit; nullóque ſudore effatu digno, ſed inſenſibili perſpiratu ſolvitur.

Febris tertianam æmulans.

Remedia ad primam febrem fuêre, præter victûs rationem, Diacatholicon ſemel exhibitum,& clyſteres familiares; leniendi moderatéque abſtergendi facultate præditi,bis térve injecti. Ad ſecundam verò; hanc, poſt leniens medicamentum paulò antè aſſumptum; Oxymel ſimplex juſculo pulli dilutum, manè dies ſeptem continuos hauſit: indè verò aliud medicamentum ex confectionis Hamech ℥ij, Agarici præparati ʒß, pulveris Senæ Montagnanæ ℈j. & Rhabarbari ℈ß. in bolum redactis, devoravit; ex quo cum optima tolerantia copioſè fuit evacuata; prodeuntibus humoribus heterogeneis,majori tamen ex parte pituitoſis; ac retorridis. Verùm febre nondum profligata,ubi dies aliquot quieviſſet,ad ſyrupum Byzantinum tranſivimus; eóque cum juſculo ſexies accepto; rurſus bolum præſcripſimus ex Diacatholici ℥j. cum Agarici præparati ℈ijß, à quo decies egeſſit cruda pituitoſa & aduſta. Antequam autem medicamentum hoc offerretur cùm poſt ſyrupum manè aſſumptum nauſeabunda eſſet, atque propterea Oxymel ſimplex ex juſculo tepido bibiſſet,multam pituitam craſſam ac viſcidam evomuit; ſed ſequenti nocte; quemadmodum à purgatione quoque accidit, ſolitò vehementiùs febricitavit. His peractis viſum medicamentoſis ſuperſedere,ac remedia palato minùs ingrata offerre. Fuerunt autem hæc juſcula caponis radicibus Boraginis, Bugloſſi, Plantaginis, Petroſelini & foliis Agrimoniæ incoctis alterata; quibus hoc ipſo tempore ſyrupi loco contenti ſumus. Paroxyſmus ab ultimo purgante pharmaco, quod die--hujus menſis ſumpſit longior fuit & gravior conſueto. Secundus verò vel obſcurus admodum vel planè nullus: nullum enim calorem præter naturam ſenſit,frigus etiam nullum præceſſit. Verùm cùm noctu placidè quieviſſet,è ſomno excitata; in lecto; horrore ſeu rigore quodam eſt correpta; quem tamen calor febrilis (ut refert) omninò nullus excepit,ita ut ſummo manè ante lucem, nulla prorſus febris veſtigia apparerent. præterita nocte quæ diem hunc Decembris--præceſſit; quo hoc ſcribimus, plus frigoris ſe percepiſſe affirmat; quam

quam caloris: vix enim ante mediam noctem incaluit per univerſum corpus: dormivit, licet paulò in quietiùs; incertáque eſt illa ipſamet,utrùm febrile aliquid adfuerit: ſummo mane ab omni calore præter naturam,immunis certè fuit. Vrinæ per totum ferè morbi curſum copioſæ, fortè ob largiorem potum, ſemper fuêre tenues, ac minimè coloratæ, præſertim primæ in quibus enæorema paucum ac divulſum licuit videre: poſteriores verò magis ad naturalem colorem accedere conſuevetunt; cum hypoſtaſi; raro integrè ſibi cohærente, non ſine ſabulo minutiſſimo ad fundum matulæ ſubſidente ejúſque parietibus adhærente. Ex heſternis quæ prior reddita fuiſſe dicitur,ſatis erat colorata, perſpicua, cum hypoſtaſi non planè illaudabili,arenoſa, & aduſtionibus plena. Secunda magis albicans & cruda. Tertia turbata erat ſeu corrupta, quod nonniſi jam ab aliquot diebus accidit, ambientiſque frigori fortaſſis adſcribi debet. A pauco tempore obſervatum eſt,ea die quæ noctem ſuſpectam præcedit,urinam aliquando interdiu redditam fuiſſe valde rubicundam, quæ in loco frigido relicta,mox turbatur. Alvus ſuo fungitur munere,ferè quotidie,ſeu alternis ſaltem diebus: fæces ſunt compactæ, ſæpe ſiccæ, coloris per totum ægritudinis tempus ſubnigri. Pulſus matutino tempore,jejuno adhuc ventre, ferè parvus eſt, non tamen debilis valde,aut vacuus,neque multùm inæqualis, nunquam etiam durus,in frequentia ac celeritate dici poteſt moderatus. Interdiu verò ſæpe crebrior deprehenditur, ac concitatior. Color faciei elegans eſt,nullum arguens effectum præter naturam, exceptis icteri particularis veſtigiis, quæ circa oculorum ambitum conſpici ſuprà monuimus. In hypochondriis dolor nullus, nullus tumor, nulla durities, aut gravitas deprehenditur. Venter valde eſt collapſus, & cum toto corpore ſatis gracilis & extenuatus. Appetitus jacet proſtratus, ſitis vero vix unquam intermittit. Quotidie ferè, duabus vel tribus horis à prandio incaleſcit in capite & facie, ut genæ rubeant, ſudórque exiguus circa os interdum erumpat; extimæ manus interea frigidæ, volæ autem madidæ percipiuntur. Pedes ſæpe frigent, atque ægrè vel in lecto calefiunt,præterquam in febrili paroxyſmo,quo tempore perpetuum ferè eſt,quòd è lecto ſurgens,vel ab ambientis frigore, non ſatis munita horripilatione facillimè corripitur, mox tamen rurſus incaleſcens. Affligitur crebrò dolore quodam, mediam dorſi regionem extimam cutem occupante, qui contuſionis inſtar abultimâ ferè thoracis vertebra incipiens ad os ſacrum uſque extenditur. Atque hæc ferè eſt tota hiſtoria de affectibus præter naturam, quibus in hodiernum diem laborat Nobiliſſima Matrona longè ſanè digniſſima, cujus ſaluti ac diuturnæ vitæ, omnes viri docti ſummo ſtudio, fide, ac diligentia conſulant. Monachij die xvj. Decembris. Anno ſalutis M. D. LXXXV.

NB. *Similibus acceſſionibus febrilibus laboravit per biennium Sereniſſima alia Princeps N.N. donec 1635. graviori ſuperveniente febri cum hemiplexia diem ſuum obiret.*

CONSULTATIO IV.

FEBRIS ACUTA.

PRO

SERENISSIMO ARCHIDUCE.

Ad ejuſdem Archiatros.

IN hoc temporis articulo, ex Sereniſſimo Duce, Domino meo clementiſſimo, cum incredibili animi dolore cognovi, Sereniſſimum Archiducem in reditu ex thermis ſuo, acuta febre correptum, non ſine aliquo vitæ diſcrimine (id DEVS benignè avertat) decumbere. Juſſus igitur ad Excellentiam Veſtram aliquid litterarum dare, calamum protinus arripio, quamvis mente ſummoperè perturbata, atque afflicta. In tanta autem feſtinatione ac perturbatione, quod ſcribam, vix occurrit, niſi quòd Sereniſſimo Archiduci, Principi omnium virtutum concurſu inclyto ipſiúsque Sereniſſimæ Vxori, ac Liberis, atque adeò Vobis haud dubiè mirè ſollicitis toto animo condoleam. quod reliquum eſt cùm de morbi eſſentia cauſis & ſymptomatis nihil ferè ad nos ſit ſcriptum, nihil etiam ferè occurrit conſilij vobiſcum pro mutua noſtra neceſſitudine communicandum. unum eſt quod à vobis reverenter ac fidenter, ſi iſthic eſſem, peterem: ut nimirum, cùm morbus magnus ſit, ac periculis plenus, magna quoque remedia, contra loci iſtius receptæ conſuetudinem, alacriter adhiberetis. Vereor enim, ne contra ſapientiſſima veſtra conſilia injecto clyſteriolo, vel aſſumpta Manna aut Caſſia, quod reliquum eſt naturæ committendum tum Principes, tum alij aliqui primarij Viri iſthinc cenſeant. Suſpicor item ne de virium lapſu pluſve ſolliciti, liberaliorem victum aſſiduè efflagitent, vobiſque Viris eruditiſſimis ita & exercitatiſſimis curationis difficultatem non mediocriter adaugeat. Ego verò enim illum ſanguine copioſo & calore hepatis renúmque inſigni præditum eſſe non ambigens, blanda poſt primæ regionis corporis exterſione, ſectâ brachij venâ & diebus aliquot intermiſſis, ex hæmorrhoidibus quoque per hirudines admotas, ſanguinem ſatis copioſum extraherem, ídque eò liberiùs, ſi malitiæ ad caput raptum pertimeſcendum intelligerem. deinde victûs ratione idonea, remedijs Bezoarticis contra morbi violentiam ac malignitatem

Miſera Principum dum ægrotant conditio.

Difficultas in curandis Principibus.

Hæmorrhoidum uſus in febribus acutis.

gnitatem

gnitatem pugnarem. quæ ad vos ſcribo ſolâ ſinceráque ac mutuâ benevolentiâ impulſus facio, nequaquam immemor, quanta & vos ſuavitate nos in Sereniſſimi Noſtri Ducis convaleſcentis contumaci ac diuturno morbo conſolati fueritis. decet nempe id candidos ac ſinceros amicos, cósque potiſſimùm, qui illis inſerviunt principibus, quibus omnes fortunæ caſus planè ſolent eſſe communes. Faxit Optimus DEVS &c.

CONSULTATIO V.

FEBRIS CONTINUA MALIGNA CUM PARAPHRENITIDE ET ARDORE LINGUÆ &c.

PRO

NOBILI QUODAM.

Ad Clariſsimum Exlinum Medicum.

Cum phrenitis continuum (teſte Galeno) delirium habeat, Nobilis verò à Zillhart exacto paroxyſmo ad mentem redire ſcribatur, paraphrenitide ipſum laborare dubium non eſt. Ne verò morbus ſecundarius, eſſentialis in cerebro fiat, id ſanè cavendum quantum fieri poſſit, prudenter admodum monet Excellentia Tua. Ad id mihi placerent cucurbitulæ quatuor cũ ſcarificatione & ut cervici & ſcapulis affixæ, ad revellendum id, quod tam paroxyſmi, quàm ipſius remiſſionis tempore influere in caput poſſet, vel jam influxit. hæmorrhoides quoque admotis hirudinibus, ſi vires id permitterent, ad eandem revulſionem, totiúsque ventris refrigerationem convenientiſſimè aperirentur, nósque hîc chirurgum Ducalem ea in re à me inſtitutum habemus. Capitis embrocha placeret, refrigerans repellens & modicè digerens, niſi catarrhus obſtaret. Mitto ad te ex Ducalibus medicamentis aquam ex Sedo majore cum pauco ſale Armoniaco deſtillatam, remedium, ut nôſti, ad Prunam dictam celebre, quo os ad ariditatem quoquo modo mitigandam ſæpiſſimè colluat. In potu placet ad hæc omnium maximè ut heri ſcripſi aqua hordei mundati cum ſyrupo è ſucco Citri & pari portione ſyrupi Violati. Habes & hîc ſuaviſſimam & elegantiſſimam Roſarum conſervam, cum modico ſucci Limonum, nuper apud nos paratam, de qua aliquid cum pari doſi conſervæ Violarum ac Boraginis vel Bugloſſi afferri interdum poterit. Convulſivi illi motus muſculorum, quos ſæpe in

Cucurbitulæ ſcarificatæ & hæmorrhoidũ apertio.

Aqua ex Sedo majore & ſale Ammoniaco contra Prunam.

Potus ordinarius.

malignis febribus obſervavi, nec non reſpirandi difficultas, cujus Domina in ſcheda ſcripta meminit me terret non mediocriter. DEVS opem ferat optimo Nobili ac præſidia abs te artificioſè, ſapientérque inſtituta benè fortunet. Gôppingæ 4. Julij Anno 1591.

CONSULTATIO VI.

DE PESTE, ET REMEDIO QUODAM EVPORISTO.

DOctori Menzelio meis verbis ſalutem plurimam, ſimúlque dicas, me in reditu meo ex Spadanis aquis remedium ad peſtem ſingulare miréq; efficax Heidelbergæ à Medico accepiſſe, quo illæ quàm plurimos gloriabatur ſervâſſe, theriaca nihil planè efficiente. Eſt hoc ſemen ſeu baccæ Hederæ arboreæ, quarum drachmam plùs minùs in pulverem redactam obtuliſſe ſe ajebat, quod auxilium etſi in libris publicè impreſſum non legitur, nō parvi tamen faciendum duco propter hominis experientiam, imò propter ipſam vilitatem; eſt enim evporiſton, quali miſera plebecula opus habet. &c. Monachij 11. Decembris. Anno 1599.

Baccæ Hederæ arboreæ ſingulare remedium peſtis.

CONSULTATIO VII.

CURA PRÆSERVATORIA IN PESTE.

Acetum Bezoardicum.

℞. *Baccarum Juniperi,*
Nucum Juglandium,
Foliorum Rutæ,
Cardui benedicti,
Salviæ ana Mj.
Radicum Zedoariæ,
Angelicæ,
Corticum Citri ana ℥ß.

Omnia minutim incidantur & affundantur *aceti acerrimi* menſuræ tres & ſignetur acetum Bezoarticum contra auram infectam.

Electuarium Bezoardicum ex Nucibus.

℞. *Nucum Juglandium maceratarum in aceto* N°. 40.

Ficuum

Ficuum pinguium N°. xxx.
Foliorum Rutæ recentis Miiij.
Radicis Tormentillæ ℥ij.
Croci,
Salis ana ʒij.
Omnia contundantur & cum *Melle* q. ſ. fiat electuarium., ſignetur Electuarium Bezoarticum præſervatorium.

Item olla impleatur vitreata capiens menſuras tres folijs Rutæ & affundatur media pars aceti Roſacei & media pars vini albi pro imbuitione ſpongiarum.

Signentur ſpongiæ pro odore contra peſtem.

℞. *Roſarum rubrarum pulveriſatarum* ʒiij. Rotulæ.
Corallorum rubrorum,
Margaritarum præparatarum,
Cornu Cervi,
Spodij ana ʒij.
Corticum Citri ſiccatorum,
Macis ana ℈j.
Sacchari albiſſimi in aqua Roſarum diſſoluti ℥xj. ʒvj.
Fiant rotulæ pondere ʒj.

℞. *Aloës lotæ in aqua Pimpinellæ* ℥x. Pilulæ.
Myrrhæ,
Rhabarbari electi ana ʒiß.
Croci orientalis ʒß.
Cum *ſyrupo Roſaceo* fiat maſſa de qua formentur pilulæ pondere grani dimidij. deaurentur.

℞. *Foliorum Dictamni veri*, Pulvis ſudoriferus.
Radicum Tormentillæ,
Pimpinellæ,
Zedoariæ,
Gentianæ,
Betonicæ altilis,
Caryophyllatæ ana ʒij.
Boli Armeni præparati ʒiiij.
Terræ Lemniæ ʒiß.
Aloës hepaticæ,
Myrrhæ ana ʒij.
Croci ʒß.
Corticum mali Citrij,
Maſtiches ana ʒj.
Terantur ſubtiliſſimè & fiat pulvis, pro ſudore ciendo.

Nodulus.

R. *Myrrhæ,*
Storacis calamitæ,
Roſarum rubrarum ana ℥vj.
Benzoi,
Seminis Baſiliconis,
Foliorum Roriſmarini ana ℥iij.
Santalorum rubrorum,
Citrinorum,
Corticum Arantiorum,
Citri ana ℥ij.
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ ana ℥iij.
Camphoræ ℥j.

Omnia contundantur groſſo modo & commiſceantur, ligentúrque in ſindone & fiant noduli.

Hæc pro Itinere, præſervationis ergo, præſcripta ſunt à Mermanno Sereniſſimo Duci Ferdinando Coadjutori Coloniæ &c. 7. Novembris 1606.

ANTIDOTUS
CONTRA PESTEM.

Antidotus contra peſtem Mermanniana 100. thalerorũ munere empta.

In Ciſta Medica ab Joanne Hornungo edita Epiſtolâ 46. paginâ mihi 153. Mermanniana antidotus contra peſtem deſcribitur, quam Dux Bavariæ munere 100 thalerorum redemiſſe ibidem dicitur. illam igitur huc apponere libuit.

R. *Lapidis Bezoar,*
Terræ ſigillatæ ana ℥j.
Dentis equi marini,
Boli Armeni,
Radicum Angelicæ,
Caryophyllatæ,
Cinnamomi ana ℥ß.
Radicis Zedoariæ grana xvij.
Hyacinthi,
Rutæ caprariæ,
Scorzoneræ ſeu Viperinæ, in cujus defectu ſubſtituimus *Ophiogloſſum*, ſeu *linguam ſerpentinam*,
Radicis Cardui benedicti,
Viſci querni,

Nucis

Nucis Pinearum anagrana xv.
Unicornu veri (in defectu, *Cornu Cervi* quantitate dupla)
Sulphuris vivi,
Morsûs diaboli,
Enulæ ana grana viijß.
Seſeleos Cretici,
Ariſtolochiæ longæ,
Betonicæ,
Biſtortæ ſeu Serpentariæ maris ana grana xijß.

Omnia hæc in pulverem tenuiſſimum redigantur, addatur pulvis *Serpentinæ ſeu Viperarum* ad pondus omnium, Miſce, addendo deinde

Pulveris Baccarum Lauri,
Gentianæ,
Myrrhæ,
Ariſtolochiæ rotundæ veræ ana ℥iß.

Miſce & cum *melle* deſpumato fiat ad formam opiatæ.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM, VERBORUM, ET SENTENTIARUM COPIOSISSIMUS.

A.

ABORTUS & illius præcautio. 453. 455.
ABSINTHII & Chamædryos decoctum, ad pituitæ putreſcentis correctionem valet. 191.
ABSINTHIUM appetentiam, & coctionem juvat. 191.
ACETUM Bezoardicum 556.
ACIDULÆ appetentiam augent. 342. 551. in cachexia non ſemper utiles. 276. calculoſis profunt. 342. 356. colicos juvant. 203. in gonorrhœa valent. 416. hepar & ventriculum calidiorem temperant. 167. 243. 342. gibbam potiùs quàm cavam hepatis partem purgant. 248. in ſanguinis mictu ſuſpectæ. 386. tempore ſereno colliguntur. 240. tepefactæ aliquando bibendæ. 338.
ACIDULÆ dejectoriæ. 256.
ACIDULÆ etiam pro infeſſione adhibentur. 33. 353.
AICDULÆ Bruzzenſes & illis utendi modus 339. 341. 343. Spadenſibus vix inferiores. 240. colicis nocent. 342.
ACIDULÆ Ebenhuſianæ 204. 495.
ACIDULÆ Göppingenſes. 236. 333.
ACIDULÆ Spadenſes. 284. 300. 526.
ACIDULÆ Vbrikingenſes. 236. 333. 377. 495.
ACIDULÆ Schwalbacenſes. 203. 284. 300. 325. 333. jecori præcalido proſunt. 339. utendi modus. 256. 336. 338.
ACTIONE corporis aliqua læſa, neceſſum eſt organum ejus eſſe quoque vitioſum. 229.
AEGROTUS imprudenter aliquando remedijs onerari petit. 134.
AGARICI crudi uſus 136. 432. ejusdem pulvis cum ovo ſorbili in affectibus pectoris prodeſt. 136. parùm movet ventrem. 432.
AGRIMONIA hepatica eſt. 280.
ALIMENTA qualia calculoſis noxia? 365.
ALIMENTI detractio & exercitium majus, humorum proventum inhibet. 170.
ALOES extractum. 360. 364.
ALOE venas reſerat. 232.
ALVI conſtipatio. 217. 222. 234. 301. 342. conſtipationis cauſæ. 218. nocet capiti. 8. crebriori potu in menſa corrigitur. 234. tarditatem expedit ſingulis diebus, quamvis non ſtimulata alvo, ad excretionem invitare. 287.
ALVI fluxus in phthiſi periculoſus. 137.
ALVI involuntaria dejectio. 229.
ALVI laxitas à multis incommodis præſervat. 217.
ALVUS in calculoſis laxa eſſe debet. 409.
AMBULANDI mira neceſſitas. 33.
AMMONIACUM 247.
ANGINA periculoſa. 128.
ANHELATIO difficilis ex flatibus. 124.
ANIMI pathemata humores commovent, uti à ventis agitantur aquæ. 8.
ANIMI deliquium. 150.
ANI fiſtula. 229. condylomata. 228. 233. labia. 229. fiſſuræ. 233. procidentia. 237.
ANODYNA. 260. in calculoſis. 402.
ANOREXIA. 190.
ANTIMONII infuſio. 54. 181.
APOZEMA. 69. 75. 104. 115. 154. 247. 257. 262. 318. 324. 331. 340. 376. 439. 457. 470. 475. 489. 523. in arthritide. 517. 532. in calculoſis laxans. 374. 408. cephalicum pectorale. 72. 121. in colica. 205. in icteritia. 255. melancholicum ſuccum purgans, præparans. 49. 152. 266. 298. 302. 313. 314. 325. pituitam præparans. 19. pectorale. 94. 107. 240. in ſcabie. 472. 479. 481. ſpleneticum 297. uterinum. 445. cephalicum laxans. 510.

APPETENTIA cibi, frigiditatem ventriculi arguit. 112.
AQUÆ Aponitanæ. 170.
AQUÆ Spadenſes. 32. 33.
AQUÆ Tettucianæ. 9. 125. 153. 178. 299. 361. 370. 377. 409. alvum deijciunt ſine viri-um jactura. 163. dyſenteriam curant. 216. ad cruentos mucos faciunt. 231. in dolore capitis expertæ. 325. in nephritide. 353. inferiorem ventrem eluunt, calefaciunt. 153. illarum uſus planè innoxius. 334. ratio illis utendi. 179. 362. 388.
AQUA cocta pro potu ordinario in angina. 128. ex pullo in colica pro potu ordinario. 205. in Melancholia. 50. 303. 326. in arthritide. 514.
AQUA ex fœniculo. 161. ex radice galãgæ. 528
AQUA pro diluendo vino in paralyſi. 66. pro diluendo vino in hydrope. 289.
AQUA ex ſaſſafras pro diluendo vino. 71. 359. paſſulata cum lignis pro diluendo vino. 303. cocta ex radicibus bugloſſi pro diluendo vino. 476. (217. 382.
AQUA chalybeata, & ejus parandi ratio.
AQUÆ potus cùm concoctio fieri incipit aſſationem & effumationem prohibet. 294.
AQUA ſimplex deſtillata faciliùs tranſit. 101.
AQUÆ tepidæ hauſtus. 373.
AQUA clareta pectoralis. 119. 435. (244.
AQUA deſtillata ex cochleis in tabidis utilis.
AQUA epileptica. 45. (41.
AQUA ſalviæ ſylveſtris epilepticis prodeſt.
AQUA ex ſedo majore, & ſale Armoniaco in Pruna, ſeu ardore linguæ utilis. 555.
AQUA vitæ melle dulcificata. 183.
AQUA magiſtralis ad cancrum. 463.
AQUA laxativa. 328.
AQUA deſtillata purgans. 219.
ARDOR ſtomachi vide VENTRICULUS.
ARTHRITIS. 512. 516. 519. 520. 526.
ARTHRITICOS dolores pellere an ſit conſultum? 521.
ARTHRITIS rarò curatur, quia caput, fons negligitur. 513.
ARTHRITIDIS cauſa juncturarum conformatio laxior. 521.
ARTUUM tumor. 260.
ASELLORUM pulvis calculum comminuere creditur. 396.
ASTHMA. 112.

B.

BALNEUM aquæ dulcis. 333. 429. 483. anodynum in calculoſis. 399. in colicis ſubinde periculoſum. 203. ventre pleno noxium. 352. intempeſtivum, cauſa inflammationis in renibus. 378.
BALNEUM uterinum. 446.
BALNEUM artificiale, ſeu thermis roborantibus ſiccantibus ſecundarium. 499.
BALNEUM roborans articulos. 538.
BALNEUM vaporarium. 511.
BALNEUM ex vino & guaiaco &c. 519.
BALNEANDI ratio in nephritide. 352.
BALSAMUS aloeticus. 30. 524.
BALSAMUS embryonum ſæpius adhibitus in gravidis ſuſpectus. 166.
BILIS ab hepate impuro & obſtructo generatur. 245.
BILIS ventriculi orificio inhærens. 187.
BILIS tanquam admota face pituitam accendit. 176.
BOLUS ex chalybe. 279.
BOLUS laxans & purgans. 224. 351. 409. 444. 483. 506.
BUTYRUM clyſmaticum, 99. 235.
BUTYRI eſus in calculoſis laudatur. 373.

C.

CACHEXIA 95. 273. 275. 277. 481.
CACHEXIA bilioſa. 244.
CÆCITAS ex obſtructione nervi optici. 84. 86
CÆNAM ſemel aut bis in ſeptimana intermittere expedit. 173.
CALCULUS ac præcipuè renum. 348. 349. 352. 354. 355. 356. 363. 365. 368. 371. 378. 404.
CALCULUS veſicæ. 388. 392. 396. 397. 401.
CALCULUS in virga. 412.
CALCULUS ciſtæ felleæ. 259.
CALCULUS omniũ crudeliſſimus tortor. 374.
CALCULUS medicamentis comminui non poteſt, nec tentari quidem ſine periculo. 389.
CALCULI generatio. 349. 356. 371. 376. 405
CALCULI etiam in veſica ſine dolore aliquandò latent. 387.
CALCULI in veſica latentis ſigna. 392. 397. latentis ſigna non ſemper firma. 388.
CALCULI præſervatio & curatio ex Hippocrate. 358. 406. (ratio. 368.
CALCULI auxilium potiſſimũ accurata victûs
CALCULI ſectio periculoſa, attritio impoſſibilis. 392. 401. (tit. 402.
CALCULI comminutionem Augenius admit-
CALCULO in virga hærente à diureticis abſtinendum. 412.
CALCULOSIS à diureticis cavendum. 354. palliativa aliquando ſolùm proſunt. 393.
CALCULOSIS quid agendum in paroxyſmo. 347. 356.
CALCULOSORUM anodyna. 389.
CALOR ab aſſumpto cibo unde? 436.
CALOR auctior flatuum cauſa. 168.
CALOR naturalis præcipuum animæ inſtru-

 mea-

mentum. 166. 418. (bat. 166.
Calor ventriculi extraneus coctiones tur-
Caloris inopia omnium malorum origo. 162. 428.
Caloris in corpore præter naturâ ſigna. 240.
Cancer mammillæ. 462.
Cantharides noxiæ interdū. 387. (535.
Capite innoxio nemo podagrâ laborat. 513.
Capitis dolor inveteratus. 11. obtuſus 6.
Capitis dolor omnis vinum non admittit. 16.
Capitis dolor in occipite ab utero ſubinde dependet. 15.
Capitis intemperies humida. 24. 67.
Caput inſtar cucurbitæ ab inferioribus trahit. 16. (114.
Caput manè pectere ſalutare eſt catarrhoſis.
Caput repletum, defluxionibus obnoxiū. 16.
Caseus in calculoſis à Platero non reformidatur. 359.
Cassia flatus generat. 370.
Cassia in nephriticis non ſemper tuta. 359.
Cassia ſingulis menſibus laudatur in nephriticis. 377.
Cataplasma anodynum in hæmorrhagia. 227. contra flatus. 201. ad dolorem coxendicis. 500. 509. in arthritide 519. ex nucleis perſicis in dolore capitis 20.
Catarrhus 71. 76. 78. 355.
Catarrhus falſus. 103.
Catarrhus acris. 76. 93.
Catarrhus non ſemper à capite. 193.
Cauteria dentium doloribus medentur. 82. epilepticis conferunt. 46. in nuccha à cæcitate præſervant. 83. univerſim in brachijs, quàm pedibus tutiora. 82. 494. in arthritide non ſemper ſecura. 529. ferro inuſta inutilia. 83. in locis inferioribus hypochondriacis proficua. 323.
Cauteriorum uſus unde? 82. (14.
Cephalea 20. ſæva cum cranij diſtractione.
Ceratum in herniosis. 225.
Ceratum uterinum ad ſterilitatem. 450.
Cerebri pars anterior melancholiæ opportuna. 295. (355. 538
Cerevisia Emdenſis. 495. Embecenſis.
Chalybis præparatio ſecundùm Fallopium 284. præparatio Auctoris. 271. uſus iſtius. 271. 279. 299. uſus innoxius. 334.
Chalybs antequam aſſumitur, corpus præparandum, & quomodo? 248.
Chalybs in vino malvatico maceratus. 284.
Chalybs in pulvere. 267. 440.
China ferè exoleta ad nos defertur. 212.
Colera. 197.
Cibi laxantes. 219. (310.
Ciborum & potuum multitudo flatuū cauſa.
Ciborum varietas ſeditionem in corpore facit. 297. (rant. 170.
Cichorij radices hepatis calorem tempe-
Claretum diureticum in hydrope. 270.
Clyster exaqua Tettucij. 180. 362.
Clyster ex ſolo butyro, & oleo. 98. 221.
Clyster in calculo. 350. 394. 403.
Clyster detergens. 216. domeſticus. 23. 41. 140. 211. 241. 308. 313. 320. 397. emolliens. 323. 341. evacuans. 320. ad flatus. 320. 323. 337. ſiccans. 216. uterinus. 447. 540.
Clyster in coxendicum dolore. 509.
Clyster in hydrope. 269.
Clyster ex terebinthina. 260.
Clyster ex capite vervecis in hypochondriacis ad flatus. 297. 328.
Clysteres frequentes, & dejectiones copioſæ, alvum ſiccam reddunt. 235.
Coctio imperfecta. 165.
Colica. 201. 202. 203. 204. 206. 209. 212.
Colica radices agens difficulter extirpatur. 204.
Colliquatio abſque calore ingenti fieri nequit in corpore humano. 282.
Condylomata. 228.
Conserva roſarum phthiſicis utilis. 147.
Consolidæ majoris radix ſaccharo condita, ulcera glutinat, & expectorationem juvat.
Contractura. 539. (134.
Convulsionis ſuſpicio. 31.
Convulsivi motus faciei. 60.
Convulsivi motus à Cacochymia uteri, & ventriculi. 46. (188.
Cor calore depauperatum hydropis initium.
Cordis cum ventriculo conſenſus. 187.
Cortices citri maſticati adflatus faciūt. 167.
Coxendicis dolor. 500. 507. 508.
Cranii diſtenſionis cauſa. 15
Cremor hordei cum lacte amygdalino paratus phthiſicis, & tabidis utilis. 130. 136.
Creta in ardore ſtomachi ſuſpecta. 197.
Cruditas & ardor ſtomachi. 193.
Cruditatum cauſæ & effectus. 430.
Crurum intumeſcentia. 120.
Crurum laſſitudo. 73.
Cubebæ ſaccharo incruſtatæ. 108.
Cucupha in capitis dolore. 17.
Cucurbitulæ ſcarificatæ menſes ſiſtunt magis, quàm quòd promoveant. 433
Cucurbitulæ ſiccæ in hypochondriis appoſitæ. 87.

D.

DECOCTUM aperiens. 253.
DECOCTUM adſtringens in procidentia ani. 237.
DECOCTUM chinæ cum ſaſſafras. 478.
DECOCTUM cichorij pro diluendo vino. 488.
DECOCTUM columbi cum ſaſſafras. 436. 452.
DECOCTUM galli veteris. 334.
DECOCTUM guaiaci in phthiſi. 137.
DECOCTUM guaiaci cum victu pleniori periculoſum. 125.
DECOCTUM guajacinũ eiusq; uſus in podagra. 537.
DECOCTUM guaiaci pro potu ordinario. 78. 137. 511. 533.
DECOCTUM magiſtrale in ulcere renum. 380.
DECOCTUM pulli purgans delicatum. 436.
DECOCTUM purgans. 328.
DECOCTUM ſalſæ ad podagram. 212.
DECOCTUM ſalſæ pro ſudore. 462.
DECOCTUM ſaſſafras. 155. 446. 458. modus utendi. 156.
DECOCTUM ſaſſafras roborat, appetitum auget. 192. ſterilitatem aufert. 431.
DECOCTUM ſaſſafras pro diluendo vino 208. 457.
DECOCTUM ſudoriferum. 4. 80. 533.
DEFLUXIONES perpetuæ. 11. 73.
DEFLUXIONES ab Hippocrate vocantur venarum vomitus. 16.
DEFLUXIONUM cauſæ antecedentes. 112.
DELIQUIUM. 31.
DELIRIUM cum furore. 52.
DENTIUM dolor. 89. 91. vacillatio. 91.
DIACODIUM ſaccharinum. 96. 149.
DIAPHRAGMA, à craſſo & flatulento ſpiritu depreſſum anhelationis cauſa eſt. 124.
DIARRHOEA bilioſa. 209. diuturna. 214.
DILUTUM rhabarbari. 262.
ſub DIO vivere eſt ſub tecto putreſcere. 191 407.
DYSCRASIA viſcerum. 67.
DIURETICA. 348.
DIURETICA laxantia. 348.
DIURETICA potio ſuavis. 395.
DIURETICA multa, incontinentiam urinæ inducunt. 387.
DIURETICORUM noxæ. 351.
DOLORES vehementes. 259.
DYSENTERIA 215.
DYSENTERIA remedium eſt podagræ. 516.

E.

ELECTUARIUM confortans caput. 20. 27. 30. 59. 63. 70. 76. 116. 153. 175. 308. 422. 529.
ELECTUARIUM confortans & præſervans ab abortu. 459.
ELECTUARIUM confortans in epilepſia. 43. 47.
ELECTUARIUM confortans hepar. 490.
ELECTUARIUM confortans in melancholia 308.
ELECTUARIUM corroborans adſtringens. 288 416. 426.
ELECTUARIUM aperiens diureticum. 284.
ELECTUARIUM bezoardicum ex nucibus in peſte. 556.
ELECTUARIUM caryocoſtinum. 529.
ELECTUARIUM chalybeatum. 267. 271. 273 283. 315. 319.
ELECTUARIUM diaprunis magiſtrale Authoris. 2. 11. 98. 220. 235. 320. 503. 563. in gravidis illius uſus. 22.
ELECTUARIUM Elidæi ſanguinem ſiſtens. 134.
ELECTUARIUM ad flatus. 166. in gravida. 166.
ELECTUARIUM hepaticum, ſtomachicum. 182. 211.
ELECTUARIUM laxans in ictero. 261.
ELECTUARIUM in calculoſis. 372.
ELECTUARIUM paſſulatum. 169. 171. 239. 473.
ELECTUARIUM ad ſiſtendos catarrhos. 52. 77. 106. 118. 130. 136. 309.
ELECTUARIUM ad Venerem. 418.
ELIXIR magni Ducis. 123.
ELIXIR ad Venerem. 420.
EMBROCHÆ ad raucedinem, & deſtillationes utiles. 112.
EMPLASTRUM anodynum in podagra. 534. 538.
EMPLASTRUM in metu abortûs. 459.
EMPLASTRUM cephalicum in melancholia. 50.
EMPLASTRUM ad flatus in gravidis. 167.
EMPLASTRUM ad hepatis ſcirrhum. 253.
EMPLASTRUM ad pubem in calculoſis. 394.

Emplastrum ad dolores Iſchiaticos. 500.
Emplastrum ad ſiſtendum fluxum mulierum.37.
ɯnsvᴉdᴍ ʇum ſtomachale. 164. 196.
Emplastrum ad tumorem pectoris. 508.
Empyema 432. prognoſis. 432.
Emulsio anodyna in calculoſis. 403.
Emulsum pectus, & menſes reſpiciens. 433.
Empirica ad ſterilitatem. 448.
Empirica nec Galenus ſprevit. 450.
Epilepsia. 34. cauſa. 35. periculum. 32. non eſt incurabile malum. 36.
Epilepsia ex utero. 45.
Epilepsia vera integris ſenſibus & mente non fit. 46. crurum venas incidere utile eſt. 45.
Epithema in calculo ad veſicam extrinſecus. 390.
Epithema hepaticum refrigerans. 383. 414
Errhinum 44. 63. 116. 122.
Errhinum ad hæmorrhagiam. 87.
Errhinum & maſticatorium, niſi purgato corpore, ſecura non ſunt. 309.
Erysipelas 486. 491. gravius malum aliquando præcavet. 277.
Evaporationes vide hypochondriaca.
Exercitia immoderata in pueris ſcabiei cauſa. 242.
Exercitia pleno ventre noxia. 25.
Exercitia menſam præcedant. 194. 242
Exercitia debita ventriculum roborant. 183.
Exercitiorum laus. 302
Exercitiorum neceſſitas. 199. 242. 264.

F.

Fæces hominum fœtidiores, aliorum animalium. 168.
Famem qui non ſenſerit, in cura ſudorifera morbi gallici, non curabitur. 501.
Fames magna ab acido humore provenit. 327.
Faucium ſiccitas. 100. 301.
Febricula nocturna. 190.
Febris alba. 338.
Febris acuta. 554.
Febris continua maligna. 555.
Febris hectica. 139.
Febris tertiana intermittens. 547.
Febris quartana. 548.
Febris vaga, erronea, lenta ſpuria. 549.
Febris & rigoris cauſa accedente eryſipelate. 487.
Femoris dolor. 509.
Fermentatio in corporibus ſimilis eſt fermentationi vinorum in dolijs. 160. 305.
Fistulæ ani, obducta cicatrice, periculoſa ſymptomata creant. 230.
Fistulas ani curandi difficultas. 230.
Flatus à calore intenſo etiam ſuſcitantur. 168. 505.
Flatus non per inteſtina tantùm, ſed ſæpe per inania meſenterij errantes tormina faciunt. 209.
Flatuum cauſa. 124. 168. 296. 322. 520.
Flatuum copia. 165. 317. 321.
Fluxus muliebris albus. 441. 442.
Foetor fæcum indigeſtionis debilitati adſcribendus. 168. item ciborum putrefactioni. 169.
Foetoris cauſa. 443.
Foetus mortuus putreſcens evacuatus lentè. 460.
Fomentum in capitis dolore, 22. diſcutiens in capitis dolore. 17.
Fomentum in herniofis. 224.
Fomentum in obſtructione lienis. 264.
Fomentum ad procidentiam ani. 237.
Fontes. vide Aquæ.
Fonticuli à vertigine præſervant. 28. tertiæ concoctionis excrementa potiſſimùm evacuant. 492. in crure facti non ſemper ſecuri. 492.
Fonticuli in crure, an eryſipelatis cauſa eſſe poſſint? 493.
Fonticulis gentiana malè imponitur. 493.
Frigus calculoſis noxium. 405.

G.

Gargarisma in angina. 128.
Gargarisma in dolore dentium. 90.
Gargarisma in paralyſi linguæ. 61.
Gibbosi paucitate caloris laborant. 428.
Gonorrhoea. 415. diuturna corpus emaciat. 415.
Gonorrhoeæ ſpecies aliqua. 412.
Gravida nephritica. 367.
Graviditationis morboſæ deſcriptio. 165.

GULÆ ariditas ingens cum ptyaliſmo incredibili. 95.

H.

HABITUS corporis ſolitò plenior ſuſpectus. 31.
HÆMORRHAGIA narium. 87. hanc curat venæ ſectio. 99.
HÆMORRHAGIÆ cauſa ſubinde eſt venarum & hepatis debilitas. 487.
HÆMORRHOIDALES venæ quomodo inurendæ. 287.
HÆMORRHOIDUM apertio non ſemper tuta. 265
HÆMORRHOIDUM apertionis uſus in febribus malignis. 555.
HÆMORRHOIDUM dolor. 228.
HÆMORRHOIDUM fluxus. 286.
HÆMORRHOIDUM fluxus non compeſcitur, niſi alvus fit mollis. 287. adſtringentia aliquando ſuſpecta. 287
HÆMORRHOIDUM inuſtio. 287.
HEDERÆ arboreæ baccarum uſus in peſte. 556.
HELLEBORI nigri extractum peculiare. 299. 325.
HEMICRANIA pertinax. 18.
HEMIPLEGIA 54. 55.
HEPAR debilitatum, tumoris in crure cauſa. 121.
HEPAR diverſis in partibus obſtruitur. 248. 250.
HEPAR impurum à calore concentrato inflatur. 120.
HEPAR languidum quomodo bilem augeat. 487.
HEPAR per uterum tanquam cloacam ſe exonerat aliquando. 442.
HEPATIS calor auctus blandum ventriculi calorem deſtruit. 245.
HEPATIS calidioris ſigna. 110. effectus. 172 minùs calidi argumenta. 150.
HEPATIS gibba per urinam, cava per alvum purgatur. 335.
HEPATIS impuritas. 238
HEPATIS incendium. 242.
HEPATIS intemperies calida. 239. 242. 243. 244.
HEPATIS intemperies frigida. 280. 290
HEPATIS obſtructio 244. 248. 272. 273. 290.
HEPATIS ſcirrhus. 250. quomodo ſubnaſcitur. 250. 251.
HEPAR vide jecur.
HERNIA. 223.
HERNIOSIS victûs ratio exquiſita neceſſaria. 223.
HIERA Pachij. 152. 196. caput egregiè purgat. 65. inſanientibus utilis. 54.
HORDEATUM. 145. vide ptiſana.
HUMIDITAS vocis organa deſtruit. 109.
HYDRARGYRUM præcipitatum luem gallicam curat. 501.
HYDROMEL vinoſum pectorale. 135. in ulcere pectoris. 142.
HYDROPS. 268. 273. 288. 291.
HYDROPS anaſarca. 281.
HYDROPS imminens. 272. 277. 286. 290.
HYDROPS pectoris. 110.
HYDROPS à renum vitio. 274.
HYDROPS ex thermis. 95.
HYDROPS faciliùs in ſervis, quàm liberis curatur. 282.
HYDROPEM potûs abſtinentia curat. 268. 291.
HYPOCHONDRIACA. 293. 295. 300. 301 304. 310. 312. 317. 321. 327. 329 330. 333.
HYPOCHONDRIACA à melancholia hypochondriaca diſtinguitur. 301.
HYPOCHONDRIACA non ægros tantùm ſed & Medicos fatigat. 295.
HYPOCHONDRIACA omnibus litteratis infeſta. 330.
HYPOCHONDRIACÆ locus affectus. 296. 322. præludia. 293. cauſæ 322. ſymptomata communia. 295. 321.
HYPOCHONDRIACÆ non ſemper eadem facies. 295. 321.
HYPOCHONDRIACI coctiones infeliciter peragunt. 110. 305. ſeroſitates colligunt. 110.

I.

ICTERI veſtigia. 244.
ICTERITIA. 244. 254. 259.
IECUR calidius cum ventriculo frigidiori deſtillationum eſt ſeminarium. 74.
IGNAVIA corpus hebetat, labor firmat. 170.

IMBECILLITAS digitorum ſcriptioni ſervientium. 66.
IMPOTENTIA ad Venerem. vide Venus.
INAPPETENTIA. 20. 187.
INCISIO colli veſicæ, ſine extractione calculi. 404.
INJECTIO in virgam contra grumos ſanguinis. 394.
INJECTIONES anodynæ in dolore hæmorrhoidum. 228.
INJECTIONES anodynæ in veſicam in calculoſis. 389. 400. 402.
INJECTIONES in uterum ad ſecundinas putridas educendas. 460.
INSANIA 53.
INTESTINUM rectum vi retentrice caret. 230.
INUNCTIO ad flatus ventris. 183.
INUNCTIO ad lienem. 264.
INUNCTIO pectoris. 310.
INUNCTIO ſtomachum corroborans. 176. 183.
INUNCTIO ad Venerem. 421.
ISCHURIÆ variæ cauſæ. 405.
JULAPIUM confortans. 262.
JULAPIUM pectorale. 309.
JULAPIUM ad ſitim. 99. 102.
JULAPIUM ſtomachale. 182.
JUSCULUM diureticum. 352. 367.
JUSCULUM medicatum in ulcere renum. 385.
JUSCULUM medicatum in nephritide. 369.
JUVENCULÆ cur aliquando nullam ſentiant voluptatem in coitu? vel etiam ſemen non emittant. 448.
JUVENUM corpora mollia, laxa, ſenum dura, ſicca. 402.

L.

LAC afininum & ejus uſus. 130. 140.
LAC caprillum. 147. illius uſus. 146.
LAC extenuatis optimum. 146.
LAC in capitis doloribus noxium. 21.
LAC quibus noceat. 146.
LAMINA plumbea. 384.
LASSITUDO. 73. 245.
LAXANTIA ſecuriora ſunt, quàm diuretica in nephritide. 354.
LIEN viſcus ſecundarium hepatis. 268.
LIEN multorum malorum cauſa. 296.
LIENIS obſtructio. 263. 265. 271. 273.
LIENIS ſcirrhus. 268.
LIENIS tumor. 265. 268.
LIMONATA uti vocant, ventriculo impuro, cautè adhibenda. 170.
LINCTUS ex oleo amygdalarum dulcium & ſaccharo candi, ad catarrhos ſiſtendos, & ſomnum conciliandum. 77.
LINCTUS pectoralis. 119. 123. 309
LINCTUS ad tuſſim. 148.
LINGUÆ ardor, & ſiccitas, ſeu pruna. 555.
LINIMENTUM anodynum. 236. 519.
LINIMENTUM in calculoſis ad pubem. 390.
LINIMENTUM in epilepſia ad nares. 37.
LINIMENTUM in hæmorrhoidum dolore. 227. 236.
LINIMENTUM in hernia. 225.
LINIMENTUM ſternutatorium. 106. 309.
LINIMENTUM ſtomachale. 58.
LIPOTHYMIA ex ventriculo. 28.
LITERATIS perpetuum bellum cum defluxionibus. 68.
LIXIVIUM ad capitis dolores. 22.
LIXIVIUM ad exſiccandum caput. 57.
LIXIVIUM cephalicum. 519.
LIXIVIUM detergens. 6.
LUMBORUM dolor. 24. 356. vide calculus renum.
LUNA ſilente cur moveantur humores & cumulentur? 8.
LUNÆ mutationes in epilepticis indicant medicamentorum applicationem. 43.

M.

MACIES. 139. 143.
MAMMARUM dolor. 461.
MASTICATORIA potiùs, quàm errhina in oculorum affectibus utilia. 86.
MEDICAMENTA valida omnia ſuſpecta. 156. calida, & valida imbecillum ventriculum lædunt. 186.
MEDICE vivere non eſt miſerè vivere. 113.
MEDICO abſenti, quænam ſignificanda de ægroto. 244.
MEDICUS apud Principes cautè loquatur. 169.
MELANCHOLIA. 48.

MELANCHOLIA hypochondriaca vide HYPOCHONTRIAƆA
MELANCHOLIA ex præcordijs. 51.
MELANCHOLIÆ hypochondriacæ præludia, 293.
MELANCHOLICI omnes malè coquunt, 181. ſero abundant, 474.
MELANCHOLICUS ſuccus multorum malorum cauſa. 33.
MELICRATUM menſes & pectus purgans. 433.
MENSTRUA purgatio imminuta, 106. immodica. 424. pauca, 95. 435. retardata. 429. retenta, 427. 432. 433. retenta, qualia inferat incommoda? 433.
MENTIS occupationes, ventriculo ſpiritus detrahunt. 176. 190.
MENZELIUS laudatur. 354.
MERMANNUS Mercuriale Præceptore uſus nō eſt. 228.
MESERAICARUM intempeſtiva tractio obſtructionum cauſa. 35
MICTIO cruenta, 381. 384. 392.
MICTIONIS cruentæ ſunt cauſæ diverſæ, 382. 384.
MIXTURA in metu epilepſiæ, 201.
MORBI cognitio difficilior, quàm curatio. 381.
MORBI fiunt, cùm cibi labores ſuperant. 24.
MORBI inveterati remedia longa & diuturna requirunt. 415.
MORBI pertinaces indigent patientiâ, conſtantiâ, 39.
MORBUS virgineus. 438.
MORSELLI ad ardorem ſtomachi. 197.
MORSELLI caput corroborantes, 10.
MORSELLI ad epilepſiam. 44.
MORSELLI Imperatoris. 164.
MORSELLI ſtomachici. 154.
MORTIS cauſam multis ſæpe annis circumferimus ignari. 191.
MULIERIS phantaſticæ deſcriptio. 48.
MULIERES, quæ non pepererê, graviùs è menſibus ægrotant. 100.
MULSUM anodynum in calculoſis. 391.
MULSUM ſeu hydromel in nephritide, 345.
MULSUM qui potant, calculo non laborant. 358.
MULSUM purgans. 42.
MUTATIONES frigoris & æſtûs ſubitaneæ periculoſæ, 113.

N.

NASALIA, 105. vide ERRHINA, STERNUTATORIA.
NAUSEA, 190.
NARCOTICUM Helidæi, 132.
NATURA paucis contenta. 192.
NATURALES res omnes, terminum habent durationis, 171.
NEPHRITICUS dolor, 345. unde? 348. in paroxyſmo quid agendum, 347. vide CALCULUS.

O.

OBSTRUCTIONIS cauſa, & effectus, 274. 305.
OBSTRUCTIONES unâ alteràve potiunculâ non expediuntur, 278.
OCULORUM affectus, 81.
OCULORUM defluxio, 82.
ODORAMENTA in epilepſia, 47.
ODORAMENTA in peſte 557. 558.
OLEUM aniſi ad flatulentias. 47.
OLEUM ad dolores femoris frigidos, 512.
OLEUM rutæ ſilveſtris ad epilepſiam, 37.
OLEUM ſtomachale. 338.
OLEUM ad Venerem, 420.
OPIATA dentes mundificans, 92.
OPIATA, vide ELECTUARIUM.
OXYMEL gratum. 177.
OXYRRHODYNUM ex paſta. 20.

P.

PALPITATIO cordis, 157. 187.
PANIS albiſſimus obſtructionis cauſa, 347. 407.
PANIS benè fermentatus, non tamen omni furfure purgatus abſtergit, & melior eſt, 219. 347.
PARALYSIS, 55. brachij & pedis, 65. linguæ. 60.
PARESIS, 206.
PASSULATUM laxativum. 117. 169 191.

INDEX

Passulæ laxativæ 22. 169. 207. 220. 225. 294.

Passulæ laxativæ Romæ uſuales. 502.

Pectinationes capitis manè utiles. 114.

Pectoris compreſſio. 24.

Pedilotium caput roborans. 57.

Pedum ligatio ſtricta periculoſa. 491.

Pedum tumor. 285. 487. 519

Pestis 556. præſervativa antidotus. 558.

Phantasia ad objecta intelligibilia janua eſt. 321.

Phantasiæ errores. 295.

Phlegma copioſum multorum ac variorum ſymptomatum cauſa. 171.

Phthisis. 134. 136. 139.

Pilulæ arthriticæ 516.

Pilulæ cephalicæ. 23. 26. 58. 63. 71.

Pilulæ chalybeatæ. 249. 290. 334.

Pilulæ deobſtruentes. 253. 276.

Pilulæ ad flatus in colica. 213.

Pilulæ ex hiera Temiſonis. 182.

Pilulæ in ictero. 261.

Pilulæ in peſte 557

Pilulæ ſtomachicæ 142. 159. 179. 187. 188. 311. 320. 418. 422. 437.

Pilulæ ex terebinthina in calculoſis. 342.

Pilulæ in vertigine laxantes. 27.

Pistachia in malvaſia infuſa Veneri proſunt. 410.

Pituitæ & flatuum copia. 181. 312.

Pituitæ copia & locus generationis. 312.

Pituita ad humoris melancholici ſpeciem collocatur ab Avicenna 313.

Pituitosis acetoſa conveniunt. 192.

Plumbea lamina hydrargyrata ad cancrum utilis 504.

Plumbum tuſum ad cancrum. 463.

Podagra. 527. 530. 534.

Porrigo capitis & faciei. 1.

Potio adſtringens. 385.

Potio adſtringens in ſanguinis mictu. 383

Potio alterans refrigerans. 483.

Potio aperiens purgans in hydropicis Placentini. 275. 292.

Potio diuretica ſuavis. 395. 396. 410.

Potio ad flatus ventriculi. 184.

Potio purgans. 101. 186. 260. 281. 285. 314. 324. 336. 340. 359. 375. 390. 393. 398. 407. 416. 422. 425. 439. 445. 451. 457. 461. 464. 465. 466. 471. 481. 483. 489. 496. 517. 518. 523. 524. 532. 537. 548.

Potio purgans benigna. 40. 128. 183. grata. 395.

Potio purgans corroborans. 288.

Potio bilioſos humores leniter vacuans. 198. 241.

Potio purgans bilem, & pituitam. 188.

Potio purgans catholica. 155.

Potio purgans in diarrhœa. 215.

Potio purgans in quartana. 549.

Potio purgans pro gravida. 166.

Potio purgans in ictero. 246. 255. 258. 261. 262.

Potio purgans melancholiam. 49. 266. 268. 303. 318. 332. 333. 475. 480.

Potio purgans in menſium fluxu nimio. 425.

Potio purgans in nephritide. 351. 359. 366. 369. 372. 408.

Potio purgans pectoralis. 105. 108. 118. 135. 142.

Potio purgans in ſanguinis mictu. 385.

Potus copioſus ſputum copioſum producit. 162.

Potus generoſus cerebrum vaporibus replet 25.

Potus ordinarius ex ſaſſafras. 157. 452.

Potus ordinarius in epilepſia valde proficuus. 38.

Principes cur plerumque ægrotent. 176.

Principes rarò diætam obſervant. 81.

Principes curandi difficultas. 554.

Principes dum ægrotant, miſera eſt ipſorum conditio. 554.

Principes nimiùm aliquando in empiricis confidunt. 177.

Principes facultates animæ in cerebro quidem peragi, ſed in corde radicem obtinere, credibile eſt. 52.

Procidentia ani. 237.

Pruna laxativa. 98. 219. 241. 516.

Pruna loco ſacchari dulcorari poſſunt inannâ. 371. 456.

Pruritus cutis. 60. 469. 472. 476. 477. femoris. 374.

Ptyalismus. 32. 33. 34. 95. 103.

Ptisana in phthiſi utilis. 137. 147.

Ptisanam parandi modus. 139. 145. 244.

Pueri medicamenta difficulter ſumunt, ſed falli debent, & quomodo? 207.

Pulmones coſtis aliquando adnati. 428.

Pulmonum affectus ſunt ſine dolore. 141.

Pulvis adſtringens in hernia. 225.

Pulvis ambratus vitalia corroborans. 101.
Pulvis ad ani procidentiam. 237.
Pulvis arthriticis ſpecificus. 515.
Pulvis aſellorum in calculoſis. 396.
Pulvis capiti inſpergendus. 122.
Pulvis caput corroborans. 58.
Pulvis ad flatus. 166.
Pulvis ad flatus laxans. 316.
Pulvis ad fluxum hæmorrhoidum. 287.
Pulvis in mictione cruenta. 383.
Pulvis pectoralis in phthiſi. 138.
Pulvis pectoralis ſiccans. 136. 143.
Pulvis ad ſanguinem purificandum in ſcabie. 64. 474 484.
Pulvis ad ſanguinis grumos diſſolvendos. 394.
Pulvis ſenæ Montagnanæ commendatur. 62. Idem in infuſione. 177.
Pulvis ad ſterilitatem. 450.
Pulvis ſtomachalis. 182.
Pulvis ſudoriferus. 557.
Pulvis ad Venerem. 420. 423.
Pulvis ad vertiginem. 23.
Purgantia & ſudorifica ſimul ſuſpecta. 514.
Purgantia omnia frequentiori uſu nocent. 221.
Purgantia fortiora ſuſpecta authori. 156 252. 269.
Purgationes in calculoſis neceſſariæ, & quæ. 359.
Purgationes menſtruæ in calculoſis laudantur. 366.
Pus ex pectore ſæpe exſpuitur illæſis pulmonibus. 141.
Pus in pulmonibus remanens exulcerat. 139.

R.

Raucedinem diuturnam vocis omnimoda ablatio aliquando ſubſequitur. 107.
Raucedo. 103. 107. 109.
Renes à parvulis calculis ſine dolore obſidentur, à magnis non ſine ſenſu gravitatis. 382.
Renes ſenſu carent. 348.
Renum exulcerationis periculum, ejúsque præſervatio. 375.
Renum intemperies 239.
Respirationis difficultas. 103. 120. 132.
Rhabarbari dilutum in colica utiliſſimū. 205.
Rhabarbari dilutum in hepatis impuritate. 239.
Rhabarbari dilutum particulare in hydropicis. 269.
Rhabarbari extractum cū ſucco Boraginis. 163.
Rhabarbari uſus hepati utilis. 491.
Rhabarbarum conſervæ roſarū mixtum in defluxionibus probatur. 130.
Rhabarbarum cum paſſulis mixtum hepati amicum. 239. 491.
Rhabarbarum ab hydrope præſervat unicè 281.
Rhabarbarum toſtum vim purgandi omnē amittit. 216.
Rhabarbarum urinæ ardorem excitat. 414.
Rotulæ cephalicæ corroborantes. 30.
Rotulæ in epilepſia. 43.
Rotulæ ad flatus. 167. 185. 337.
Rotulæ pectorales. 119. 148.
Rotulæ in peſte. 557.
Rotulæ contra raucedinem. 109.
Rotulæ ſtomachales. 159. 311.
Rotulæ ad Venerem. 420.

S.

Saccharum roſaceum in thermis utile. 543.
Saccharum roſaceum Ulmenſe phthiſicis utile. 137. ejuſdem uſus. ibidem.
Sacculus in capitis dolore. 17. 20.
Sacculus cephalicus exſiccans. 80. 512.
Sacculus cordialis. 419.
Sacculus pro ſplenis fomento. 265.
Sacculus uterinus ad ſterilitatem. 450.
Saliva copioſa. 160. ex ſtomacho plerumque. ibidem.
Salsæ decoctum capitis dolores & ſurditates tollit. 16.
Sanguis ad nutritionem qualis? 245.
Sanguis extravaſatus mox in grumos abit. 392.
Sanguis malè coctus lacti vitioſo comparatur. 428.
Sanguis melancholicus fæcibus vini ſimilis. 428.

Sanguis mingi poteſt diu ſine magna noxa. 385.
Sanguis ex pulmone & thorace ſine valida & moleſta tuſſi efferri non poteſt. 131.
Sanguinis impuritas ſcabiei cauſa. 1.
Sanguinis per ſcreatum rejectio. 131.
Sanguinis ſputum. 138. 143
Saſſafras decocti vires in vertigine & capitis dolore. 16.
Saſſafras decoctum appetitum auget. 192.
Saſſafras decoctum cordi amicum. 155.
Satietas omnis noxia. 406.
Scabies. 60. 472. 476. 477. 479. 480. 482. vide pruritus.
Scabies aſpera cruſtoſa. 482.
Scabies externis præſidijs cautè curanda. 64.
Scabies pedum non facilè ſananda. 32.
Scammoneata ſuſpecta. 188.
Scirrhus jecoris confirmatus, incurabilis. 254.
Scirrhus in cancrum facilè degenerat. 502.
Semen putreſcens inflammationem parit. 413
Seminis emiſſio nulla in conjuge juvencula. 448.
Serum lactis. 243. 333. 377. 462. 473. 490.
Serum lactis magiſtrale deſtillatum, in calculoſis. 387. 391.
Serum lactis magiſtrale in ſanguinis mictu. 387.
Serum lactis cum ſpica. 284.
Serum putreſcens renes averſantur. 282.
Serum & ſeroſitas, unde? 520.
Singultus 190.
Sitis auxilia. 172.
Sitis nunquam intermiſſa. 95.
Smegma ad ſcabiem. 451.
Somni inquietudo incaleſcentiam febrilem denotat. 245.
Somnus meridianus, & qui à cœna ſtatim initur, caput gravat. 114.
Somnus remedium ſitis. 101.
Sparadrappum in podagra. 534.
Spiritus lumen inſitum à natura habet. 296.
Spiritus ſilveſtris Avicennæ. 330.
Sputa copioſa plerumque ex ſtomacho. 171.
Sputum purulentum. 139.
Sputum purulentum ſine febre. 143.
Sterilitas. 447. 451.
Sternutatoria. 106. 309.
Stomachica calida. 125.
Stomachus Rex compellatur. 193.
Sudor copioſus. 468.
Sudorifica cura communis. 497. 500. 501. 507. 511. 518. vide decoctum.
Sudorifica cura leviuſcula. 12.
Sudorifica cura ſicca. 449.
Sudorificæ curæ, ſi ſitis accedat, vel incaleſcentia, finis imponendus. 13.
Suffocationis periculum rarum. 300.
Sulphur pectori prodeſt. 149.
Suppoſitoria narcotica tutiora, quàm clyſmata narcotica. 228.
Syncope ex cruditate. 46.
Syncope levioribus medicamentis curatur? 47.
Syrupus adſtringens in menſium fluxu nimio. 425.
Syrupus aperiens. 289.
Syrupus Augenij à renum calculo præſervans. 411.
Syrupus chalybeatus. 243.
Syrupus de cichorio cum rhabarbaro hepati utiliſſimus. 894.

T.

Tabes. 139.
Tabulæ cephalicæ. 80.
Terebinthina caput ferit. 370.
Terebinthina pro mundificatione veſicæ facit. 401.
Terebinthinam parandi modus. 410.
Theriaca. 216.
Theriaca ante decoctum ligni ſumenda aliquando. 511.
Theriaca in paralyſi non ſemper tuta. 63.
Theriaca in podagra utilis. 536. 537.
Thermæ Aquenſes. 437. 526.
Thermæ Badenſes. 442. 458.
Thermæ Cellenſes. 211.
Thermæ Embſenſes. 437.
Thermæ Ferinæ. 539.
Thermæ Göppingenſes. 485. inſtructio bibendi & balneandi. 485.
Thermæ grumbacenſes. 388. inſtructio. 464. 465.

Thermæ.

THERMÆ Hailbrnnenſes. 447. 458. Inſtructio. 542. hydropicis utiles. 96. tam intus quàm extrà adhibentur. 543.
THERMÆ Kiſſinges. 526.
THERMÆ Spadenſes. 232.
THERMÆ wembdingenſes. 5. 232. 281.
THERMÆ manûs Dei. 526.
THERMÆ in corpore impuro meritò ſuſpectæ. 55. 430. 464.
THERMÆ non ſemper proſunt, ſed aliquando obſunt. 526. 542.
THERMÆ in calculo veſicæ ſuſpectæ. 397.
THERMÆ hydropicos vel ſtrenuè juvant. vel celeriùs occidunt. 268.
THERMARUM calor ſit moderatus. 465.
THERMAS in calculoſis accedendi, & utendi methodus. 398.
TINNITUS aurium. 88.
TINNITUS aurium contumax malum eſt, præcipuè inveteratum. ibidem.
TRAGEA cephalica. 21.
TRAGEA in epilepſia. 43.
TRAGEA in dyſenteria. 217.
TRAGEA ſtomachalis. 158. 215.
TRAGEA ſtomachalis temperata. 311.
TRAGEA ad Venerem. 423.
TREMORIS cauſa. 74.
TROCHISCI pectorales. 148.
TUMOR artuum & ventris. 280.
TUMOR durus mammæ ſiniſtræ dolorificus & cancrum minitans. 501.
TUMOR pedum. 487. 519.
TUSSIS. 103. 120. 139. 141. 143. 304. 308.

V.

VAPORUM cauſæ efficientes & materiales. 293.
VENÆ ſectio ſingulis menſibus repetita ab abortu præſervat. 454.
VENEFICIA etiam in puteis quærenda ſunt. 418.
VENERIS impotentia: imbecillitas. 387. 417. 419. 421.
VENERIS nulla aliquandó etiam in juvenculis voluptas, & cur? 448.
VENUS moderata qualia habeat commoda. 222.
VENTRICULI ardor. 193. 195. 322. cauſa. 193. 195. quibus familiaris? 195.
VENTRICULI conſenſus cum cerebro. 177.
VENTRICULI conſenſus cum renibus. 48.
VENTRICULI cruditas. 193.
VENTRICULI imbecillitas. 162. 186.
VENTRICULI intemperies frigida. 176.
VENTRICULI prava coctio. 171.
VENTRICULI tarda coctio. 67.
VENTRICULI dolor ex flatibus. 184.
VENTRICULI coctio fit per elixationem, non per aſſationem. 406.
VENTRICULUS corporis Rex appellatur, ab alijs coquus. 193.
VENTRICULUS frigidus pituitæ author. 176.
VENTRICULUS quibus calidus eſt, extrinſecus carnes habent frigidas & graciles. 165.
VENTRIS impuritas omnium confuſio. 176.
VENTRIS tumor. 280. 285.
VERTIGO. 20. 24. 28. 32.
VERTIGO per conſenſum. 21. 296. 301.
VERTIGO ex ventriculo unde dignoſcatur? 28.
VESICATORIA ad aures à cæcitate præſervant. 85.
VESICATORIA ad verticem poſita. 86. 112.
VICTUS ratio in aulis, & in militia vix obſervari poteſt. 150.
VICTUS ratio niſi cauta, & caſtigata ſit, omnia alia remedia ſunt ſupervacanea. 151.
VIGILIÆ coctiones turbant. 121.
VINACEORUM uſus. 527.
VINI abſtinentiâ à calculo ſe quidam præſervârunt. 406. item alij ab arthritide. 514.
VINUM abſinthiacum. 58.
VINUM in arthritide ſuſpectum. 514.
VINUM bilem per urinam derivans. 198.
VINUM chalybeatum. 263. 264.
VINUM chalybeatâ aquâ dilutum. 264.
VINUM in colica noxium. 202. 205. 208.
VINUM cydoniorum. 386.
VInum diureticum. 270. 352.
VINUM generoſum cerebro noxium. 25. 210.
VINUM cum infuſione halicacabi. 99. 270. 347. 361. 364. 373. 409.
VINUM juniperinum. 370.
VInum medicatum purgans. 26. 126. 127. 185. 221. 249. 270. 284. 286. 290. 292. 315. 319. 328. 370. 441. 448. 449. 452. 472. 506. 536.

Vinum medicatū purgans ſimpliciſſimū. 164. 281.
Vinum medicatum purgans ſuave. 430. 436.
Vinum medicatum purgans cum aqua boraginis lymphatum. 189.
Vinum medicatum ex guajaco. 78.
Vinum medicatum ad hydropem. 270. 278.
Vinum medicatum pro melancholia. 266.
Vinum medicatum cum infuſione radicis buglоſſi pro melancholicis. 51. 333.
Vinum nervoſis partibus inimicum. 522.
Vinum cum infuſione radicis ononidis. 395.
Vinum ſenibus copioſо alimento utentibus in primis noxium. 495.
Vinum ad ſterilitatem. 448. 449.
Vinum cum ſyrupo liquiritiæ dilutum, pro potu. 124.
Ulcera cacoëthica, ſiccantia adſtringentia nō admittunt. 130.
Ulcera crurum. 495. 498. 499.
Ulcera crurum ſponte naſcentia à magnis morbis præſervant. 498. & intempeſtivè ſanata mortem inferunt. 499. item naturæ ſunt emiſſaria. 496.
Ulcera ab exeſione facta alijs deteriora. 129.
Ulcera circa fauces. 133.
Ulcera gallica. 501.
Ulcera gutturis. 129.
Ulcera circa laryngem. 129.
Ulcera pectoris ſine febre. 141.
Ulcera pulmonum cava, ſordida, antiqua, incurabilia. 136.
Ulceratio renum ſuperficiaria. 378.
Ulcera ſinuoſa. 500.
Ulcerationis renum periculum. 375.
Unguentum anodynum. 312. 525.
Unguentum in ardore urinæ ad partes genitales. 389.
Unguentum de bdellio in paralyſi experientiâ probatum. 55. 66.
Unguentum ad menſium fluxū nimium. 426.
Unguentum ad pareſin. 208.
Unguentum pectorale. 71.
Unguentum ad porriginem capitis. 6.
Unguentum ad pruritum. 471. 476.
Unguentum reneſ infrigidans. 79. 241. 347. 383. 414.
Unguentum pro renū contemperatione. 175.
Unguentum ad ſcabiem. 477. 481.
Unguentum ex tabaco contra cancrum. 463.
Unguentum ad Venerem. 419. 423.
Vocis interceptio. 109.
Vomitus calculoſis prodeſt. 365. 377. 409. ijſdem ſingulis menſibus commodat. 373.
Vomitus in prægnantibus frequens, & cur? 15. item primis menſibus in gravidis. 454.
Vomitus frequens ex ventriculi imbecillitate. 186.
Vomitoria. 260. 347. 355. 366. 399.
Vox clangoſa in tabidis, unde? 110.
Urinæ pectoris affectuum indicium ſufficiens non præbent. 134.
Urinarum ardor. 388.
Urinarum hypoſtaſis farinacea in ventriculo colligitur. 282.
Urinarum incontinentia. 383.
Urinarum ſuppreſſio. 395.
Uteri conſenſus cum cerebro. 15.
Uteri in fœminis utilitas varia. 443.
Uteri fluor albus. 442.
Uteri venæ duplices. 443.
Uteri uſus & officium. 327.
Uterus cloaca impuritatum. 436.
Uterus etſi menſes fluant, ſæpe tamen inculpandus. 45.

Z.

ZIBEBORUM pulpa cum ſaccharo alvum emollit. 102.

Errata orthographica ſic corrige.

PAg. 21. lin. 10. infeſtat. lege infeſtet. Pag. 31 lin. 26. ſibi lege tibi. Pag. 42. lin 32. Bordmet. lege Bockmet. pag. 59. lin. 1. aliorúmque. lege aliorúmque viſcerum. pag. 63. lin. 1. cochlearis. lege cochleari. pag. 66. lin. 3. præcipimus, lege percipimus, pag. 78. in marg. decoctum ex ligno & potu ordinario, lege pro potu ord. pag. 89. in marg. ex oleo vitrioli. lege ex oleo nucum. pag. 111. lin. 27. ſequi annum. lege ſeſqui annum. pag. 113. lin. antepenultima omit. lege omittat. pag. 119. in marg. rotulæ pectoralis lege pectorales. pag. 148. lin. 34. linctus iniucundus. lege non injucundus. pag. 173. lin. 4. optimumſi. lege optimum. pag. 183. in margine. Melle dulcificatum. lege. dulcificata. pag. 187. lin. 23. transmiſia. lege transmiſſa. pag. 196. lin. 26. ututur. lege utuntur. pag. 265. lin. 26. nihil eſſe. lege nihil eſt. pag. 281. lin. 27. tergo. lege. tegro. pag. 296. lin. 19. adferre. lege adferri. pag. 341. in marg eneum. lege Enema. pag. 378. lin. 30. exortar. lege exortam. pag. 380. lin. ult. refrigerint. lege refixerint. pag 396. lin. 10. lenitem. lege lenientem. pag. 409. lin. 34. deterſcendo. lege detergendo. pag. 409. in marg. alvus laxus. lege laxa. pag. 415. lin. 5. loco. lege loto. pag. 416. liber quartus lege liber quintus. pag. 442. lin. 21. excrementij. lege excrementitij. pag. 448. lin. 1. verecunde lege, verecundè. pag. 450. lin. 18. in uteri. lege. utero. pag. 531. lin. 23. vetat. lege vetant.